




TAIR
FAIRE



PETRUS DE ALLIACO

IMPRIMATUR

Insulis, die XVIII Julii, anno MDCCCLXXXVI°,

† **FRANCISCUS EDUARDUS,**

Archiepiscopus Cameracensis.

PETRUS

DE ALLIACO


AUCTORE

Louis

LUDOVICO SALEMBIER

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO

ET MONIALIUM CISTERCIENSIUM INSULENSIUM CAPELLANO



INSULIS

EX TYPIS J. LEFORT

MDCCCLXXXVI

PIAE MEMORIAE

Reverendi Sacerdotis BENEDICTI MARTIN

MONIALIUM CISTERCIENSIUM INSULENSIUM

OLIM DIRECTORIS

PATRI ET MATRI

FRATRIBUS, SORORIBUS

DILECTISSIMIS ET CLARISSIMIS VIRIS

JULIO DIDIOT

SACRAE THEOLOGIAE DOCTORI

CANONICO CAMERACENSI, VIRDUNENSI, BAJOCENSI

COLLEGII THEOLOGICI INSULENSIS DECANO

EDMUNDO JASPAR

CANONICO CAMERACENSI

ECCLESIAE DIVI JACOBI DUACENSIS RECTORI

AEMILIO JOLEAUD

CANONICO CAMERACENSI

COLLEGII B. M. V. VALENCENENSIS PRAEFECTO

AMICIS OMNIBUS

PROŒMIUM

Quid intenderimus scribendo et scripta typis mandando, nostri libri titulus satis indicat. Coram Insulano Collegio Theologico, quod Deo juvante felicissime floret, magisterii lauream ambire volumus, ut qui nos benevolo prosecuti sunt animo studiisque faverunt, iidem nunc operi nostro palmam largiri dignentur.

Cur hanc materiem elegerimus facile perspiciet qui Alliacenum Cameracensem Antistitem fuisse meminerit : nostrates enim celebrare, quidquid tradit historia de locis, rebus, viris illustribus, nostris præsertim, posteris enarrare opportunius est quam ut placiti rationem evolvamus.

Nemo tamen putet nos Alliacenum ita sequi, ut integras ejus opiniones induamus, omnia gesta laudemus : ab eo vitio abhorrere non solum theologi sed honesti scriptoris est. Item nemo sibi fingat nos peragrare

.... loca nullius ante
Trita solo.

Multi revera de Alliaceni vita et operibus scripserunt, non tamen animo ita æquo ut exuerint præjudicatas opiniones. Quia enim iniquis Ecclesiæ temporibus vitam degebat auctor noster, ubi plurima « reformari, » ut aiunt, necesse fuit, ideo ejus sententias ad se per vim et

dolum trahere conati sunt Protestantes tum antiqui tum recentiores, uti Duplessis-Mornay, Orthuinus Gratius, Baylius, Lenfant, Mosheim, Pameyer et Tschackert. His accedunt Jansenistæ et Gallicani Doctores Richerius, Launoius, Arnaldus, Ellies-Dupin; ii denique omnes, cujuscumque regionis et religionis sint, qui Cæsarismo favent, uti Goldast et Von der Hardt. Sunt etiam inter Catholicos nonnulli qui protestantium clamores pronis auribus exceperunt. Alii tandem, de historia unice solliciti, Alliacenum publicis muneribus fungentem tantummodo quæsierunt, mittentes philosophiæ, theologiæ, naturaliumque scientiarum peritissimum pro sua ætate virum.

Quid nunc agendum supersit, qua via sit insistendum patet : Alliaceni vitam et quidquid tum ab eo tum de eo scriptum est, maturius pensare, inedita in lucem proferre, ex operibus præclari viri nondum editis percipere quomodo in gravissimis Ecclesiæ reique publicæ negotiis se gesserit : ne multa, verum Alliacenum sincere pingere, officium est et historico et theologo dignum. Hinc operis ordo quasi sponte sua eruitur.

Pars prior Alliaceni vitam evolvit temporum habita ratione, magistrum, episcopum et cardinalem seorsim extollendo. Pars posterior, omnium ejus operum, sed præsertim philosophicorum et theologicorum, crisim instituit, quin tamen omittantur inter opera philosophica ipsius de physice, cosmologia, et astrologia libri ; et inter theologica, opuscula ejus oratoria, exegetica et mystica, sive latina sive vernacula lingua scripta sint. Sacræ tamen Theologiæ rebusque theologicis, amplior, uti decet, tribuetur locus ; quomodo rem dogmaticam et moralem

intellexerit et exposuerit, qualisque Ecclesiæ schismatico morbo laboranti suasor evaserit, ostendemus, præsertim quum Tridentini Vaticanique Concilii decreta securum iter catholico cuique his de rebus aperiant. Operi præmittemus adjungemusve Indices qui benevolo lectori præbeant litterariam rem Alliaceni, habita ratione sive temporis sive materiarum, deinde catalogum operum quæ consuluimus; addentur denique appendices de rebus quas libro inserere longum fuisset.

Nec nos ad id arrogantiæ impellit scribendi zelus ut præsentem librum quasi decretorium habeamus; non enim nos fugit in Gallicis et Italicis bibliothecis recondi margaritas, quas temporum vel locorum difficultas nobis abdidit, quasque alii feliciores forsan colligent reddentque luci.

Præterea voti compotes erimus si Theologis, quo melius Alliaceni sententias dignoscant interdumque confutent, qualicumque fuerimus auxilio. Nimium felicès, si quid laudis Ecclesiœ Matri conferre nobis contingat, et lapillo exornare Cameracensem illam antiquissimam sedem ad nostros usque dies insigniter illustratam!

Quod enixe precantibus largiatur Beata Virgo Maria, Sedes Sapientiæ, Civitatis Insulanæ et Archigymnasii Catholici patrona.

Scribebam Insulis, die festo Pentecostes, 13 junii 1886.

INDEX

Omnium Alliaceni operum juxta chronologicum ordinem.

Scripta Alliaceni enumeramus primum juxta ordinem *chronologicum*, ea in tres periodos distribuendo, sub unaquaque vero illa prius quæ certæ sunt epochæ referendo, deinde autem ea quæ eodem tempore lucubrata videntur.

Singula tum opera tum opuscula in eo catalogo numeris designamus quos in sequenti *logico* indice iterum citabimus, ita ut res Petri litteraria clariori et fixiori quo poterimus modo describatur.

PRIMA PERIODUS. — 1372-1395.

Alliacenus Doctor.

A. SCRIPTA CERTÆ EPOCHÆ.

1 Anno 1372. Tractatus de anima.
2 » 1372. Conceptus et insolubilia.
3 » 1372. Super librum Boetii de consolatione philosophiæ.
4 » 1372 (circiter). Tractatus exponibilium.
5 » 1374. Principium in cursum Bibliæ.
6 » 1374. Descriptio imaginariæ visionis de horto Sacræ Scripturæ.
7 » 1375. Quæstiones super primum, tertium et quartum Sententiarum.
8 » 1375. Sermo in synodo Ambianensi.
9 » 1375. Sermo in synodo in ecclesia Parisiensi.
10 » 1377. Sermo de S. Ludovico Francorum rege.
11 Ante 1378. Expositio super cantica canticorum.

ii

B. SCRIPTA PROBABILITER EJUSDEM EPOCHÆ.

38 1372-95. Destructiones modorum significandi secundum viam Nominalium.
39 Tractatus super libros meteororum (Aristotelis).
40 De astronomia.
41 Tractatus de figura inceptionis mundi et conjunctionibus mediis sequentibus.
42 Elucidationes in astronomicon Manilii.
43 Johannis de Sacro-Busto sphæricum opusculum...
44 De duodecim parallelis ad quæ Ptolomæi parallela revocat.
45 Abbreviatio dialogorum Okam.
46 Verbum abbreviatum super Psalterio.
47 Quæstio de reprehensione Petri a Paulo.
48 Liber quæstionum in Hexaemeron.
49 Recommendatio Scripturæ sacræ.
50 Utrum indoctus in jure divino possit juste præesse in Ecclesiæ regno.
51 Utrum Trinitas personarum in una natura creaturæ sit incommunicabilis.
52 Petri de Alliaco ad eamdem quæstionem de tribus suppositis in una natura responsio.
53 De libertate creaturæ rationalis ante et post lapsum.
54 Utrum conscientia erronea excuset a culpa.
55 De Falsis prophetis tractatus duo.
56 Apologeticus (Hieronymianæ versionis Bibliorum).
57 Sermo de S. Bernardo.
58 Sermo de omnibus sanctis in capitulo Navarræ.
59 Sermo in die resurrectionis.
60 Sermo in die Pentecostes.
61 La vie d'un tyran.
62 Le jardin amoureux de l'âme dévote.
63 Chanson — Ballade — Livre du Rossignolet.
64 Piteuse complainte et oraison dévote de humaine créature qui de l'estat de péchié nouvellement à Dieu veult retourner.
65 De quatuor gradibus scalæ spiritualis.
66 Tractatus de oratione Dominica.
67 Tractatus super cantica B. Mariæ, Zachariæ et Simeonis.
68 Epilogus de quadruplici exercitio spirituali, vel de quatuor exercitiis animæ.
69 De duodecim honoribus Sancti Joseph.
70 Collatio valde bona pro pace.

71 1372-93. Sermo de adventu Domini.
72 Sermo secundus de nativitate Domini.
73 Sermo secundus de omnibus sanctis.
74 Libellus sacramentalis, vel sacramentale, vel de sacramentis Ecclesiæ, vel tandem tractatus theolologicus de sacramentis.

SECUNDA PERIODUS. — 1395-1411.

Alliacenus Episcopus.

A. SCRIPTA CERTÆ EPOCHÆ.

75 Anno 1398 (vel paulo post.) Sermo factus in synodo Cameracensi.
76 » » » Sermo secundus factus in Synodo Cameracensi.
77 » » » Homilia facta in synodo Cameracensi.
78 24 mart. 1398. Determinatio de notoriis focaristis.
79 Anno 1398 (vel circiter.) Tractatus pro Carthusiensibus quod rationabiliter abstinent ab esu carnium.
80 » » De ingressu religionis.
81 4 maii 1400. Litteræ ad capitulum Antwerpiense.
82 28 maii 1403. Appointement final auquel sont d'accord le conseil du roy et de l'Eglise de France.
83 Anno 1403 (vel circiter). De materia Concilii Generalis.
84 29 maii 1403. Sermo in ecclesia Beatæ Mariæ, Parisiis.
85 Anno 1405. Sermo de Sancta Trinitate Januæ habitus.
86 11 dec. 1406. Sermo in Concilio Parisiensi.
87 » 1407. Decem considerationes circa concordatum Massiliæ missæ ad Gregorium XII.
88 15 sept. 1407. Litteræ Episcopi Cameracensis et Cancellarii Parisiensis ad Gregorium XII.
89 Anno 1408. Epistola ad Benedictum XIII.
90 » 1408. Epistola ad Cardinales in civitate Pisana congregatos missa.
91 » 1408. Vitæ beatissimi Patris D. Petri Cælestini V.
92 » 1409. Epistola altera ad eosdem Cardinales missa.
93 4 jan. 1409. Epistola ad Cardinalem Sti Angeli.
94 5 jan. 1409. Propositiones utiles ad exterminationem præsentis schismatis, per viam Concilii Generalis, in civitate Aquensi enuntiatæ.
95 Anno 1409. Epistola ad S. Vincentium Ferrerium et ad Bonifacium ejus fratrem.

96 10 jan. 1409. Conclusiones in civitate Tarraconensi propositæ.
97 Anno 1409. Octo conclusiones in civitate Januæ propositæ.
98 » 1409. Schedula brevis super propositis in Janua.
99 » 1409 (vel circiter). Tractatus agendorum in Concilio generali de Ecclesiæ reformatione.
100 » 1409. Privilegia et statuta capituli generalis Windesemensis, ordinis sancti Augustini.
101 » 1410. Epistola secunda ad Benedictum XIII.
102 12 aug. 1410. Imago mundi seu ejus imaginaria descriptio.
103 Anno 1410. Epilogus mappæ mundi.
104 24 déc. 1410. Tractatus de legibus et sectis contra supertitiosos astronomos.
105 Anno 1411. Exhortatio super Kalendarii correctione.
106 » 1411. Errores sectæ hominum intelligentiæ, contra Guilielmum de Hildervissen.

B. SCRIPTA PROBABILITER EJUSDEM EPOCHÆ.

107 1398-1411. Tres schedulæ disputativæ in concilio regis.
108 Compendium cosmographiæ.
109 De vero cyclo lunari.
110 Cosmographiæ tractatus duo.
111 Speculum considerationis.
112 Compendium contemplationis.

TERTIA PERIODUS. — 1411-1420.

Alliacenus Cardinalis.

113 Anno 1411. Epistola ad Joannem XXIII de præcipuis reformationis Ecclesiæ capitibus.
114 10 jan. 1412. Apologia Concilii Pisani contra tractatum domini Bonifacii quondam prioris Carthusiæ.
115 18 oct. 1413. Confirmatio miraculi anno 1405 parati in vico qui dicitur Bois-Seigneur Isaac in Brabantia, et approbatio reliquiarum uti sanctarum et verarum.
116 1411 ad 1414. Alia Epistola ad eumdem Pontificem Joannem XXIII.
117 Anno 1414. Vigintiloquium de concordia astronomicæ veritatis cum theologia.
14 ~~118~~ (140 bis) 1414. Sermo de adventu Domini.
119 10 maii 1414. Concordantia astronomiæ cum historica narratione.

120	10 jun. 1414.	Devota meditatio super psalmum : *Judica me Deus* (in duabus partibus).
121	6 jul. 1414.	Oratio dominica anagogice exposita.
122	12 jul. 1414.	Devota meditatio super *Ave Maria*.
123	14 jul. 1414.	Devota meditatio seu expositio super psalmum : « *In te Domine speravi.* »
124	24 sept. 1414.	Elucidarium astronomicæ concordiæ cum historica narratione.
125	26 sept. 1414.	Apologetica defensio astronomicæ veritatis.
126	3 oct. 1414.	Altera apologetica defensio astronomicæ veritatis.
127	7 dec. 1414.	Schedula Cardinalis Cameracensis Italorum desideriis et schedulæ opposita.
128	14 dec. 1414.	De duobus Pontificibus Gregorio XII et Benedicto XIII blande invitandis ad spontaneam cessionem.
129	1414.	Cardinalis Cameracensis alia schedula Johanni Papæ exhibita qua confirmatur mollis illa via, et duos reliquos contendentes Pontifices ad spontaneam cessionem invitandos esse putat.
130	1414 vel 1415.	Conclusiones Cameracensis Cardinalis cum quibusdam additionibus de Pisani et Constantiensis Concilii unitate.
131	5 jan. 1415.	De concordantia discordantium astronomorum.
132	1415.	Responsio ad alias Johannis Papæ exceptiones cessioni desideratæ oppositas.
133	1415.	Disputatio de jure suffragii quibus competat.
134	1415.	Cardinalis Cameracensis propositiones pro jure Concilii, suo, non Papæ nomine, res fidei in Concilio definiendi.
135	29 dec. 1415.	Epistola Constantiæ scripta ad quemdam Avenione degentem de pluralitate beneficiorum.
136	1415 et 1416.	Schedulæ, declarationes, et responsiones Cardinalis Cameracensis in causa Joannis Parvi.
137	1416.	Sermo in die omnium Sanctorum.
138	21 jun. 1416.	Epistola ad Vincentium (Ferrerium), O. PR., contra se flagellantes.
139	1 oct. 1416.	Tractatus de potestate ecclesiastica.
140	1 nov. 1416.	Tractatus super reformatione Ecclesiæ in Concilio Constantiensi.
141	1417.	Tractatus super septem psalmos pœnitentiæ.
142	1417.	Sermo de Sancto Chrysogono martyre.
143	21 mart 1417.	Sermo factus Constantiæ in medio quadragesimæ.
144	30 maii 1417.	Sermo in die Pentecostes.
145	19 aug. 1417.	Sermo de Sancto Ludovico, Caroli regis Siciliæ filio, episcopo Tolosano.

146	3 oct.	1417.	Modus vel forma eligendi Summum Romanum Pontificem, vel de electione Papæ.
147	Anno	1417.	Consultationes Cardinalium aliorumque prælatorum de Pontifice in Constantiensi Concilio eligendo.
148	»	1418.	Petri de Alliaco judicium de causa fidei Matthæi Grabon, O. PR.
149	»	1418.	Utrum de censibus.... contractus sint liciti vel illiciti.
150	»	1419.	Apologia defensiva astronomiæ ad Joh. Gersonium.
151	»	1419.	Epistola ad Joannem Gersonium Doctorem et Cancellarium Parisiensem in quo laudat ejus de astrologia judicium.
152			Testamentum in gratiam Collegii Navarrici.
153			Aliud testamentum generale.

INDEX

Omnium Alliaceni operum juxta logicum ordinem

I

Philosophica

Tractatus de anima. (n. 1) *Inc: Veterum tradit auctoritas.... expl. .... dare veniam de erratis.*

Ms. in Bibl. nat. Paris., 14579, 121; — Bibl. Monacensi, 3548; — Bibl. Ultrajectensi, 265; — Bibl. Cameracensi, 473. — Idem in *Tractatus* et *Sermones*, absque loci, anni et typographi indicio, in-fol., quæ editio typis mandata fuit probabiliter a *Fratribus Vitæ communis*, Bruxellis, an. circiter 1484, 274 fol., Bibl. Mazarinæa, 2655.

Idem in *Tractatus* et *Sermones*, Argentinæ 1490, in-fol.

Tractatus de anima et accidentibus ejus, Parisiis per Guid. Mercatoris, 1494; Exemplaria in Bibl. Oxon et Basil.

Tractatus de anima, per Joh. Lambert, Parisiis, 1503, in-4°; Bibl. Mazarin., 1460, et Bibl. Duacens., 394.

Tractatus brevis de anima, Parisiis, per Joh. Marchant, 27 nov. 1505 in-8°; Bibl. Mazarin., 24163.

Tractatus de anima, editus per Petrum de Alliaco et per Theodoricum Morellum Campanum, a Petro Gaudoul, in 4°, Bibl. Mazarin., 10077.

Super librum Boetii de consolatione philosophiæ. (n. 3).

Ms. in Bibl. nat. Paris., 3122 pag. 110 à 169, 14579 pp. 122-167, 14580

Incipit : Reverendissimi patres et magistri ac Domini carissimi. Mihi ardua scandare volenti opus est....

Explicit :- A doctoribus Ecclesiæ exquirere debemus.

Indicatur in opp. Gersonii, t. I, col. 488, (Edit. Ellies-Dupin, Antwerpiæ, 1706.)

CONCEPTUS ET INSOLUBILIA. (n. 2).

Parisiis per Joh. Lambert pro Dionys. Roce an. 1495, Bibl. Mazarin., 14249 et 14600.

Incipit : Terminorum alius mentalis, aliis vocalis...

Explicit : Et hæc sunt breviter scripta de vocatis insolubilibus, 18 pag.

Commentarii de conceptibus et exponibilibus. Argent. 1480.

Cf. Hain, *Repertorium bibliographicum*, t. I, col. 90.

Hujus tractatuli mentionem facit Alliacenus in *Quæstiones in Sent.*, 9, I, a I, f. XXXVI.

DESTRUCTIONES MODORUM SIGNIFICANDI SECUNDUM VIAM NOMINALIUM. (n. 38).

Indicatur ab Hain, *Repertorium bibliographicum*, 831, et ab eo unitur sequenti operi.

TRACTATUS EXPONIBILIUM. (n. 4).

Parisiis, per Joh. Lambert, in-4° pro D. Roce. Idem per Guid. Mercatoris, an. 1494, in-4°, Bibl. Mazarin., 14239.

Incipit : Tractatus sequens quem ad aliqualem juvenum eruditionem breviter compilavi.

Explicit : .... Sacræ paginæ ac venerabilium artium profundissimi magistri Petri de Allyaco tractatus exponibilium novissime emendatus, Deo favente, feliciter desinet. 23 pag. Cf. Panzer, *Conceptus*, V, 23.

Invenitur in Bibl. Mazarin., 14260, alter libellus et cui titulus est : *Liber prioris et posterioris resolutionis cum tractatu de futuris contingentibus*, editus a Roberto de Cenali, cum quæst. posterioristicis ejusdem Petri de Alliaco, Joh. Petit, an. 1510, in-4°.

II

Physica

TRACTATUS SUPER LIBROS METEORORUM (ARISTOTELIS). (n. 39).

De impressionibus aeris ac de his quæ in prima, secunda et tertia regionibus aeris fiunt, sicut sunt sidera cadentia, stellæ, cometæ, pluvia, ros, pruina, nix, grando, ventus, terræ motus... deque generatis infra terram. Ms. in Bibl. reg., Bruxellensi, 18977; Bibl. Nat., Parisiensi, 2831; Bibl. Monacensi, 2451 et 2586.

Impressum Argentinæ an. 1504, in-4°, apud Joh. Priis, Bibl. Mazarin., 24163; Lipsiæ, 1506. *Tract. super libros meteoricos;* Vindobonæ, 1509 et 1514. Cracoviæ, 1515, in-4°.

Indicatur sub hoc titulo : *Abbreviata in meteora*, a Sandero, *Bibl. belg.*, p. 222.

Inc Propter nostrum admirari inventum est
Exp benigne corrigatur

IMAGO MUNDI SEU EJUS IMAGINARIA DESCRIPTIO. (n. 102).

Ms. in Bibl. Cameracensi, 826, in-4°, 852, in-f°; Bibl. reg. Bruxellensi, 3593, 21198; Bibl. nat. Paris., 3123; Bibl. Vindobonensi, 3505, 6, in Bibl. Basileensi; in Bibl. Valencenensi, 331; in Bibl. Lugduni Batavorum, 93; Bibl. Vaticana, ex Bibl. Palatina Heidelbergensi; Bibl. Montispessulani, 420, e fundo Claravallensi, sub hoc titulo: *de situ orbis;* Hænel, Midlehill, Baronnet Phillips. Impressum Lovanii a Johanne de Westphalia, (an. 1480 seu 1483). In Bibl. Duacens., 77, Bibl. Columbina urbis Hispalensis. Cf. Hain, *Repertorium Bibliographicum*, I. col. 837.

Incipit : Imago mundi... ipsum in materiali quodam speculo repræsentans non parum utilis........

Explicit : ... contemplationi divinorum, cui sit honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Indicatur a Ph. Labbæo sub hoc titulo : *Descriptio regionum totius orbis, Nova Bibl.*, p. 49.

EPILOGUS MAPPÆ MUNDI, VEL DE MAPPA MUNDI. (n. 103).

Ms. in eisdem Bibl. et Bibl. Parisiensi, 2692 et 16172. Legitur in iisdem codicibus et libris ac opus præcedens, p. 38 et seqq.

Incipit : Est tractatus de imagine mundi, ut res ipsa velut in speculo clarius apparet...

Explicit : ... angulus occidentis estivalis.

COMPENDIUM COSMOGRAPHIÆ. (n. 108).

Hic tractatus in duas partes divisus, in volumine quod inscribitur *Imago mundi* fuit typis mandatus, f. 67 et seqq.

JOHANNES DE SACRO-BUSTO (vel BOSCO) SPHÆRICUM OPUSCULUM (n. 43)... CUM ADDITIONIBUS ET EXPOSITIONE PETRI CIRVELLI DAROCENSIS HISPANI, INSERTIS QUÆSTIONIBUS DOMINI PETRI DE ALLIACO.

Impressum sine notis Cirvelli, Bibl. Mazarin., 4708, p. 116 ad 133, vel cum ejus additionibus. *Ibid.*, 4651 et in Bibl. Bruxell. 5146 per Joh. Petit, 1503 et 1508, in-fol.; Parisiis, Guido Mercatoris, 1498; Compluti, 1521; Venetiis, 1508 et 1531, sub hoc titulo: *Quæstiones mathematicæ* XIV; Ch. Oldoni, *Athenæum romanum*, an. 1676, p. 530.

DE ASTRONOMIA. (n. 40).

Opusculum quod junior scripsit Alliacenus, quodque in suo opusculo *super librum Boetii de consolatione* commemorat. (Ms. in Bibl. nat. Paris., 3122 et 14579, f. 167). Cf. Dinaux, *Notice hist. et litt.*, p. 108.

TRACTATUS DE LEGIBUS ET SECTIS CONTRA SUPERSTITIOSOS ASTRONOMOS. (n. 104).

Ms. in Bibl. Vindobonensi, 5266, 9; Bibl. Trecensi, 689; Bibl. Cameracensi, 826; Bibl. nat. Paris., 3123 et 14579. Impressum in opp. Gersonii, t. I, p. 778.

Exhortatio super Kalendarii correctione. (n. 105).

In eodem volumine ac præcedentia opera legitur, p. 56. Ms. in Bibl. Londinensi (British Museum) 29969; Bibl. nat., 3122, 3124 et 15171; Bibl. Vindobonensi, 3162, 4, 5266, 9; Bibl. Cameracensi, 826, cum notulis ab ipsomet Alliaceno probabiliter adjectis.

Impressum apud Von der Hardt, t. III, pp. 72 et seqq; Mansi. *Coll. Conc.* XXVIII, p. 370.

Gallice translatum a *Des Vignoles*, et impressum sed incomplete in *historia concilii Constantiensis*, auctore *Lenfant*, p. 695, Amstel., 1714, in-4°.

De vero cyclo lunari. (n. 109).

Ibid.

Incipit : Tractatus de vero cyclo lunari secundum Arabum doctrinam.

Explicit : In omnibus aliis proportionatur.

De Falsis prophetis tractatus duo. (n. 55).

Mss. in Bibl. reg. Bruxellensi, 21197; Bibl. nat. Parisiensi, 3122, f° 170. Typis mandati in opp. Gersonii, t. I, p. 489 et seqq. Aliquando sic indicatur : *De divinatione quæ fit per astra*. Est tertia pars hujus tractatus.

Vel sic : *De astronomia quæ pars sit licita vel illicita*, Cf. opp. Gersonii, t. I, p. 593.

Vigintiloquium de concordia astronomicæ veritatis cum theologia. (n. 117).

In eisdem codicibus, et in iisdem libris quam opuscula præcedentia. Item ms. in Bibl. Mazarin., 1065. Typis mandatum Venetiis, 1494, in-4°.

Incipit : Tractatus... vingintiloquium dici potest quod viginti verba utilia continet.

Explicit : .... Sed Deo gratias congratulantes agant cui sit honor et gloria in sæcula seculorum.

Concordantia astronomiæ cum historica narratione. (n. 119).

Ms. in eisdem voluminibus, Bibl. nat. Paris., 3123, f° 42; Bibl. Londinensi, (British Museum), 29969, 29984, f° 16. Impressum Augustæ Vindelicorum, 1490, in-4°, ; Venetiis, 1494, in-4°, Editio rarissima. Hoc opusculum a Pico Mirandulano confutatum fuit.

Incipit : Ad tractatum nostrum de concordia astronomiæ et theologiæ supperaddere decrevimus....

Explicit : Quo nos eripiat qui est benedictus Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Elucidarium astronomicæ concordiæ cum historica narratione. (n. 124)

In iisdem voluminibus.

Incipit : Mihi diligentius perscrutanti astronomorum dicta...

Explicit : .... qui sine fine vivit et regnat in sæcula sæculorum.

Apologetica defensio astronomicæ veritatis. (n. 125).

In iisdem voluminibus.

Incipit : Petierunt aliqui de nativitate Christi vel Mariæ matris ejus...
Explicit : .... sub correctione quorumlibet probabilius decentium.

ALTERA APOLOGETICA DEFENSIO ASTRONOMICÆ VERITATIS. (n. 126).

Ibid.

Incipit : Sæpe et multum hoc mecum cogitavi...
Explicit : .... Deus benedictus in sæcula sæculorum.

DE CONCORDANTIA DISCORDANTIUM ASTRONOMORUM. (n. 131).

Ibid.

Incipit : De concordantia discordantium super significationibus triplicitatum signorum.
Explicit : profundius et plenius perscrutandi.

TRACTATUS DE FIGURA INCEPTIONIS MUNDI ET CONJUNCTIONIBUS MEDIIS SEQUENTIBUS. (n. 41)

Ibid.

Ms. in Bibl. Valencenensi, 331 ; Bibl. Vindobonensi, 5266, 6, 5318, 7 ; Bibl. Cameracensi, 852, f° 123, 828, f° 97.

Incipit : Figura cœli quæ fuit ante Christum...
Explicit : .... figuræ declaratio magis patebit in sequenti tractatu.

DE DUODECIM PARALLELIS AD QUÆ PTOLOMÆI PARALLELA REVOCAT. (n 44).

Cf. Ciacconium, *Vitæ Pontif. Rom. et Cardinalium*, t. II, col. 800 ; Oldoni, *Athenæum*, *loc. cit.* « Il a composé quelques traités en Astrologie, en l'un desquels il réduit toutes les parallèles et cercles æquidistans, supposés par Ptolémée à douze. » A. Thevet, *Vies des hommes illustres*, l. VI, p. 509.

ELUCIDATIONES IN ASTRONOMICON MANILII. (n. 42).

Venetiis. 1490, in-4°. Cf. Panzer, t. I, col. 24 ; Hain, *Repertorium bibliographicum*, t. I, col. 855.

APOLOGIA DEFENSIVA ASTRONOMIÆ AD JOH. GERSONIUM. (n. 150).

Ms. in Bibl. Nat. Parisiensi, 2692, f° 145 ad 147.

Indicatur a Ph. Labbæo, *Nova Bibl.*, p. 48.

Incipit : Tricelogium astrologiæ theologizatæ a vobis, frater carissime, sic intitulatum et mihi transmissum libenter accepi in quo sub triginta propositionibus fundatis....

Explicit : tandem in aperta visione.

III

Scholastica

PRINCIPIUM IN CURSUM BIBLIÆ. (n. 5).

Ms. in Bibl. Vaticana. In Pet. de Alliaco *Quæst. in Sent.*, fol. CCLXXIII, Parisiis, Joh. Petit, Argent. 1490. Brown, *Fasciculus rerum expetendarum et fugiendarum*, Lond., 1680, t. II.
In opp. Gersonii, t. I, p. 610 et seqq.

ABBREVIATIO DIALOGORUM OKAM FACTA PER P. DE ALLIACO, CARDINALEM CAMERACENSEM. (n. 45).

Ms. in Bibl. nat. Paris., 14579, f. 88.
Incipit : Dialogus doctoris venerabilis magistri Guillelmi Okam tres tractatus continet quorum primus qui est de hæreticis habet septem libros...
Explicit : .... Abbreviatio dialogi Okam quam fecit magister Petrus de Alliaco, episcopus Cameracensis et postea Cardinalis.

QUÆSTIONES SUPER PRIMUM, TERTIUM ET QUARTUM SENTENTIARUM. (n. 7).

Ms. in Bibl. Mazarin., 324 et 923.
Prima editio a *Fratribus Vitæ communis*, Brux. 1478. Impressæ item fuerunt « arte et industria Joh. Barbier expensis honesti viri Joh. Petit, emendatæ noviter studio et vigilantia J. M. Victuriacensis » s. l. et a; Item Argent., an. 1490; Venetiis, an. 1500, in-4°. Cf. Panzer, *Conceptus* V. 23. *Lectura Sententiarum*, in Bibl. Monac., s. l. et a; Typis mandatæ etiam a Nicolas Wolff, Alemano, 15 aug. 1500, in-4°.
Cf. Hain, *Repertorium bibliographicum*, I, 91.

QUÆSTIO VESPERIARUM : UTRUM PETRI ECCLESIA LEGE REGULETUR. (n. 14).

In P. de Alliaco *Quæst. in Sent.*, f. 277, Argent., 1490; Brown, *Fasciculus rerum expetendarum et fugiendarum*, t. II (Lond. 1680).
In opp. Gersonii, (Edit. Ellies-Dupin,) t. I, p. 662.

QUÆSTIO DE LEGITIMO DOMINIO UTRUM CHRISTI DONO GERENS POTESTATEM SOLUS IN HOMINIBUS JUSTE DOMINETUR. (n. 15).

Ms. in Bibl. nat. Paris, 3122, f. 74. In opp. Gersonii, t. I, p. 641 et seqq; Responsio in aula episcopi.

QUÆSTIO DE RESUMPTA. UTRUM PETRI ECCLESIÆ REGE GUBERNETUR, LEGE REGULETUR, FIDE CONFIRMETUR, JURE DOMINETUR. (n. 16).

In P. de Alliaco *Quæst. in Sent.*, f. CCLXXXI, Argent. 1490. Brown, *Fasciculus rerum expetendarum et fugiendarum*, t. II, (Lond. 1680).
In opp. Gersonii. t. I, p. 672 et seqq.

Utrum indoctus in jure divino possit juste præesse in Ecclesiæ regno. (n. 50).

In opp. Gersonii, t. I, col. 646.

Utrum Trinitas personarum in una natura creaturæ sit incommunicabilis. (n. 51).

Responsio in Sorbona.
In opp. Gersonii, t. I. p. 617., (Edit. Ellies-Dupin). Ex codice Navarrico. Invenitur etiam ms. in Bibl. Vaticana, 1097.

Petri de Alliaco ad eamdem quæstionem de tribus suppositis in una natura responsio. (n. 52).

Ms. in Bibl. nat. Paris., 3122, f. 66.
In opp. Gersonii, t. I, f. 625.

De libertate creaturæ rationalis ante et post lapsum. (n. 53)

Ms. in Bibl. nat. Paris., 3122, p. 75.
In opp. Gersonii, t. I, p. 630, ex codice Navarrico.

Utrum conscientia erronea excuset a culpa. (n. 54).

Ms. in Bibl. nat. Paris., 3122, f. 72.
In opp. Gersonii, t. I. p. 636 et seqq; Idem ex codice Navarrico. Responsio in Sorbona juxta Bulæum, *Hist. Univ., Paris.*, t. IV, p. 980.

Liber sacramentalis, vel sacramentale, vel de Sacramentis Ecclesiæ, vel libellus sacramentalis, vel tandem Tractatus theologicus de sacramentis. (n. 74).

Lovanii per Egidium van der Heerstraten, 1481, 1486, 1487, in-4°, goth. 92 fol., Parisiis, an. 1488; Invenitur Oxonii, in Bibl. Bodleiana; Pragæ, in Bibl. Universitatis; Parisiis, (Bibl. de l'Arsenal, 5396).
Incipit : Libellus sacramentalis....
Explicit : Sacramentale Domini Petri de Alyaco, Card. et episcopi Cameracensis.
D. Grenier (*Analecta juris pontificii*, 1876) et Launoy *Regii Navarræ Gymn. Paris. historia*, p. 513, indicant duos libellos inter se discrepantes, unum *de Sacramentis Ecclesiæ* et alterum *sacramentale.*

Tractatus pro Carthusiensibus quod rationabiliter abstinent ab esu carnium. (n. 79).

Opusculum missum ad fratrem Joh. de Gonnehans, ordinis Carthusiensis.
Ms. in Bibl. Ultrajectensi, 352; In tribus codic. Bibl. publicæ Basiliensis; Bibl. reg. Bruxellensi, 2266; Bibl. Monacensi, 86; Bibl. Cameracensi 490, f. CCXII. Incomplete editur a D[re] Tschackert, (*Peter von Ailli, Appendix* VIII, p. 25).

De ingressu religionis, an scilicet de hoc deliberare aut consilium petere liceat. (n. 80).

Apud Tschackert, *op. cit., Appendix* XV, p. 51. Ex codice ms. Bibl. reg. Bruxellensi, 21196.

IV

Polemica

TRACTATUS ADVERSUS CANCELLARIUM PARISIENSEM QUOD NIHIL EXIGERE LICEAT PRO GRADU LICENTIÆ. (n. 22).

Ms. in Bibl. nat. Paris., 3122. In opp. Gersonii, t. I, col. 723.

TRACTATUS II, AN LICEAT PECUNIAM DARE VEL EXIGERE PRO DOCENDI LICENTIA. (n. 23).

In opp. Gersonii, t. I, col. 745.

PROPOSITIO CORAM PAPA CLEMENTE VII, CONTRA CANCELLARIUM PARISIENSEM. (n. 24).

Ms. in Bibl. Collegii Emmanuelis Cantabrigiensis. Olim ms. in collegio Navarrico juxta C. Oudin. (*Comment. de Script.*, t. III, p. 2923), nunc in Bibl. nat. Paris, 3122, f. 61.

Hujus operis breviarium edidit D. Tschackert; loc. cit., *Appendix* VII, p. 24.

SERMO CORAM PAPA CLEMENTE VII AVENIONE HABITUS CIRCA NEGOTIUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS ADVERSUM JOHANNEM DE MONTESONO, O. PR. (n. 28).

Textus : « Pater sancte, in nomine tuo... »

Ms. in Bibl. nat. Paris., 3122 ; Bibl. reg. Bruxellensi, 21195. In opp. Gersonii, t. I, coll. 698 et seqq. d'Argentré, *Coll. judic.*, t. I, p. 2ª pars. f. 68 et seqq. Bulæus, *Hist. Univ. Paris.*, t. IV, 618, 634.

PROPOSITIO FACTA IN CONSISTORIO CONTRA JOHANNEM DE MONTESONO. (n. 29).

Textus : « Veritatem meditabitur guttur meum »...

Ms. in Bibl. nat. Paris., 3122; In opp. Gersonii, t. I, p. 702 et seqq.; D'Argentré. *loc. cit.*; Bulæus, *loc. cit.*

APOLOGIA FACULTATIS THEOLOGIÆ PARISIENSIS CIRCA DAMNATIONEM JOHANNIS DE MONTESONO. (n. 30).

Incipit : Apostolicis verbis edocti....

Explicit : .... superabundanter explevisse.

Ms. in Bibl. nat. Parisiensi, 3122 et 16402 ; Bibl. reg. Bruxellensi, 21195. Incomplete legitur in opp. Gersonii, t. I, col. 709 et seqq. — D'Argentré, *loc. cit.*, 71-135, totum tradit textum.

Errores sectæ hominum intelligentiæ contra Gulielmum de Hildervissen (n. 106).

In Baluzii *Miscellanea* (Edit. Lut. Paris., 1713), t. II, 277-297, vel (Edit. Lucæ 1761) 288. 293; — In d'Argentré, *Coll. judic.*. t. I, pp. 201 209 ; Item, *Actes capit. de la province ecclés. de Reims*, t. II, p. 667.
Incipit : Universis et singulis Christi fidelibus....
Explicit : .... Veritatis omnium et singulorum præmissorum.

Apologia Concilii Pisani contra tractatum domini Bonifacii quondam prioris Carthusiæ. (n. 114).

Ms. in Bibl. regia S. Marci, Venetiis, 129, f. 82, 93; — Item in Bibl. Vaticana, (Cf. Montfaucon, *Bibl. bibl.* p. 138.) Publicatum a Dre Tschackert, *op. cit.*, *Appendix* XII, p. 31.

Schedulæ, declarationes, et responsiones Cardinalis Cameracensis in causa Joannis Parvi. (n.136).

Ad Martinum Porretum episcopum Atrebatensem oratorem Ducis Burgundiæ. Ms. in Bibl. nat. Parisiensi, 1485 ; Bibl. Vindobonensi, 4178, 33; Bibl. Monacensi, 5338, f. 182. Omnia litis instrumenta leguntur inter opera Gersonii, (Ellies-Dupin, 1706,) t. V.

Petri de Alliaco judicium de causa fidei Matthæi Grabon, O. PR. (n. 148).

Datum Commissario Cardinali a Martino V constituto. Von der Hardt, *Rerum Conc. œcum. Constant.*, t. III, col. 112.

V

Contra schisma

Oratio coram Duce Andegavensi de dissidiis inrer Urbanum et Clementem componendis. (n. 17).

Quam orationem in nullo codice ms. nec in ullo volumine invenire potui.

Epistola diaboli Leviathan. (n. 18).

Ms. in Bibl. Cameracensi, 490; Vindobonæ, Bibl. pal., 11804, 23.
Editum a Dre Tschackert, *Peter von Ailli,* Appendix V, p. 15.

Invectiva Ezechielis contra pseudopastores. (n. 19).

Indicatur illud opus a Launoy et Oudin, sed errant quum dicunt « contra pseudoprædicatores. »
Ms. in Bibl. Cameracensi, 490, f. 188; Bibl. nat. Paris., 3122, f. 76. — Olim ms. in collegio Navarrico juxta Oudin (*Comment. de Script.*,

t. III, p. 2293.) Editum sed incomplete a Dr Tschackert, *Peter von Ailli*, Appendix IV, p. 12. Hoc opusculum pro suo vindicat Alliacenus in sua *epistola ad Joannem XXIII*, In opp. Gersonii, t. II, col. 879. (n. 116).

COLLATIO FACTA CORAM DOMINO BENEDICTO PAPA XIII IN CONSISTORIO PUBLICO EX PARTE REGIS FRANCIÆ PRO SUADENDA UNIONE ECCLESIÆ. (n. 34).

Ms. in Bibl. Cameracensi, 490; Pertz, *Archives*, VIII, 31.
Incipit : Domine, in virtute tua lætabitur rex....
Explicit : .... quam nobis hic per gratiam et in futuro per gloriam ipse dignetur concedere qui regnat benedictus in sæcula sæculorum.

SEQUITUR ALIA COLLATIO EX PARTE REGIS ROMANORUM. (n. 35)

Ms. Bibl. Cameracensi, 490; Pertz, *Archives*, VIII, 31.
Incipit : Jamdudum, Beatissime Pater....
Explicit : .... pacis auctor, virtutisque largitor, qui est benedictus in sæcula sæculorum.

ALIA QUÆDAM COLLATIO FACTA AB EODEM EX PARTE REGIS FRANCIÆ CORAMQUE EODEM PAPA BENEDICTO XIII. (n. 36).

Ibid.
Incipit : Pater clarifica nomen tuum. Exultat animus....
Explicit : benedictio plena atque perfecta.... quam nobis concedere dignetur ille qui est benedictus in sæcula sæculorum.

ORATIO IN CŒTU MAGNATORUM, QUUM AGERETUR DE OBEDIENTIA BENEDICTO XIII PRÆSTANDA. (n. 37).

Textus : Benedictus Deus qui dedit voluntatem in cor regis.

TRES SCHEDULÆ DISPUTATIVÆ IN CONCILIO REGIS. (n. 107).

Montfaucon, *Bibl. bibl.* p. 19, asserit eas invenisse. Ms. in Bibl. Vaticana, 211; Quæ jam ibi non inveniuntur.

DE MATERIA CONCILIO GENERALIS. (n. 83).

Ms. in Bibl. nat. e Bibl. Sancti Victoris, Parisiis, 1480, f. 83 ad 122, 1571, 3124, f. 27.
Incipit : Ad honorem Sanctæ Trinitatis tractatus iste tres partes continebit....
Explicit : .... Spem præstare dignetur qui Ecclesiam suam pretioso filii sui sanguine redimere dignatus est. Amen.
Descriptus fuit hic libellus a Steph. Baluzio, mense aprili anni 1697.

SERMO IN ECCLESIA CATHEDRALI BEATÆ MARIÆ, PARISIIS. (n. 84).

In quo obedientiæ restitutionem populo annuntiat. Cf. Hefele, *Histoire des Conciles*, t. X, p. 128. Illum nullibi reperire valuimus.

SERMO IN CONCILIO PARISIENSI. (n. 86).

Refertur in *Nouvelle histoire du Concile de Constance*, par Bourgeois du Chastenet, 1718, *Preuves*, p. 149.)

Textus : *Pax Dei quæ exsuperat omnem sensum custodiat corda vestra et intelligentias vestras*. (In lingua vernacula). Cf. *Histoire du Concile de Pise*, par J. Lenfant, p. 146.

DECEM CONSIDERATIONES CIRCA CONCORDATUM MASSILLIÆ MISSÆ AD GREGORUM XII. (n. 87),

Ms. in Bibl. Vaticana, n. 4192, f. 30. Invenitur in eodem codice epistola Alliaceni ad Gregorium.

ALIÆ PROPOSITIONES UTILES AD EXTERMINATIONEM PRÆSENTIS SCHISMATIS PER VIAM CONCILII GENERALIS. (n. 94).

Traditæ per episcopum Cameracensem, in civitate Aquensi.

In opp. Gersonii, t. II, p. 112. ex ms. Victorinis. Falso adscribuntur ipsi Gersonio. Cf. Martène et Durand, *Vet. Script. Collectio*, t. VII, p. 909-94. — In *Apologia Concilii Pisani* citantur.

CONCLUSIONES IN CIVITATE TARRACONENSI PROPOSITÆ. (n. 96).

Martène et Durand, *loc. cit.*, p. 916, 918.

OCTO CONCLUSIONES PER PLURES DOCTORES IN ITALIÆ PARTIBUS APPROBATÆ QUARUM DOGMATIZATIO UTILIS VIDETUR PRO EXTERMINATIONE MODERNI SCHISMATIS, (n. 97).

Editæ ab Ellies-Dupin, in opp. Gersonii (t. II, col. 110;) ex codice ms. Victorino. Martène et Durand, *Vet. Script. Collectio*, t. VII, pp. 892-894. — Falso adscriptæ videntur Johanni Gersonio in editione Ellies-Dupin, nam ab ipso Alliaceno, tanquam suæ, citantur in *Apologia Concilii Pisani*. (P. Tschackert, *Appendix XII*, p. 34.) In civitate Janua istæ conclusiones propositæ fuerunt.

SCHEDULA BREVIS SUPER PROPOSITIS IN JANUA. (n. 98).

Ms. in Bibl. Vaticana juxta Montfaucon, (*Bibl. bibl.* p. 19.)

TRACTATUS AGENDORUM IN CONCILIO GENERALI DE ECCLESIÆ REFORMATIONE. (n. 99).

Von der Hardt. *op. cit.*, t. I, p. IX, p. 506.

Vulgo attribuitur hoc opusculum Francisco Zabarellæ, sed revera est Alliaceni ; quod probare sategerunt Steinhausen, Max Lenz et P. Tschackert, (*Zeitschrift für Kirchengeschichte von Bieger, Bd. I, Heft.* 3.) Cf. etiam *Peter von Ailli*, p. 166.

Omnia enim reformationis consilia quæ profert Alliacenus jam eodem Joanni Papæ XXIII obtulerat iisdem fere verbis in sua *epistola ad Summum Pontificem* (n. 113.) Cf. Von der Hardt, t. I, col. 511 et opp. Gersonii, t. II, col. 882.

SCHEDULA CARDINALIS CAMERACENSIS ITALORUM DESIDERIIS ET SCHEDULÆ OPPOSITA. (n. 127).

Von der Hardt, t. II, col. 193 ; Mansi, *Sacr. Concil., nova et amplissima collectio*, t. XXVII, col 529.

De duobus Pontificibus Gregorio XII et Benedicto XIII blande invitandis ad spontaneam cessionem. (n. 128).

Ms. in Bibl. Vindobonensi. Von der Hardt, t. II, col. 197; Mansi, *loc. cit.*, t. XXVII, col. 544.

Cardinalis Cameracensis alia schedula Johanni Papæ exhibita qua confirmatur mollis illa via, et duos reliquos contendentes Pontifices ad spontaneam cessionem invitandos esse putat. (n. 129).

Von der Hardt, *loc. cit.*, col. 198.

Conclusiones Cameracensis Cardinalis cum quibusdam additionibus de Pisani et Constantiensis Concilii unitate. (n. 130).

Ex ms. Vindobonensi, Von der Hardt, *loc. cit.*, col. 201.

Responsio ad alias Johannis Papæ exceptiones cessioni desideratæ oppositas. (n. 132).

Von der Hardt, *loc. cit.*, col. 216 et 220.

Disputatio de jure suffragii quibus competat. (n. 133).

Ibid., col. 225.

Cardinalis Cameracensis propositiones pro jure Concilii, suo non Papæ nomine res fidei in Concilio definiendi. (n. 134).

Von der Hardt, t. IV, p. 136. Quæ omnia iterare curat Alliacenus in sequenti tractatu *de Potestate ecclesiastica*, in opp. Gersonii, t. II, col. 952.

Tractatus de potestate ecclesiastica. (n. 139).

Ms. in Bibl. nat., Paris., 3124, 14579; Bibl. Mazarin., 1081; Bibl. Bruxellensi, 21192; Item Bibl. Ottoboniana et Vaticana proprie dicta, 4136, p. 25; Bibl. Vindobonensi, 4257-8, 4573-10, 4901-15, 4346-1.

Separatim impressum fuit (s. l. et a.) in-4°. — Invenitur apud Von der Hardt, *op. cit.*, l. VI, p. 15. — In opp. Gersonii sub hoc titulo: *Tractatus de Ecclesiæ, Concilii Generalis, Romani Pontificis* et *Cardinalium auctoritate, scriptus in Concilio Constantiensi*, t. I, col. 925 et seqq. (Edit. Ellies-Dupin) et t. II, col. 896. (Edit. Richer, Parisiis, 1606.)

Invenitur in Bibl. Vaticana (3495) libellus ms. cui titulus: *De Annatis*. Est pars tractatus de quo loquimur.

Incipit: Papa habet jus et potestatem circa bona et jura ecclesiastica.

Explicit: Qui contra præmissa opponere voluerint responsurum.

Tractatus super reformatione Ecclesiæ in Concilio Constantiensi. (n. 140).

Ms. in Bibl. nat. Paris., 3124, f. 56, 14579, f. 200; Bibl. Novi Collegii Oxoniensis; Bibl. Vaticana 4117; Bibl. Bruxellensi, 8025; Bibl. Vindobonensi, 4717, 7. Indicatur sub hoc titulo: *De emendatione Ecclesiæ*, libellus Patribus olim oblatus in Concilio Constautiensi quod Sigismundus impera-

tor convocarat, non tam ob Ecclesiæ concordiam quam morum emendationis spe. Quæ quo minus processerit, per hunc non stetit, sed per ecclesiasticos, *germanicæ simplicitati imponente romana astutia* (Orthuinus Gratius eadem verba refert in suo prologo.)

Sub hoc titulo primus hujus opusculi anonymus editor fuisse videtur Ulricus ab Hutten juxta Von der Hardt, (t. I, p. 407). Impressum fuit Basiliæ probabiliter anno 1520 (sine typ. nomine, l. et a) in-4°, 22 f. — Item Basiliæ cum præfatione Wolfgangi Wissemburgii, apud Nic. Bryling, 1551, in-8° sub hoc de titulo : *de squaloribus ecclesiæ Romanæ,* (Bibl. Mazarin., 26741.) — Invenitur etiam in *Fasciculo rerum expetendarum et fugiendarum* Orthuinii Gratii, (col. 1535, p. 203) ; — *In lectionibus memorabilibus* Joannis Wolfii, Lond., t. I, p. 376. (XV s.) Translatum in linguam germanicam (Zurich in-8°) 1600; in Fr. Pinssonii, *Pragmatica sanctio Caroli VII Francorum regis*, Parisiis, Clousier, in-fol., 1866 ; Prelo mandatum etiam cum opusculo Durandi Mimatensis, *De modo generale concilium celebrandi* et Achilli du Harlay oblatum, Clousier, 1671, in-12.

In opp. Gersonii, Edit. Ellies-Dupin, t. II, col. 903 ; Von der Hardt, *op. cit.*, t. I, p. VIII, g. 409.

CONSULTATIONES CARDINALIUM ALIORUMQUE PRÆLATORUM DE PONTIFICE IN CONSTANTIENSI CONCILIO ELIGENDO. (n. 147).

Ex ms. Vindobonensi ; Von der Hardt, *loc. cit.*, t. II, p. 584.

MODUS VEL FORMA ELIGENDI SUMMUM ROMANUM PONTIFICEM VEL DE ELECTIONE PAPÆ. ORATIO IN CONSISTORIO HABITA. (n. 146).

Tractatus et sermones, Argent., 1490. — Von der Hardt, *op. cit.* t. II, p. 586. — Ciacconius, *Vitæ Pontif. Rom. et Cardinalium*, t. II, p. 800. — Mansi, *op. cit.*, XXVIII, 361,

VI

Sermones

SERMO IN SYNODO AMBIANENSI. (n. 8).

Ms. in Bibl. nat. Paris., 3122, f. 102. Ex codice ms. Bibl. Collegii Emmanuelis Cantabrigiensis. Relatum a D. Tschackert, *Peter von Ailli*, Appendix I, p. 3,

Textus : Sacerdotes tui induant justitiam.

Ille sermo fuit olim ms. in collegio Navarrico juxta Oudin, (*Comment. de scriptoribus*, t. III, p. 2293.)

SERMO IN SYNODO IN ECCLESIA PARISIENSI. (n. 9).

Ex eodem codice ms. Cantabrigiensi apud Tschackert, *Appendix* II, p. 5. Olim inveniebatur ms. in collegio Navarrico juxta C. Oudin, (*Comment. de script.*, t. III, p. 2293.) Nunc in Bibl. nat. Paris., 3122, f. 106.

Textus : Hic jam quæritur inter dispensatores....

Sermo de S. Ludovico Francorum rege, (n. 10).

In domo Navarræ, coram sacra Facultate. Ms. in Bibl. nat. Paris., 3122, f. 97. *Tractatus et Sermones*, Argent. 1490.
Textus : Fide reliquit Ægyptum.

Sermo de S. Dominico. (n. 13).

In Petri de Alliaco *Tractatus et Sermones*, Argent. 1490.
Textus : An potest civitas abscondi supra montem posita ?

Sermo de S. Francisco factus in universitate Parisiensi, (n. 20).

Ibid.
Quicumque hanc regulam secuti fuerint....
Ms. in Bibl. Vindobonensi, 4292, 31.
Circa finem leguntur : Sermonem super verbis Apostoli : Quicumque hanc regulam secuti fuerint.... dudum circa principium schismatis coram alma universitate studii Parisiensis edidimus, quem nunc in hoc sacro Concilio denuo publicæ utilitati dedimus etc....

Sermo de S. Bernardo. (n. 57).

Ms. in Bibl. nat. Paris., 3122, f. 92. Coram sacra Facultate apud Bernarditas. Ex. cod. ms. Collegii Emmanuelis Cantabrig. Relatum a D. Tschackert, *Appendix* VI, p. 21.
Textus : Dedit ei cor ad præcepta et legem vitæ.
Indicatur illud opus a Montfaucon, *Bibl. bibl.*, t. II, col. 170 et ab Oudin uti ms. in collegio. Navarrico, (*Comment. de Script.*, t. III, p. 2293.)

Sermo de circumcisione, (n. 25).

In domo Navarræ.
Textus : Vocatum est nomen ejus Jesus.

Sermo de nativitate Domini. (n. 26).

In domo Navarræ juxta D. Grenier, *loc. cit.*, p. 907. Ms. in Bibl. Cameracensi, 490. ; Bibl. nat. Paris., 3122, p. 90. *Tractatus et Sermones*.
Textus : Veritas de terra orta est.

Sermo de quadruplici adventu Domini et specialiter de adventu ad judicium. (n. 27).

Ms. in Bibl. nat. Paris., 3122, p. 79. *Tractatus et Sermones*.
Textus : Scitote quoniam prope est regnum Dei.
Est in Bibl. reg. Bruxellensi sub hoc titulo : Utrum tempus ultimi adventus Antichristi possit a nobis determinate præscribi, 18978.
Hic adjungendus esse videtur sermo quem ipse Alliacenus habuisse dicit coram Francorum rege in hoc textu : Vidimus stellam ejus in Oriente, et in quo etiam juvenis astronomorum vanitatém reprobavit. (*Imago mundi*, p. 142).

Sermo de Septuagesima. (n. 31).

Ms. in Bibl. nat. Paris., 3122, p. 85, et *Tractatus et Sermones*.
Textus : Misit illos in vineam suam.

Collatio Petri de Alliaco in consistorio facta pro apotheosi Petri de Luxemburgo, coram Dno Clemente vii. (n. 32).

Incipit : Pater, jam hora est. clarifica filium tuum.
Explicit : qui cum gloriosa claritate vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.
Ex Ms. Camer., Bibl., 490. Bulæus, *Hist. Univ. Paris.*, t. IV, p. 651 et seqq.

Collatio altera de eodem, Avenione, Carolo vi rege præsente. (n. 33).

Incipit : Pater beatissime, rursus ad negotium meis impar viribus evocor.
Ms. in Bibl. Camer. 490. — Bulæus, *loc. cit.*, p. 663.

Collatio valde bona pro pace per sæpe memoratum Petrum de Alliaco. (n. 70).

Ms. in Bibl. Camer., 490, p. 189.
Incipit : Gloria in excelsis Deo.... Sicut ait Macrobius super sompnio Scipionis....
Explicit : quia debet pax fieri hominibus bonæ voluntatis.
Non agitur de pace Ecclesiæ, sed de pace componenda inter Anglos et Gallos.

Sermo primus de adventu Domini. (n. 71).

Ms. in Bibl. Camer., 490, p. 189. *Tractatus et Sermones*, Argent. 1490.
Textus : Ecce salvator tuus venit.

Sermo secundus de nativitate Domini. (n. 72).

Ms. in Bibl. Camer., 490. *Tractatus et Sermones.*
Textus : Ecce evangelizo vobis gaudium magnum.

Sermo in die resurrectionis. (n. 59).

Ibid.
Textus : Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite.

Sermo primus in die Pentecostes. (n. 60).

Ibid.
Textus : Apparuerunt eis dispertitæ linguæ tanquam ignis.

Sermo de Sancta Trinitate Januæ habitus, coram papa Benedicto xiii. (n. 85).

Ms. in Bibl. Camer., 473 et 490. *Tractatus et Sermones.*
Textus : Communicatio Spiritus Sancti sit semper omnibus vobis.
Sequitur Constitutio de celebratione festi ejusdem Sanctissimæ Trinitatis edita a Benedicto Papæ XIII occasione prædicti sermonis.

Sermo de omnibus Sanctis in capitulo Navarræ. (n. 58).

Ms. in Bibl. nat., 3122, f. 101. *Tractatus et Sermones.*
Textus : Ipsorum est regnum cœlorum.

Sermo secundus de omnibus sanctis. (n. 73).

Ibid.

Textus : Cantabant canticum novum.

Sermo secundus de adventu Domini. (n. 118).

Ms. in Camer. Bibl., 490. *Tractatus et Sermones.*

Apud Von der Hardt, t. I, l. VIII, p. 436, sub hoc titulo : *De officio imperatoris, Papæ, reliquorumque membrorum Concilii Constantiensis pro emendatione Ecclesiæ.*

In opp. Gersonii, t. II, col. 917. Mansi, XXVIII, p. 947 et seqq.

Textus : Erunt signa in sole, in luna et in stellis.

Errare videntur Von der Hardt, (t. I. p. 436), et Ellies-Dupin editorem Argentinensem sequentes, quum dicunt Alliacenum anno 1417 hunc sermonem Constantiæ habuisse. De cætero, contradictoriam elicit assertionem Von der Hardt in fastis Concilii, (t. IV, p. 19).

Sermo in die omnium sanctorum. (n. 137).

Ms. in Bibl. Camer., 490; Bibl. Pal. Vindobonensi 3759, 4292, 4717, 4948, 4958.

Publicatum a P. Tschackert, *Peter von Ailli,* Appendix XIII, p. 41.

Textus : Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole et luna sub pedibus ejus....

Sermo de Sancto Chrysogono martyre. (n. 142).

Ms. in Camer. Bibl., 490. *Tractatus et Sermones.* (Deficiunt quædam lineæ deletæ vel abrasæ.

Textus : Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum....

Sermo factus Constantiæ in medio quadragesimæ. (n. 143).

Ms. in Bibl. Camer., 490. *Tractatus et Sermones.*

Textus : Lætare, Jerusalem.

Sermo in die Pentecostes. (n. 144).

Factus in Concilio generali. Ms. in Bibl. Camer., 490. *Tractatus et Sermones.*

Textus : Cum complerentur dies Pentecostes....

Sermo de Sancto Ludovico, Caroli regis Siciliæ filio, episcopo Tolosano. (n. 145).

Ms. in Bibl. Camer., 490. *Tractatus et Sermones.*

Textus : Euge serve bone et fidelis.

A veritate deficiunt nonnulli inter quos Von der Hardt, (t. IV, p. 44). Dinaux. (p. 76) et Tosti (t. II, p, 262) quam affirmant illam concionem habitam fuisse die vigesima quinta augusti, scilicet in festo Sancti Ludovici regis. Errant etiam D. Grenier et Le Glay quum dicunt duas orationes ab Alliaceno compositas fuisse de Sancto Ludovico, episcopo Tolosano. Secundus sermo est encomium sancti Ludovici regis. Cf. n. 10.

VII

Actus Episcopales

SERMO FACTUS IN SYNODO CAMERACENSI. (n. 75).

Ms. in Bibl. Camer., 490. *Tractatus et Sermones*, Argent. 1490.
Textus : Obsecro vos ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis.

SERMO SECUNDUS FACTUS IN SYNODO CAMERACENSI. (n. 76).

Ibid.
Textus : Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.

HOMILIA FACTA IN SYNODO CAMERACENSI. (n. 77).

Super illo evangelio : *Designavit Dominus et alios septuaginta duos.*
Ibid.

DETERMINATIO DE NOTORIIS FOCARISTIS (fornicariis). (n. 78).

Ms. olim inveniebatur in Bibl. can. regul. Sancti Augustini Lovanii. Cf. Sanderus, *Bibl. belgica*, p. 222. — Nunc est in Bibl. Monac., 1836, sub hoc titulo : *De clericis fornicariis.*

Impressum fuit in actibus synodalibus Roberti de Croy, episcopi Cameracensis (an. 1550) rursus in decretis Jac. de Bryas (an. 1686) et in statutis Caroli de Saint-Albin, arch. Cameracensis, (an. 1735), p. 102. Cf. etiam *Concilia Germaniæ* a Schannat et Hartzheim, S. J., t. VI, p. 708.

Item in actibus capitularibus prov. eccles. Remensis publicatis a Cardinali Gousset, anno 1843, t. II, p. 619.

LITTERÆ AD CAPITULUM ANTWERPIENSE. (n. 81).

Incipit : Votis subditorum nostrorum libenter annuimus...

Explicit : In quorum præmissorum testimonium sigillum nostrum duximus apponendum.

Cf. Diercxsens, *Antwerpia Christo nascens et crescens*, t. I, p. II, p. 159.

PRIVILEGIA ET STATUTA CAPITULI GENERALIS WINDESEMENSIS, ORDINIS SANCTI AUGUSTINI. (n. 100).

Ms. in Bibl. Hagæ-Comitum, 352. — Cf. Impens, *Chronicon Bethleemiticum*, I, f° 19 et 22, l. II, f° 33; Wauters, *Histoire des environs de Bruxelles*, t. III, p. 537.

CONFIRMATIO MIRACULI ANNO 1405 PATRATI IN VICO QUI DICITUR BOIS-SEIGNEUR-ISAAC IN BRABANTIA, ET APPROBATIO RELIQUIARUM UTI SANCTARUM ET VERARUM. (n. 115).

Hæ litteræ Honnecurti datæ inveniuntur gallice apud Vinchant, in *Annalibus Hanoniæ*, t. IV, p. 10 et t. VI, p. 182.

VIII

Epistolæ

LITTERÆ EPISCOPI CAMERACENSIS ET CANCELLARII PARISIENSIS AD GREGORIUM XII, (scriptæ Januæ). (n. 88).

Bibl. Vaticana, 4192, f. 29.
Incipit : Inquire pacem et prosequere eam. Grandem universo populo christiano jucunditatem, pater orthodoxe...
Explicit : Apud Deum in quo benevaleat romana Paternitas vestra.

EPISTOLA AD BENEDICTUM XIII. (n. 89).

In opp. Gersonii, t. II, col. 105.

EPISTOLA SECUNDA AD BENEDICTUM XIII. (n. 101).

Incipit : Bone pater, qui, ultimo in apostolatus...
Explicit : Ex te non procedere.
Apud Kervyn de Lettenhove, *La Belgique sous la domination des Ducs de Bourgogne*, Textes latins, t. I, p. 138. *Chronique de Jean Brandon, religieux des Dunes*.

EPISTOLA AD CARDINALES IN CIVITATE PISANA CONGREGATOS MISSA. (n. 90).

Ex codice ms. Bibl. regiæ Sancti Marci Venetiis, 129.
Relatum a P. Tschackert, *Peter von Ailli*, Appendix X, p. 29.

EPISTOLA ALTERA AD EOSDEM MISSA. (n. 92).

Ex eodem codice ms. relato per eumdem P. Tschackert, *Appendix* XI, p. 30.

EPISTOLA AD CARDINALEM S[ti] ANGELI, (Petrum Blavi, diœcesis Mimatensis. † 12 dec. 1409). (n. 93).

In Martène et Durand, *Vet. Script. Coll.*, t. VII, 912, (Ex ms. Sancti Laurentii Leodiensis et illustrissimi Domini Chauvelin.)

EPISTOLA AD S. VINCENTIUM FERRERIUM ET AD BONIFACIUM EJUS FRATREM. (n. 95).

Harum litterarum mentionem ingerit Petrus in *Apologia Concilii Pisani*, (Cf. Tschackert, *Appendix* XII, p. 37.)
Inedita latet hæc epistola in Bibl. Vaticana, juxta Montfaucon, *Bibl. bibl.*, p. 115.

EPISTOLA AD EUMDEM JOHANNEM XXIII, DE PRÆCIPUIS REFORMATIONIS ECCLESIÆ CAPITIBUS. (n. 113).

Ex codice ms. Victorino; In opp. Gersonii, t. II, col. 882.

Epistola illa fere tota refertur in capitibus agendorum quæ Card. Fr. Zabarellæ tributa sunt et quæ revera sunt Alliaceni.
Cf. Von der Hardt, t. I, p. 511.

EPISTOLA AD SUMMUM PONTIFICEM JOANNEM XXIII SCRIPTA PAULO ANTE CONCILIUM CONSTANTIENSE. (n. 116).

Ex codice ms. Victorino nunc in Bibl. nat. Paris., 14579.
In opp. Gersonii, t. II, col. 876.

EPISTOLA CONSTANTIÆ SCRIPTA AD QUEMDAM AVENIONE DEGENTEM DE PLURALITATE BENEFICIORUM. (n. 135).

Ms. in Bibl. nat. Paris., 2692, f. 187.
Incipit : Gratia vobis et pax...
Explicit : ... Conscientiam circa multa serenandam.

EPISTOLA AD VINCENTIUM (FERRERIUM) ORDINIS PRÆDICATORUM CONTRA SE FLAGELLANTES. (n. 138).

Ex codice ms. Victor. et Navar.
In opp. Gersonii, t. II, col. 659; — Von der Hardt, *op. cit.*, t. III, p. VII, p. 96.

EPISTOLA AD JOANNEM GERSONIUM DOCTOREM ET CANCELLARIUM PARISIENSEM IN QUA LAUDAT EJUS DE ASTROLOGIA JUDICIUM. (n. 151).

Ex codice ms. regio, nunc in Bibl. nat. Paris., 7292, f° 357. In opp. Gersonii, t. I, col. 226.

IX

Biblica

VERBUM ABBREVIATUM SUPER PSALTERIO. (n. 46).

Ms. in Bibl. Camer., 450 et 535, in fol. — Ad finem leguntur preces, antiphonæ, meditationes, litaniæ cum invocationibus ad sanctos Flandriæ, etc. Item in Bibl. Ultrajectensi, 265. *Tractatus et Sermones.*

DESCRIPTIO IMAGINARIÆ VISIONIS DE HORTO SACRÆ SCRIPTURÆ. (n. 6).

Illum Alliaceni adhuc junioris tractatum, quem ms. Launoy in Bibliotheca Navarræ olim inventum, edere supersedit, utpote minus luce dignum — « Noluit Rempublicam litterariam iis haud multum proficuis onerari. » In opp. Gersonii, t. I, col. 487.
An Alliaceni opusculum quod gallice inscribitur : *Le Jardin amoureux de l'âme dévote,* fuerit hujus descriptionis præfatio, incertum. Cf. Hænel, *Catal.*, f. 55. — Dinaux, *Notice hist. et litt.*, p. 96.

Epistola ad novos Hebræos (n. 12).

Ad Dominum Philippum de Maizeriis, regis Caroli V a consiliis.
Ms. in Bibl. Camer., 478; — Bibl. Remensi, 485, juxta Hænel; — Bibl. nat. Paris., 3122; — Bibl. reg. Bruxellensi, 1897. — Olim in Bibl. Canon. Reg. Sancti Augustini in valle Sancti Martini Lovanii. (Sanderus, *Bibl. belg.*, p. 222.) Publicatum sed incomplete, a Tschackert in opere *Peter von Ailli*, Appendix III, p. 7.

Recommendatio Scripturæ Sacræ. (n. 49)

Ms. in Bibl. Vaticana; — In P. de Alliaco *Quæst. in Sent.*, f° 269; — Cf. Orthuinum Gratium, *Fasciculus rerum expetendarum et fugiendarum*, II; — In opp. Gersonii, t. I, coll. 603 et seqq.

Apologeticus (hieronymianæ versionis Bibliorum.) (56).

Ex codice ms. Bibl. reg. Bruxellensis, 18978. Cf. Tschackert, *Appendix* XIV, p. 50, qui hujus opusculi breve tantum tradidit compendium.

Quæstio de reprehensione Petri a Paulo. (n. 47).

Editum sed incomplete a P. Tschackert, *Appendix* IX, p. 28.
Ex codice ms. Bibl. nat. Paris., 3122, f. 64-66. — Olim in collegio Navarrico juxta C. Oudin. (*Comment. de script.*, t. III, p. 2293.)

Liber quæstionum in Hexaemeron. (n. 48).

Argent. 1490. — Indicatur a Dupin, Eggs (*Purpura docta*), D. Grenier, *Analecta juris pontificii*, 1876, p. 906.
Propter hunc libellum increpatur Alliacenus a Sixto Senensi eo quod nimis multum astrologiæ judiciariæ concedat. (*Bibl. Sancta*, l. V, 81, et l. VI, 10.)

X

Ascetica et Hagiographica

Expositio super Cantica canticorum. (n. 11).

Ms. in Bibl. Vindobonensi, 11585, I.
Parisiis per Ant. Cayllant, 1483, in-4° (Exempl. in Bibl. Bodleiana, Oxonii, et Bibl. Mazarin., 11672 et 12178.) — *Tractatus et Sermones*, an. 1483. — Ibid., Argent., 1490.

Vita beatissimi Patris D. Petri Cœlestini V pontificis maximi qui summo tandem pontificatui renuntiavit. (n. 91).

Conscripta primo a Petro ab Allyaco, postremo autem locupletata ac limatiori stylo donata a Dion. Fabro; apud Franciscum Stephanum an.

1539, in-4°, Bibl. Mazarin., 16807. — Ms. in eadem Bibl., 1353. — Apud Bolland., t. IV mensis Maii, p. 485-497; — Surium, *Historiæ seu vitæ sanctorum*, (Augustæ Taurinorum 1876), t. V, p. 577.

De quatuor gradibus scalæ spiritualis, ex dictis Beati Bernardi, scilicet de lectione, meditatione, oratione et contemplatione. (n. 65).

Ms. in Bibl. Oxoniensi collegii S. Joannis Baptistæ.
Tractatus et Sermones, 1490, in-oct.

Speculum considerationis. (n. 111).

Ms. in Bibl. Camer., 473 et 490; — Argent., 1483, in-fol. *Tractatus et Sermones*, absque loci et anni indicio, sed probabiliter prelo mandatum Bruxellis, apud Fratres Vitæ communis, juxta Campbell et Hain, vel Coloniæ apud Gœtz de Schletztat. — *Tractatus et Sermones*, Argent. 1490; — Mogunt., 1574. Opus istud recusum est Duaci, curante Leandro a S. Martino, apud M. Wyon, in-18, an. 1634, cum novem scriptis sequentibus. (In Bibl. Duacens., 2502, et Bibl. nat. Paris., 16077.)

Compendium contemplationis. (n. 112).

Ms. in Bibl. Camer., 473 et 490; — Bibl. Monac., 476 et 551; — Bibl. Vaticana.
Tractatus et Sermones, Argent., 1490.

Devota meditatio super psalmum : Judica me Deus. (n. 120).

Ms. in Bibl. Camer., 490; — Vindobonensi, 3939, f. 19. — *Tractatus et Sermones*.

Tractatus de oratione dominica. (n. 66).

Ms. in Bibl. Camer., 473 et 490; — Bibl. nat. Paris., 3122, f. 224-3622; — Bibl. Vindobonensi, 4351, 5; — Bibl. Ottoboniana, Romæ. Impr. Parisiis per Ant. Cayllant, 1483, in-4°.
Tractatus et Sermones.

Oratio dominica anagogice exposita. (n. 121).

Ibid., et in Bibl. Camer., 473.

Devota meditatio super Ave Maria. (n. 122).

Ms. in Bibl. nat. Paris., 3769, f° 71 cum opusculis sequentibus. Parisiis, per Ant. Cayllant. (Bibl. Mazarin., 12633.)
Tractatus et Sermones.

Devota meditatio seu expositio super psalmum : In te, Domine, speravi. (n. 123).

Ms. in Bibl. Camer., 490; — Bibl. Vindobonensi, 4361-6, 5099-4; — Bibl. nat. Paris., 3613, 3622, 3769; — Bibl. Ottoboniana, Romæ.
Tractatus et Sermones.

TRACTATUS SUPER CANTICO B. MARIÆ, ZACHARIÆ ET SIMEONIS. (n. 67).

Ibid., Ms. in Bibl. Ecclesiæ cath. Metensis.
(Montfaucon, *Bibl. bibl.*, p. 1382.)

EPILOGUS DE QUADRUPLICI EXERCITIO SPIRITUALI, VEL DE QUATUOR EXERCITIIS ANIMÆ. (68).

Ms. in Bibl. Camer., 490, f. 59; — Bibl. Monac., 3087, fol. 181; 11745, fol. 196; 5606, fol. 113; — Bibl. nat. Paris., 458, 3314; — Bibl. Basil. (Hænel); — Bibl. Christinæ reginæ, Romæ; — Bibl. Senonensi (Hænel); — Bibl. Trecensi, 690, 814, 819.
Tractatus et Sermones.
Lubecæ, 1490, in-8°.

DE DUODECIM HONORIBUS SANCTI JOSEPH. (n. 69).

Ms. in Bibl. reg. Bruxellensi, 2046; — Bibl. nat. Paris., 3769-14907; — Bibl. Argent. (Hænel); — Bibl. Londinensi (British Museum, 29984, XV sæc.); — Bibl. Ultrajectensi, 229 et 397.
Tractatus et Sermones, 1490. — *Opuscula spiritualia*, Marc Wyon, Duaci, 1634.
Separatim impressum pro Claudio Jaumar, in-8°, cum figuris, 32 pag.

TRACTATUS SUPER SEPTEM PSALMOS PŒNITENTIÆ. (n. 141).

Ms. in Bibl. nat. Paris., 3463-3480-3501-3613-3622-14796; — Bibl. Mazarin., 665; — Bibl. Vindobonensi, 12627-2, 13537-7; — Bibl. Insulensi, *Catal. Le Glay*, p. 350, XLIX. — Bibl. reg. Bruxellensi, 2655; — Bibl. Monac., 693 et 1507; — Bibl. Argent. (Hænel); — Bibl. Pictaviensi (Ibid.), sæc. XV; — Bibl. Brugensi; — Bibl. Vaticana (ex Bibl. palat. Heidelb.) et Ottoboniana; — Bibl. Trecensi, 779; — Impr. Augustæ Vindelicorum, in-oct.; — Parisiis per Ant. Cayllant;
Tractatus et Sermones. — Parisiis, Nic. Dives, 1548, in-16. In opp. Gersonii, t. IV, col. 1.
Trad. fr. : Exposition des 7 pseaumes en françois. S'ensuyvent les 7 degres de l'eschelle de penitance, figurés et exposés au vray sur les 7 Pseaulmes penitencielz, composés par un tres souverain docteur en théologie, nommé Mᵉ Pierre de Aliaco, approuvé en toutes ses œuvres, publiquement allégué. Ant. Belard, Lugduni, 1542. Ibid., Dion. Deharsy, 1544, in-16.

XI

Opera gallice conscripta

LA VIE D'UN TYRAN. (n. 61).

32 versus qui durissimam cujusdam tyranni vitam describunt. Paraphrasim latinam hujus opusculi lucubravit Nicolaus a Clamengiis versibus hexametris ad Guntherium Colli, p. 355 opp. Nicolai. Edit., Lydii. (Cf. Fabricium, t. I, p. 362.)

1° Opus Gallicum et ejus latina translatio simul inveniuntur in libro Antonii a Guevaris cui titulus est : *Mépris de la court et louange de la vie rustique, par Antoine Alaigre,* Lyon, Dolet; Paris, 1551; — Genève, De Tournes, 1605, in-12.

2° Legitur in compendio quodam poeseon quod inscribitur : *La muse guerrière en deux livres de divers poëmes sur plaisans arguments, avec les hymnes et cantiques de l'hermitage, et, pour grand enrichissement de cest œuvres, y ont été adjoutés les vers françois des évesques de Meaux et de Cambray*, Paris, 1591, in-16.

3° Item, *Meditationes historicæ* Philippi Camerarii.

4° Item, *Dictionnaire historique* de Prosper Marchand, La Haye, 1758, t. II, p. 307. — Cf. Dinaux, *Notice hist. et litt.*, p. 91 ; — D. Grenier, *Analecta juris pontificii*, 1876.

LE JARDIN AMOUREUX DE L'AME DÉVOTE. (n. 62).

Ms. Musæum Calvet, Avenione, 295, fol. 144 ad 161.

« Cy s'ensuit le jardin amoureux de l'âme dévote composé par le très-excellent docteur Maistre Pierre d'Ally, et contient XVI chapitres qui sont tels. »

Incipit : « En l'abbaye de dévote religion fondée en mondein désert... »

Explicit : « Elle est contrainte de chanter cette chansonnette. »

Cf. Hænel, *Catalogus librorum manuscriptorum,* p. 55, (1830.)

CHANSON. (77 versus).
BALLADE. (21 versus).
LIVRE DU ROSSIGNOLET. (350 versus). (n. 63).

Quæ omnia devota cantica, gallicis versibus eleganter conscripta, Avenione in Musæo Calvet mss. reperiuntur, 295. Ilic liber manuscriptus fratrum Cœlestinorum Avenionensium olim erat.

PITEUSE COMPLAINTE ET ORAISON DÉVOTE DE HUMAINE CRÉATURE QUI DE L'ESTAT DE PÉCHIÉ NOUVELLEMENT A DIEU VEULT RETOURNER. (n. 64).

Ms. Musæi Calvet, 295.

Incipit : « Jésus, vrai espoux de virginité, Jésus, de chasteté loyal amy... »

Explicit : « Tu le reçoives en gloire en laquelle face à face joyeusement veoir je te puisse adourer et chérir. Amen. »

APPOINTEMENT FINAL AUQUEL SONT D'ACCORD LE CONSEIL DU ROI ET DE L'EGLISE DE FRANCE LE 28 MAI 1403. (n 82).

Ms. in Bibl. Vaticana ut dicit Montfaucon. (*Bibl. bibl.*, t. I, p. 19.)

Qui libellus in Bibl. reginæ Christinæ olim erat sub numero 211 et jam non invenitur.

XII

Varia

UTRUM DE CENSIBUS... CONTRACTUS SINT LICITI VEL ILLICITI. (n. 149).

Dinaux, *Notice hist. et litt.*, p. 79.

REGULÆ, ORDINATIONES ET OBSERVATIONES COLLEGII NAVARRICI. (n. 21).

Apud Launoy, *Regii Navarræ Gymn. Paris. Historia*, opp., t. IV, p. I, p. 329.

TESTAMENTUM IN GRATIAM COLLEGII NAVARRICI. (n. 152).

Apud Launoy, *op. cit.*, pp. 352 et seqq.

TESTAMENTUM GENERALE. (n. 153).

Bibl. nat. Paris. (Ex fundo gall., 19842, f° 361.)
Analecta juris pontificii, 1876, p. 915; — Ms. in Bibl. reginæ Christinæ Rom., 1694, f° 165.

XIII

Incerta vel spuria

COMPENDIUM PHILOSOPHIÆ.

Ms. in Camer. Bibl., 906.
Scriptum fuit illud opusculum anno 1324, uti indicatur in fine voluminis, et Alliacenus natus est anno 1350.
Incipit : Compilatio de libris naturalibus Aristotelis et aliquorum quondam philosophorum de rerum natura...
Explicit : Sed hebetantur et annihilantur per infusionem aquæ calidæ inter vulnera infusæ.

COMPENDIUM THEOLOGICÆ VERITATIS.

Bis invenitur in Bibl. Camer., 475 et 906.
Errat Dr Le Glay quum istud opusculum, perinde ac præcedens, Alliaceno tribuit.

DE ARTE BENE MORIENDI.

Ms. in Bibl. Camer., 266, in-16.

Incipit : Cum de præsentis exilii miseria mortis transitus propter moriendi imperitiam multam non solum laicis, sed etiam religiosis....

Explicit : Contra diabolicas infestationes firma tuitio. Amen.

Ms. in Bibl. Valencenensi. (Cf. Mangeart, *Catal.*, p. 162.) Tribuitur Matthæo de Krokow, seu de Cracovia, Cardinali, vel Dominico Capranica. Versum fuit in linguam gallicam a Joh. Francheville. (In Bibl. Insulensi, 106 et 332.)

Confessio vel Confessionale.

Duo inveniuntur opuscula mss. de hac materia.

Prius est ms. in Bibl. Vindobonensi, 4922-6, p. 78-88; Bibl. Sancti Galli, 805.

Incipit : Quisquis a morte peccati...

Explicit : Sicut in domo Dei Parisiis laudabiliter observatur.

Hic tractatus est Gersonii, t. I, p. 442-450.

Posterius invenitur in Bibl. Monac., 18650, f° 120-125.

Incipit : Cupiens peccata sua confitere scire debet quod quatuor modis peccata contingit....

Explicit : Ut sic profecto de omnibus confessus veniam consequi mereatur, præstante Domino.

Non videtur Alliaceno tribuendum.

Speculum peccatorum.

Ms. in Bibl. Camer., 266. Petro de Alliaco tribuitur a D. Le Glay.

Incipit : Quoniam, carissimi, in via hujus sæculi fugientis sumus, dies nostri sicut umbra prætereunt...

Explicit : ... Quod tibi concedat ille qui est benedictus in sæcula. Amen.

Aliud speculum est in eodem volumine cum meditationibus et sententiis quarum Alliacenus non est auctor.

De vita Christi.

Hoc opusculum indicatur a Didot, Dinaux, Feller, Hain et Ladvocat uti impressum Parisiis, 16 sept. 1488, per Antonium Cayllant, in-oct., sed nullibi illud reperire potui.

De exercitio proficientium.

Ms. olim in Bibl. Canon. regul. Tongrensium in Belgio.

Cf. Sanderum, *Bibl. belgica*, p. 195. Forsan idem est ac *Epilogus de quadruplici exercitio spirituali* quem jam descripsimus, n. 68.

Hymni latini.

Cf. Montfaucon, *Bibl. bibl.*. t. II, p. 748.

De difficultate reformationis in concilio universali ad Johannem Gersonem.

Ex ant. ms. Academiæ Helmstadiensis; Von der Hardt, t. I, p. VI, p. 255. In opp. Gersonii, t. II, col. 867.

De necessitate reformationis Ecclesiæ in capite et in membris.

Ms. in Bibl. Vindobonensi, 4717-71. « Genius et stylus totius hujus libri

hunc Cardinalem arguit, » ait Von der Hardt in opusculi præfatione (t. I, p. 277); sed aliis in locis opinionem mutat (t. I, pp. 28, 46 et 484; t. IV, p. 18) et illud Theodorico de Niem tribuit. Ellies-Dupin putat non esse opus Alliaceni, sed cujusdam Germani. (*Gersoniana*, p. LII.) — Item L. Tosti primo volumine libellum esse Alliaceni asserit, secundo putat a Theodorico scriptum (*Storia del Concilio di Constanza*, t. I, p. 81 et t. II, p. 222); Fabricius (t. V, p. 181), Roskovany (*De Rom. Pontifice*, t. I, p. 677), Iggerius (*de Bibliothecis*) Theodorico de Niem († 22 mart. 1418) tribuere non dubitant. Quidquid in contrarium dicant Von der Hardt (t. I, p. 484), Goldast (t. II, p. 96) et nonnulli alii, nunquam iste Theodoricus, insignis Summorum Pontificum calumniator, fuit Cameracensis episcopus. Cf. *Critique de l'histoire synchronistique* a R. P. Damberger, S. J., opus a R. P. Rattinger completum, t. XV, pp. 101 et seqq.

FRAGMENTUM EPISTOLÆ EJUSDEM AD JOANNEM XXIII.

In opp. Gersonii, t. II, col. 883, ex ms. codice Vindobonensi.

Non est epistola, nec ad Joannem Papam XXIII dirigitur. Est tantummodo capitulum quod ratione tractationis, styli et argumenti, præcedenti libello *de necessitate Reformationis* annectendum esse videtur.

Von der Hardt, illud opusculum refert sub hoc titulo : *De Papa Joanne XXIII quod pro vero Papa non sit habendus, deque boni Papæ characteribus ac virtutibus*, t. I, p. 309. — Cf. Tschackert, *Peter von Ailli*, pp. 177 et 365.

DIALOGI DUO DE QUERELIS FRANCIÆ ET ANGLIÆ ET DE JURE SUCCESSIONIS UTRORUMQUE REGUM IN REGNO FRANCIÆ.

Goldast, *Sibylla Francica*, Ursellis, 1606. — In opp. Gersonii, Ellies-Dupin, 1706, t. IV, p. 844. A Jacobo Lelong tribuitur Petro Cameracensi Sancti Autberti canonico, *Bibl. histor. de la France*, n. 7346 et 7359.

TRACTATUS CIRCA DETERMINATA ET CONCLUSA PISIS.

Ms. in Bibl. Sancti Marci, Venetiis, 129. — Cf. Tschackert, *op. cit.*, pp. 163 et 365.

SERMO CONSTANTIÆ HABITUS DOMINICA LÆTARE, ANNO 1417.

Textus : Facite homines discumbere.
Ms. in Bibl. S. Marci, Venetiis.
Cf. Tschackert, *Peter von Ailli*, p. 376.

DE INTERDICTO.

Argent., 1490, in-fol. — Indicatur a Launoy, *loc. cit.*, p. 479 ; — Georg. Jos. Eggs, in sua *Purpura docta*, l. III, p. 5; — Dupin, *Histoire des controverses et matières ecclésiastiques ;* — D. Grenier, *Analecta juris pontificii*, 1876, p. 907 ; — Frizon, *Gallia purpurata*, p. 462 ; — Fabricius, *Bibl. mediæ et inf. latin.*, t. V, p. 226.

DE SIMONIA.

Forsan est idem ac responsio ad Martinum V superius a nobis relata sub numero 149. Cf. Von der Hardt, *loc. cit.*, t. I, p. 479 ; — *Corpus juris*, Extr.

comm., lib. III, tit. V, VII; — Cf. etiam Launoy, *op. cit.*, p. 518, Dinaux, *Notice hist. et litt.*, p. 79.

TRACTATUS DEVOTUS PETRI DE ALLIACO.

Ms. in Bibl. Leodiensis Universitatis, 389.

Incipit : Qui in sui Creatoris cogitatione et bona vita cupit proficere præcipue ad cognoscendam vitam spiritualem tota intentione, totis viribus debet laborare....

Explicit : Libenter confiteatur pure, plene, frequenter, breviter et discrete.

TRACTATUS QUOMODO TE PRÆPARARE DEBEAS AD MISSAM CELEBRANDAM.

Ms. Petri de Doliaco (sic) in Bibl., Monacensi, 16480, f° 305.

Incipit : Utrum melius et securius et rationabilius sit....

Explicit : Nihil poterit tibi tam adversi contingere quin semper fuerit salutare.

TRACTATUS DE DECEM PRÆCEPTIS DEI.

Ms. in Bibl. S. Galli in Helvetia, 805.

A nonnullis Alliaceno tribuitur, sed est revera Gersonii, uti videre est in ejus operibus, t. I, col. 427-442.

Incipit : Christianitati suus qualiscumque zelator...

Explicit : Qui est benedictus in sæcula sæculorum.

SINCERA CONTESTATIO PETRI DE ALLIACO DE IMPENSO SUO, PUBLICÆ REI, SACRÆ ET CIVILI, IN ECCLESIA ET IMPERIO, OPTIME CONSULENDI STUDIO.

Incipit : Et quia dum currus....

Explicit : Salva semper veritate.

Von der Hardt, *Rerum Conc. œcum. Constant.*, t. I, col. 388.

DE ROMANORUM IMPERATORIS MAJESTATE SUPREMOQUE JURE.

Ex eodem codice ms. — Apud Von der Hardt, *loc. cit.*

Incipit : Fecit autem Deus duo luminaria....

Explicit : Sequitur quod intendo.

DE EXACTIONIBUS QUIBUS JOHANNES XXIII ECCLESIAS SUO TEMPORE NIMIUM ONERABAT.

Incipit : De tributariis decimarumque oneribus....

Explicit : Difficile est consueta relinquere.

Von der Hardt, *op. cit.*, col. 392.

REPETITUM PETRI DE ALLIACO CONSILIUM REIPUBLICÆ PRÆSIDIBUS SUO TEMPORE DATUM ET IN CONSTANTIENSI CONCILIO SANCTE OBSERVATUM DE JOHANNE XXIII, ECCLESIÆ NIMIS ONEROSO, SEDE MOVENDO.

Incipit : Si modo vacaret....

Explicit : Inaniter lacerari permittant.

Ibid., col. 394.

INSTRUMENTORUM PERUTILIUM OPTIMO STILO CONCEPTORUM AC VIGILI CURA CORRECTORUM CIRCA NEGOTIA ET CONTRACTUS HOMINUM OCCURRENTIUM LIBER, FINITUS PER INGENIOSUM ARTIS IMPRESSORIÆ VIRUM MAGISTRUM JOHANNEM DE WESTFALIA, IN INSIGNO OPPIDO LOVANIENSI RESIDENTEM.

Impr. an. 1483, 194 f. — Opus a pluribus Alliaceno attributum. Cf. Dinaux, *Notice hist. et litt.* p. 78. — Hain, *Repertorium bibl.*, I, 856.

Ms. descriptum a Campbell, p. 146.

Continet formulas juris canonici ordine alphabetico digestas, et dictionarium actuum episcopalium et pontificalium. Anno autem 1476, Sixto IV pontifice, fuerunt scriptæ istiusmodi formulæ, et non antea. Librum antiquitate non minus quam arte typographica pretiosum vidimus in bibliotheca D. Vandenpeereboom, Belgici regis quondam ministri. Agit de absolutione, de acceptatione beneficii, de arrendatione, de Baccalarii, Licentiati et Doctoris promotione, de cessione debiti, de citatione, de collatione canonicatus et præbendæ, de collatione ordinum vigore commissionis apostolicæ in tribus diebus, de constitutione ad emendum, locandum, vendendum, de excommunicatione, de executorialibus ad Henricum regem Castellæ et Legionis et per edictum Ludovici regis Galliæ. Tradit insuper formulas legitimationis, licentiæ datæ Fratribus ad prædicandum, processuum, sequestri, substitutionum, testamentorum etc. Sub fine leguntur Bulla *Execrabilis* Joannis XXII (1317) (*Extrav. Joannis XXII*, tit. III) et quidam actus Pauli II (1464 et seqq.) in corpore juris inclusi (*Extrav. comm.* l. III, tit. II et IV).

DE PERMUTATIONE BENEFICIORUM.

Indicatur a pluribus auctoribus uti sunt : Ciacconius, *Hist. Pont. Rom. et Cardin.*, t. II, p. 799 ; — G. Eggs, *Purpura docta*, l. III, p. 5 ; — Dupin, *Table des auteurs ecclésiastiques*, p. 798 ; — Fabricius, *Bibl. latina*, t. V, p. 226 ; — D. Grenier, *Analecta juris pontificii*, 1876, p. 908 ; — Frizon, *Gallia purpurata*, p. 462.

Forsan est epistola ad quemdam Avenionensem missa anno 1415, quam dedimus sub numero 135.

LE BOUCLIER DE LA PAUVRETÉ.

✓ « C'est dans ce volume que Pierre d'Ailly rabat les cloux d'aucuns qui, suivant les arres de Guillaume de Saint-Amour, tenaient que les mendiants estoient au préjudice de la chrétienté, et du repos, seurté et splendeur de la chose publique. » (Thevet, *Pourtraicts et vies des hommes illustres*, 1 vol., 1584, p. 508.)

Forsan est opusculum Rogerii Thomæ, O. M. videlicet *Defensio Mendicantium ;* contra Armachanum dirigitur, et invenitur apud Goldast (*Mon. Rom. Imp.*, t. II, p. 1410).

DE ARTE NOTORIA.

Cf. P. Tschackert, *op. cit.*, p. 355.

IN MOMOS ET DETRACTORES.

Cf. Ciacconium, *Vitæ Pontif. Rom. et Cardinalium*, t. II, p. 800.

TRACTATUS DE ORIGINE ET POTESTATE ECCLESIASTICÆ JURISDICTIONIS.

Idem probabiliter est ac *Tractatus de potestate eccles.*, n. 139.

Tractatus varii de schismate.

Montfaucon, *Bibl. bibl.*, t. I, p. 74. Probabiliter illa sunt opuscula quæ ad exstinguendum schisma exaravit Petrus; quæ animadversio valet etiam pro sequentibus quatuor.

Consultatio aliique tractatus spectantes ad unionem Ecclesiæ.

Ibid.

Tractatus varii de rebus ad Concilium Constantiense spectantibus.

Ibid.

Protestatio.

Ibid.

De speculo Ecclesiæ.

Ibid., p. 50.

De arte obligandi.

Impressum Parisiis 1489 per Georg. Mittelhum.

De prophetarum differentia et miraculis eorumdem.

Cf. *de falsis prophetis*, in opp. Gersonii, t. I, col. 489 et seqq.

Utrum divinatio dæmonum sit illicita?

Ibid.

Commentum sphæræ mundi.

A Phil. Labbæo indicatum *Nov. bibl.*, 353; est probabiliter *sphæricum opusculum* quod indicavimus sub n. 43.

VITA ET DOCTRINA

PETRI AB ALLIACO

PARS PRIMA

Petri de Alliaco Vita

Tria erunt in hac prima parte capita quæ juxta temporum seriem Alliacenum uti Doctorem prius, deinde uti Episcopum, postremo uti Romanæ Ecclesiæ Cardinalem successive spectabunt.

CAPUT PRIMUM

Petrus de Alliaco Doctor

I

Compendii ad Isaram, in parochia Sancti Antonii, Petrum de Alliaco anno 1350 natum fuisse, nullus fere est eruditus qui hodie diffiteri velit (1). Illum non ab illustribus nobilibusque parentibus ortum duxisse, sed ex honesto genere vitam auspicatum esse creditur (2). Patrem Colardum,

(1) Cf. Appendicem I huic volumini adnexam.

(2) *Ibid.*

matrem vero Petronillam fuisse, plurima nuperrime edita testantur aperte documenta (1). Non ergo clarissimum genus sed sola sua virtus eum ad academicos et ecclesiasticos apices extulit; non hominum favor aut gratia sed ingenii acuitas et innocuæ vitæ meritum.

Asperis tamen temporibus natus est et vixit, quum jam Ecclesia experiri ultima videretur, Gallia vero ipsa ab hostibus devicta omni honore destitueretur, immo proprium nomen vix retinere posset. Qui completam ætatis illius effingere vellet tabellam, duos vel tres Pontifices de suprema Sede concertantes, Cardinales castra in adversa conjectos, nonnullos episcopos præcipuo Pastori infensos, plures theologos in fide aberrantes et nova sequentes, reges vel stultitia hebetes vel frivolis operam dantes, nobiles in ipsa patriæ viscera vim et arma convertentes, christianum tandem populum vel erroribus delusum vel ignorantiis obcæcatum, facile ostenderet (2).

Hanc luctuosam tam oppressi sæculi effigiem ipsa enarranda facta satis depingent atque animos commovebunt; et quam partem Alliacenus in istiusmodi eventibus habuerit simul explanabunt.

Petri parentes, ejus discendi facultate et egregiis ingenii dotibus permoti, illum Parisius ad celeberrimum Navarræ

(1) Cf. Aubrelicque, *Bulletin de la Société historique de Compiègne*, t. I; Morel, parochum in Chevrières; Comitem de Marsy, et nonnullos eruditos in variis quas mihi tradiderunt notulis. — Cf. etiam D. Grenier, *Analecta juris pontificii*, 1876, p. 898; et Jac. Brucker, *Historia critica philosophiæ*, t. III, p. 857.

(2) « Peuples s'esmeut, l'Eglise est subournee,
Noblesce fault, tant est mal ordonnee
Que nul des trois ne s'aime, ne se prise. »

E. Deschamps, t. II, p. 83. (Edit. Queux de Saint-Hilaire, 1880).

collegium uti bursarium (1) mittere curaverunt (2). Cujus gymnasii, cui tunc præerat Simon Freron, laudes inclytas decantat quidam coætaneus Navarræ alumnus :

« Ista enim sancta et sancte pudica domus alere non cessat novellas plantationes quæ faciunt fructum in tempore suo, et quæ latissime in orbem diffusæ orbem totum illustrant; litterarum emporium, virtutum omnium specimen, orationis sacrarium, sanctimoniæ columen, pudicitiæ domicilium, quid dicam? omnium bonarum rerum quas universus habet orbis, seminarium (3). »

Præclarum istud encomium inane non fuisse demonstrant eximii quos celebris illa discendi necnon et docendi officina enutrivit alumni, et universa simul fama comprobat (4).

In hoc illustri collegio nuper (anno 1304) a Joanna Navarrica Philippi Pulchri uxore condito (4), Alliacenus

(1) « Stipendium dicitur *Bursa,* nomine tunc communi iis omnibus qui pecuniæ summam aliquam pro laboris mercede vel pro victu acciperent; quare *Stipendiarii* sive *Bursarii* dicuntur qui stipendium seu pecuniam illam accipiunt. *Bursa* et *Bursarii* non antiquæ sed recentioris latinitatis sunt nomina quæ ad vitia sermonis pertinent, sed quibus posterior assuefacta est ætas. Qui dicuntur *Bursarii* dicuntur quoque *Socii*, quod societatem invicem habeant, simul versentur, simul vivant, simul maneant. » Launoy, *Opera omnia,* t. IV, p. I[a], *Regii Navarræ Gymn. Paris. historia,* (Colon. Allobrog. 1732, pp. 314 et 508).

(2) Non ergo fuit janitoris collegii famulus ut quidam somniarunt, inter quos Andreas Thevet : « D'Ailly fut si pauvre que pour avoir moyen de vacquer à l'estude des lettres, il fut contrainct de servir de sous-portier au collége de Navarre, condition fort abjecte. Néanmoins, son esprit, surmontant telles difficultéz...... » *Vies des hommes illustres*, l. IV. p. 508. — Cf. Bulæum. *Hist. Univ. Paris*, t. IV. p. 979; et Crevier, *Hist. de l'Université de Paris*, t. III. p. 99.—Etsi Alliacenus in extrema ista paupertate non versatus fuerit, quam tamen vera sit Juvenalis sententia expertus fuit :

Haud facile emergunt quorum virtutibus obstat
Res angusta domi. (Sat. III, *Urbis incommoda,* v. 164.)

(3) Godefridus Boussaud, *Præf. super Psalmos Pœnit.* apud Launoy, *loc. cit.*, p. 495. — Cf. *Archiv. nation. Paris,* M. 180.

(4) In memoriam revocare suffecerit illos Navarricos sodales quorum nomina persæpe in nostro recurrent opere, et inter quos eminent Simon Freron † 1381, Laurentius Chavangius † post annum 1384, Nicolaus Oresmius † 1382, Joannes de Guignicourt † 1389, Ægidius Campensis † 1413, J. Breviscoxa † post annum 1422, J. Gersonius † 1429, Nicolaus de Cla-

humanioribus disciplinis operam prius dedit quam inter theologiæ candidatos recenseretur (1).

II

Universitas magistrorum et scholarium Parisius studentium (2) tres superiores Facultates continebat, Theologiæ nempe, Decretorum et Medicinæ; quarta vero erat Facultas Artium, aliis quasi « propædeutica » et introductoria (3).

mengiis † 1435 vel circiter, Radulphus de Porta † post annum 1438, Reginaldus de Fontanis † 1442, Reginaldus Nobilis † 1442, Gerardus Machetus † 1448, et alii qui cum Alliaceno ad exstinguendum schisma fortiter se accinxerunt. Navarrici hujus tempestatis socii habuerunt cæteros sibi inferiores fere omnes, paucos æquales, superiores nullos. Paulo post emicuit alius Navarricus sodalis, Ægidius Carlerius, Cameraco oriundus et Cameracensis ecclesiæ decanus † 1472. — (Cf. Launoy, *loc. cit.*, p. 289 et seqq. — Cf. etiam J. B. Schwab, *Johannes Gerson*, p. 66 et seqq.)

(1) « In hoc gymnasio erant septuaginta pauperes alumni inter quos viginti grammatici, viginti etiam theologi et triginta artistæ. » (*Archiv. nation. Paris*, M. 180, n. 2.)— « Rex Galliæ erat primus gymnasii Navarrici bursarius, » ait G. Coquille *(Histoire du Nivernais)*.

(2) Hujusmodi formula in plurimis Summorum Pontificum Bullis sæculo XIII editis invenitur.

(3) « Les études de la Faculté des arts correspondaient à ce que l'on appelle aujourd'hui les classes supérieures des lettres (troisième, seconde, rhétorique et philosophie.) Elles conduisaient aux trois principaux grades. La dispute, épreuve obligatoire pour tous les candidats, était appelée *déterminance* du mot *determinare* qui signifiait poser des thèses. Cet examen se passait après deux ans d'étude. Au XV[e] siècle les déterminants prirent habituellement le nom de bacheliers.... La réforme de 1366 exigea que le candidat à la licence eût fréquenté pendant un an les disputes des maitres, et soutenu lui-même deux argumentations en leur présence. Cependant les déterminants passèrent encore immédiatement à la licence. La logique était toujours considérée comme l'objet principal de l'enseignement. » Ch. Thurot, *De l'organisation de l'enseignement dans l'Université de Paris au moyen âge*, pp. 43 et 52. — Cf. Vallet de Viriville, *Histoire de l'Instruction publique en Europe* (1849), p. 122.

Huic ultimæ Facultati primum adscriptus est Petrus noster, et grammaticis simul ac logicis disciplinis haud segniter incubuit.

Omnes Studii universalis Parisiensis alumni in quatuor dividebantur « nationes, » gallicanam scilicet, picardam, normannicam et anglicam. Quatuor autem Facultates cum totidem nationibus, quasi distinctæ gentes, in unicum eruditæ reipublicæ fœdus conjungebantur.

Quanta doctrina, quantaque fama claruerit Parisiense Studium apud universas Europæ regiones, quot fuerint ejus alumni ex omni tribu et lingua et populo et natione (1), quanta insuper ejus auctoritas in consiliis regum simul ac in luctuosis Ecclesiæ dissidiis, nemo est historiæ peritus qui ignoret.

Si hujus temporis auctores legamus, eos omnes de laude Studii istius Generalis redundantes invenimus. Gersonium audire juvat :

« Universitas est *filia Regis* (2), per quam bene Francorum

(1) In felicioribus Studii Generalis temporibus, 20000 fuerunt studentes.

(2) In opp. Gersonii (Edit. Ellies-Dupin), t. II, coll. 149 et 207 ; — t. IV, pp. 571 et 589. — Et non absque oratoria pompa simul ac historicis mendis querelam Studii Generalis ante senatum Parisiensem proferebat, anno 1404, adversus familiam Caroli de Savoisy qui studentes crudeliter vexaverat. (Monstrelet, *Chroniques*, L. I, c. 13). « *La fille du Roy* en espécial et toute clergie (science) en général, huchent à present misericorde en leur desolation.... Hélas ! dit-elle, je suis celle qui en Adam fus premierement inspirée en sa nouvelle création. Je suis celle qui depuis par succession feus fondée et renouvelée en Egypte, par Abraham et autres fils de Noé, qui feus transposée à Athènes et nommée Pallas ou Minerve, puis vins à Rome, quand la Chevalerie y seignourisoit. Puis par Charles-Magne le Grand feus plantée à grand labeurs en France en la cité de Paris, et tant amée et chière tenue, que les très nobles Roys de France ont voulu que je sois nommée *la fille du Roy* par civile adoption. » (In opp. Gersonii, t. IV, p. 573.) — Hac de re cf. *Chronic. Caroli VI*, L. XXV, c. 14, — Cf. etiam Bulæum, *Hist. Univ. Paris.*, t. IV, pp. 82, 165, 167, 206, 264 et passim. Simonem de Cramaudo, Alexandrinum patriarcham qui Concilio nationali Parisiensi præfuit, annis 1398 et 1406. — *Nouvelle Histoire du Conc. de Constance*, par Bourgeois du Chastenet, *Preuves*, p. 123.

Reges regnant, per quam de christianis christianissimi sunt effecti, quam si quis tam improbus aut perditus esset qui eam desolatam esse aut optaret aut quæreret, ego eum non tyrannum modo, sed damnabilissimum et sceleratissimum tyrannum judicarem (1). » — « Est insuper Summorum Pontificum *peculiaris hæreditas* (2). »

Et ipsum Pontificem Maximum alloquens prosequitur :

« Nihil erravero si Universitatem appellavero paradisum voluptatis, in quo est lignum scientiæ boni et mali, et fons scientiæ in quatuor Facultatum flumina condivisus, irrigans universam superficiem terræ. Tu hujus possessor es, tu pastor et cultor ut opereris et custodias illam tanquam agriculturam vivam.... (3). »

Iterum :

« Est *studiorum mater*, pulcher et clarus sol Franciæ, immo vero totius christianitatis (4)... »

Et exclamat :

« Demum Universitas repræsentatne universum Regnum ? Immo vero totum mundum in quantum adveniunt, aut advenire possunt *supposita* (discipuli), ut doctrinam sapientiamque acquirant. Ipsa est tanquam vigorosum seminarium totius corporis publici,ex quo homines nascuntur totius perfectionis (5).»

Haud segnius laudes ejus decantat Alliacenus. Etenim

(1) *Ibid.*, t. III, col. 1465.

(2) *Ibid.*, t. II, col. 43.

(3) *Ibid.*, t. II, col. 51. — Quam parabolam jam usurpaverat ipsa Universitas litteris ad regni prælatos directis adversus Jacobitas, anno 1233. — Alium singularem figuræ modum instituit Gulielmus Philaster, Cameracensis olim Canonicus et deinde Cardinalis, cujus opiniones in hac thesi sæpe commemorandæ sunt. Ita ille in concilio nationali anni 1406 : « Je proteste que n'entends riens dire d'aucuns et par especialement de Madame l'Université qui est tel esprit de vie de quoi parloit Ezechiel, qu'il y avait quatre bestes et un esprit, *et ad motionem Spiritus visio movebatur*. Je considère et prends ces quatre bestes pour les quatre Facultés de cette très-noble Université, savoir est les Arts, Médecine, Décret et Théologie....» (Bourgeois du Chastenet, *loc. cit.*, *Preuves*, p. 126.)

(4) In opp. Gersonii, t. IV, col. 583.

(5) *Ibid.*, col. 590.

Clementem Papam VII ita alloqui non ambigit, de beatificatione Petri de Luxemburgo agens :

« Illud idem, (scilicet apotheosim Petri de Luxemburgo), petit humilis et devota Tuæ Sanctitatis filia Parisiensis Universitas cum Ecclesia Parisiensi, quibus, ut reor, tota favet Ecclesia Gallicana. Nec decet equidem, Pater Beatissime, ut præfata Sanctitatis Tuæ Parisiensis Universitas ab hoc petentium cœtu se disjungat. Nam quidquid ad religionem aut communem Ecclesiæ utilitatem spectat procurare semper gaudet atque promovet; nec alienum quidquam a se reputat, quod religionem tangit et fidem. Hæc est enim quæ Ecclesiam omnem velut lampas præfulgida coruscis doctrinarum facibus illustrat. Hæc est quæ de christianis Francorum regibus christianissimos effecit, et per quam Galliæ illud elogium a Quintiliano et deinde ab Hieronymo donatum est (1) : sola Gallia monstro caruit, monstro scilicet perfidæ infidelitatis, cum alibi fere ubilibet tot fuerint errorum sectæ quot auctores. Hæc denique est quæ viros semper genuit orthodoxæ fidei defensores præcipuos, et omnium morum honestate præclaros (2). »

Tanta ergo erat hoc tempore Studii Parisiensis fama ut *filia Regis* simul ac *filia Summi Pontificis* declararetur. Tanta erat, si ita loqui fas est, doctrinalis ejus dictatura, ut inter Regem ipsum et Papam non tantum litium arbitra, sed quasi tertium potentiæ genus fuerit, quod nun-

(1) Idem in *Sermone adv. J. de Montesono*. In opp. Gersonii, t. I, col. 699.— Ita etiam in *Panegyr. oratione S. Ludov. Tolosani. Tractatus et sermones.*

(2) Apud Bulæum, *Hist. Univ. Paris.*, t. IV, p. 653. Huic encomio accedunt poetæ :

Clergie regne ore a Paris
Ensi comme elle fut jadis
Athenes qui siet en Grece
Une cite de grant noblece.

(Gautier de Metz. a. 1245. *Comment clergie vint en Franche.*

La cite sur toutes couronnee
Fontaine et puits de sens et de clergie.

(Eustache Deschamps. — Cf. B. Hauréau. *Hist. de la philos. scol.*, t. I, p. 200.)

quam in prioribus sæculis inventum fuit nec in posterioribus renovatum!

Inde unusquisque facile suspicari potest quanta fuerit eorum qui Universitati Parisiensi præibant, in regno et in Ecclesia auctoritas. Talis fuit Alliacenus; summi quadraginta annorum eventus vel per eum vel non sine eo contigerunt, ita ut totius hujus periodi facta cum Alliaceni gestis contexta et implicata prorsus repperiantur (1).

Anno enim 1378, initium cœpit magnum Occidentis Schisma, et paulo post, anno 1380, birreto Doctoris cohonestatus fuit Alliacenus. Anno 1418, exstincta sunt miseranda hæc et nimis protracta dissidia, et anno 1420 e vivis subreptus est Cameracensis Cardinalis. Ejus gloria vix incipiebat dum originem sumpsit pessima Ecclesiæ divisio, et eo moriente finem accepit. Quomodo ad tot et tanta munera se paraverit Petrus noster, nunc interest examinare.

In Navarrico gymnasio, dum Artium Facultati inhæsit, logicæ præsertim studuit (2), quæ mentem summopere idoneam reddit ut omni philosophiæ apparatu penitius instruatur. Et revera adeo ipse profecit ut non tantum ingenium acuerit, sed postea etiam discipulorum animos uti plures referunt, per acutissimam suam logicam sæpius excitaverit (3).

Nonnullis tamen vitiis laborabat methodus qua in scholis sæculi XIV[i] utebantur Parisienses magistri (4), inter quæ duo præsertim indigitare juvat.

(1) « Le développement du schisme et surtout les évènements du Concile de Constance ne se comprennent pas en dehors de l'action personnelle de d'Ailly. On pourrait faire l'histoire de ces quarante ans sous le titre de *Pierre d'Ailly et son époque.* » Max. Lenz, *Revue historique,* 1879, p. 464.

(2) Nonnullos logicæ libros tunc scripsit, qui diu et multum alumnis Studii Generalis profuerunt.

(3) Launoy, *Opp. omnia,* t. IV, *Regii Navarræ Gymn. Paris. historia,* p. 508.

(4) Cf. cap. V hujus operis.

A tuto scholasticæ tramite sensim sine sensu declinaverant; plene discussas et resolutas quæstiones fastidiendo, ad ignotas vel nondum examinatas sese convertebant, ut disputationibus tunc frequentissimis quum amplior locus tum major materia darentur (1).

Insuper argumentandi consuetudo, cujus plurima sunt commoda, nonnullis tamen detrimentis non caret, si ad extremas et quandoque ineptas cavillationes perducatur (2). Nedum enim propositas quæstiones lucidiores reddat, multiplicatæ in infinitum distinctiones et nimium divisæ theses, majori sæpius caligine animos perfundunt. Lepide comparantur qui hæc agunt araneis, subtilissimorum sed fragilium filorum fabrica seipsas eviscerantibus (3). Assimilantur etiam rixatores logici gladiatoribus, qui vano certamine validas vires et bellicum suum ardorem frustra consumunt, ut rude tandem donentur et nescio quam laudem sibi acquirant. Qui Alliaceni opera attente perlustrabit, hunc defectum non ab eo prorsus devitatum fuisse videbit.

Præterea generatim sectabantur juniores *Artistæ* uni-

(1) Cf. Gersonium, *Secunda lectio adversus vanam curiositatem*, t. I, col. 97 et 105; item apud Launoy, *loc. cit.*, p. 329; et ipsum Alliacenum; in opp. Gersonii, t. II, col. 913. — Addit Gersonius : « Diebus istis malis, quando studium theologiæ refriguit; quoniam magna ex parte dissipatum est, ubi potissime florere solebat. » (*De examinatione doctrinarum.* t. I, col. 8.) Quod ex lectis et judicatis Alliaceni et Gersonii operibus satis et amplius per exempla patebit. — « Tous les vices inséparables d'une culture intellectuelle excessive se manifestaient déjà parmi les théologiens du XIVe siècle. On se croyait obligé à tout résoudre; on préférait des doctrines nouvelles et hasardées à des doctrines plus vraies, mais qui semblaient surannées. On méprisait ce qui paraissait trop clair : on n'estimait que ce qui demandait des efforts et du travail. » Ch. Thurot, *Organisation de l'enseignement*, p. 162. — Cf. etiam *Recherches sur l'état des lettres, des sciences et des arts en France sous Charles VI et Charles VII, par l'abbé comte de Guasco*, 1746. (Apud C. Leber, *Collection des meilleures notices*, t. XV, p. 189 et suivantes.)

(2) Cf. Vivès, *De causis corruptarum Artium*, t. I, p. 445.

(3) Cf. Gersonium, *Sermo in die dominica Septuagesimæ*, t. III, col. 1029.

cum magistrum, quocum sæpius victitabant, a quo eos ad tentamina superanda per lectiones et disputationes accingebantur, et quo duce *determinabant*. Ejus opinionibus adhærere et ab alienis sententiis refugere solebant ; si *realis* erat magister, reales, si *nominalis* nominales evadebant (1). Uni primum vel alteri opinioni ante tenebantur adstricti, quam quid esset optimum judicare possent : infirmissimo tempore ætatis, adolescentia scilicet, aut obsecuti amico, aut libro illecti aut forsan una quam primum audierant oratione capti, de rebus incognitis judicabant, sortem, ut ita dicam, mittentes, cujusnam auctoris et systematis esset eorum vita. In studiis et in intellectualibus certaminibus partem capessebant non tantum pro viventibus magistris, sed etiam pro defunctis, scilicet pro eximiis illis doctoribus antiquis qui « *non omnes moriuntur* » et per doctrinam simul ac famam semper et ubique vivunt.

Sæculo decimo tertio nonnulli vestigia presserant falsi Aristotelis, quem commentatores Arabes mentiri cogebant, dum alii plures, duce Divo Thoma, veras Aristotelis sententias docere simul ac evincere sategerant. Sequenti autem sæculo, non jam de genuino Stagyritæ sensu agitur, sed præsertim de iis maximi momenti problematibus quæ Nominales et Reales inter se agitant. Non jam de Averrhoe, Avicenna et Algazel (2) extra scholas expellendis concertatur, sed de Gulielmo Occam et ejus sequacibus, an boni vel mali sint, an genuinæ philosophiæ sectatores aut deturpatores. Angelici Doctoris tempore, infensissimi divinæ religionis hostes ad pancosmismum seu pantheismum prorsus inclinabantur, et ideo pessimis purorum

(1) De Nominalium ac Realium placitis cf. secundam partem nostram c. II et IX.

(2) Quos hodiedum *Ibn Roschd, Ibn-Sina et Gazali*, vocant. Cf. Franck, *Dictionnaire des sciences philosophiques*, his nominibus.

Realium placitis aperte favebant; Alliaceni sæculo Nominales præcipue obtinent, partæ jam victoriæ palmas referre gloriantur; et inter eos, quod dolendum est, eminet Petrus noster. Plures quidem, ex dominicana præsertim familia (1), Realium mitigatorum partes defendebant. Fortunatus nimium Alliacenus, si theologos genuinæ scholasticæ sequaces imitari studuisset, si eorum vestigia in universis sive philosophicis sive theologicis viis suis constanter tenuisset, si a Nominalium placitis divertisset, et non ad dissipatas cisternas venenatæ cujusdam scientiæ aquam largo haustu sæpius ebibisset! Ideo nullus philosophus, nullusque sit theologus qui stupeat, si ejus ingenium, licet eximium, aliquo proprii sæculi et propriæ scholæ pulvere sordescat, non tantum in studiorum curriculo sed in toto etiam vitæ decursu. Vitia illa jam in Artium Facultatem irrepserant, dum logicis doctrinis operam navaret. Uti tunc moris erat, per duos integros annos Porphyrii Isagogen, Categoriarum librum, Interpretationem et Syntaxim Prisciani didicit, et prælectiones ordinarias simul ac extraordinarias in Topicis et Sophisticis Elenchis Aristotelis audivit. Insuper libro Sex Principiorum, tractatui Boetii de Divisionibus se dedit; eumdem Boetium in suis Topicis, Donatum in Grammaticis Figuris, Priscianum in sexdecim primis libris, Aristotelem in prioribus et posterioribus Analyticis secutus est (2). Non tantum in logicas et grammaticas doctrinas incubuit, sed concertationes quam plurimas sustinuit ut facilius adipisceretur *determinantiæ* gradum. Tandem in artibus *determinavit*, anno 1365, sub Joanne

(1) Cf. Douais, *Essai sur l'organisation des études dans l'ordre des Frères Prêcheurs* (1884), p. 95 et passim. — Cf. etiam nostram secundam partem, c. IX.

(2) Cf. Thurot, *loc. cit.*, p. 43.

Duchêne (1), et tentaminibus feliciter superatis, octo asses pro taxa ad titulum obtinendum solvit (2). *Artistarum* honoribus ita decoratus, « in sacratissima Divinorum Facultate » inscriptus est (3).

III

Ineunte sæculo decimo quarto, per annos quatuordecim studiis operam dabant alumni in Facultate Divinitatis, septem videlicet prioribus annis lectiones audiendo, per septem vero posteriores docendo, vel disputando, vel etiam concionando, donec actus Licentiæ et Doctoratus publice sustinerent quarto nempe et decimo integro anno (4). *Baccalarius cursor* (5) factus est Petrus de Alliaco post sextum annum in gymnasio transactum, scilicet dum vicesimum secundum ætatis suæ annum attingeret. Eodem tempore (21 oct. 1372) « *honorandæ Nationis Gallicanæ* » procurator electus est, et per plures menses prorogati ei fasces procuratorii. Dum cursoris vitam ageret, eligere debuit duos Scripturæ libros, unum in Veteri, alterum in Novo

(1) Alias Cailleu.

(2) Cf. Bulæum, *Hist. Univ. Paris*, t. IV, p. 979.

(3) « En juin 1366, Colard d'Ailly et Pétronille sa femme, demeurant à Compiègne, abandonnèrent « à Maistre Pierre d'Ailly, leur fils, estudiant à Paris en la faculté de Théologie, en accroissement du bien de lui, et pour mieulx plus agréablement continuer l'estude tant qu'il puisse persévérer et venir à perfection de bien, une maison où les dits conjoings demeurent à présent, séans en la rue des Dommeliers. » De plus trois autres maisons et des près du côté de Verberie.... » *(Documents recueillis par Dom Bertheau, conservés à la suite de son Histoire manuscrite de Compiègne, et publiés par l'abbé Morel.)* — Cf. D. Grenier, *Analecta juris pontificii*, 1876, p. 989 et 911. Iste ex mss. D. Gillesson hæc retulit.

(4) Cf. Ch. Thurot, *loc. cit.*, p. 133 et seqq.

(5) Cursor, is est qui » cursum » explicat : hodie diceretur « maître de conférences. » Cf. Aubertin, *Histoire de la langue et de la litterature française*, t. III, p. 355.

Testamento, quos junioribus alumnis explanavit (1). Textum ipsum evolvere et meliores electi libri glossas exponere jubebantur cursores, et prohibebantur quominus plus quam unicum legerent in una die capitulum (2). De cætero, in Biblia explananda tritos illos jam versiculos pro lege usurpabant :

Littera gesta docet, quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

Sacræ autem paginæ sensum tropologicum exponere nemini cursori fas erat.

Nono jam exacto anno (1375), Alliacenus tentamina de more imposita feliciter superans, *Sententiarius* evasit, et emisso juramento se accinxit ut Magistrum Sententiarum subtilibus ornaret commentis (3). Quatuor videlicet libros ediderat Petrus Lombardus, quos, ut doctrinæ sacræ compendium, omnes qui docendi licentiam consecuturi erant, publice evolvendos assumebant (4). Non integrum opus exposuit Alliacenus, sive quia alii baccalarii simul cum eo

(1) Cf. Ch. Thurot, *loc. cit.*, p. 139. — *Canticum Canticorum* tunc probabiliter evolvit, et commentis auxit, suum *Principium in cursu Bibliæ* et præsertim in Evangelium Marci lucubravit. Jam antea *Tractatum de anima* et *Commentarium super librum Boetii* scripserat (1372).—Cf. cap. I, secundæ partis hujus operis. — Ad id tempus referri etiam potest *Abbreviatio dialogorum Occam.*

(2) Ch. Thurot, *Ibid.*

(3) « Les règlements de la Faculté de Théologie montrent clairement que le baccalauréat n'était pas un grade, mais un état. En réalité ce terme signifiait apprentissage, l'apprentissage de la maîtrise. Le bachelier était celui qui n'était pas étudiant et qui n'était pas encore maître. Dans la Faculté de Théologie on distinguait trois degrés dans cet apprentissage de la maîtrise, qu'on appelait baccalauréat ; à ces trois degrés correspondaient trois classes de bacheliers : les *biblici ordinarii* et *cursores*, les *sententiarii* et les *formati*. Les bacheliers de la première classe étaient ordinairement trois ans avant de passer *sententiarii;* les *sententiarii* n'étaient *formati* qu'au bout d'un an. » Puis il fallait encore résider pendant trois ans à Paris, assister à tous les actes publics de la Faculté, faire des sermons et des conférences et répondre dans certaines disputes solennelles. » Ch. Thurot, *Ibid.*, pp. 137 et 149. — Cf. d'Argentré, *Coll. judic.*, t. II, p. 466. *Vetera Statuta.*

(4) *Ibid.*, p. 147.

docebant, sive quia de certis quæstionibus tantum a se vel a magistro electis sibi disputandum erat. Omnes Sententiarii publicum ponebant actum quem *principium* nuncupabant in initio cujusque libri; quod *principium* tribus continebatur partibus, *collatione* scilicet, propositionum *enuntiatione* et *disputatione* cum aliis Sententiariis (1). Quæstionum *in Sententias* curriculo rite impleto, *Baccalarii formati* dicebantur et per tres adhuc annos publicis omnibus Sacræ Facultatis exercitiis adstare jubebantur, antequam Licentiam adirent (2).

Tanta jam erat Alliaceni fama, ut vix subdiaconi ordine sacratus ad prædicandum coram sacerdotibus in synodo Ambianensi invitatus sit ab episcopo Joanne *de la Grange*. Quomodo sacerdotes induere justitiam debeant explanavit et unicuique sermonis parti, veterum Patrum more, mendorum sacerdotalis vitæ enumerationem simul ac gravem reprehensionem adjuxit. In synodo etiam Parisiensi prædicavit (3). Die festo sancti Ludovici Galliæ regis, anno 1377, officium solemne in Navarræ collegio celebrabatur. Dum Raymundus, Sanctæ Columbæ abbas, divina

(1) Cf. *Quæstiones magistri Petri de Alliaco super primum, tertium et quartum Sententiarum*, et caput V hujus theseos. « Les *principia* étaient élus le plus souvent d'avance. Les bacheliers se communiquaient par écrit leurs conclusions et leurs arguments. La forme de ces *principia* est rigoureusement syllogistique. On n'y trouve pas une phrase qui ne soit une conclusion, une proposition, un corollaire, une majeure, une mineure, ou une conséquence. La seule élégance oratoire que les bacheliers se permettent, c'est de rimer les énoncés des questions et les divisions qu'ils établissent dans les *collationes*.... On appliquait au texte de Pierre Lombard la méthode des questions : la discussion et la polémique tenaient donc une grande place dans ces leçons; elles avaient peu d'originalité; on exposait les opinions des docteurs célèbres; on les discutait avec grand appareil de distinctions et de syllogismes. Le principal but de ces leçons était de préparer les auditeurs à la dispute et de leur fournir des matériaux pour l'argumentation » Thurot, *loc. cit.*, pp. 145 et 146.

(2) *Ibid.*, p 149.

(3) Ilorum sermonum compendium invenies apud D. P. Tschackert, *Peter von Ailli, Appendix*, pp. 3 et 5.

mysteria perageret, Alliacenus, sacerdotio jam initiatus, collationem habuit (1). Ad hanc etiam ejus vitæ partem referri debet oratio (a. 1379), de sancto Dominico panegyrica (2). Quæ omnia, etsi certe genuinam ætatis junioris notam simul et consueta vitia præ se ferant, quantum tamen in dies laude creverit, quantamque spem apud omnes genuerit clare commonstrant.

Non tantum coram Ecclesiæ et regni principibus concionabatur, sed regis etiam ministris familiariter utebatur, quos sapientibus adjuvabat monitis et doctis erudiebat dissertationibus. Inter illos eminet Philippus a Maizeriis, Picardiæ vir nobilis, litterarum amantissimus, *consulari celsitudine* et *militari fortitudine* præpollens qui quum esset Carolo V regi ab intimis consiliis (3), quumque, non rebus tantum quæ ad litteras pertinent (4), sed præsertim iis quæ ad religionem spectant operam navaret, a Petro petiit et accepit epistolam ad *novos Hebræos*. Theologus enim quidam, cujus nomen ignoramus, in hieronymiana Scripturæ versione verum Bibliæ sensum muta-

(1) *Tractatus et Sermones*, 1490. — Cf. Launoy, Opp. omnia, t. IV, *Regii Navarræ Gymn. Paris. Historia*, p. 327.

(2) *Ibid.*, versus finem. — P. Tschackert, *op. cit.* Beilagen, p. 370. — Cf. cap., XII nostrum.

(3) « Ab ipso rege pensionem annuam habebat bis mille aureorum francorum, uti legitur in Chartis Cameræ ad annum 1378. — Officium Præsentationis Mariæ e Cypro in Galliam attulit et Gregorio Papæ ac Cardinalibus examinandum tradidit. » Bulæus, IV, *loc. cit.* 985. De isto Philippo, Cf. Monstrelet, *Chroniques*, pp. 89 et 119. (Edition Buchon.) — *Froissart, Étude littéraire sur le XIV*e *siècle*, auctore Kervyn de Lettenhove, t. I, p. 219.

(4) Hæc sunt ejus opera *Le songe du vieil pèlerin*; *Epistre du vieux solitaire, Épître lamentable et consolatoire sur la déconfiture du roi de Honguerie*. (Œuvres de Froissart, *Chroniques*, t. XVI, p. 444.) — *Histoire littéraire de la France*, t. XXIV, p. 73. — Kervyn de Lettenhove, *Froissart*, t. I, c. XI, p. 219. — *Histoire de Flandre*, t. IV, p. 104. — Illi etiam non absque gravibus rationibus tribuitur famosissimum « *Somnium Viridarii*. » Cf. caput nostrum X, versus finem. — Philippus ingressus est senex ordinem Cœlestinorum, in quo defunctus est anno 1405.

tum fuisse affirmabat. Eum confutare studuit Alliacenus in illa quam prudentiæ Philippi corrigendam epistola porrigit (1).

Anno 1380, coram Cancellario et theologiæ magistris, tentamen ad gradum Licentiatus feliciter superavit (2), cum novem aliis qui eodem die eamdem dignitatem adepti sunt, et quorum nomina tradit Bulæus (3). Jurejurando consueto emisso, celebrem hanc formulam ex ore Cancellarii audivit : *Ego auctoritate apostolica do tibi licentiam legendi, regendi, disputandi, in sacra theologiæ Facultate hic et ubique terrarum, in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen* (4).

Licentia docendi auctus, incubuit Petrus in solemnes illos actus præparandos quibus aditus in magistrorum corpus patebat, et qui *Vesperiæ*, *Aulica* et *Resumpta* nuncupari solebant.

Annos triginta natus, rude donatus fuit, id est laurea et decore Magisterii cohonestatus (11 apr. 1380). Non ad tentandum junioris magistri ingenium præviæ Doctoratus disputationes instituebantur, sed ad laudem ejus promovendam ; nam, ut ait ipse Alliacenus,

« *Magisterium* non est, ultra Licentiam prædictam, aliqua auctoritas *spiritualis*, sed solum quidam honor, seu quidam honoris gradus *politicus* vel *civilis* ; unde Magisterium hujusmodi se habet ad Licentiam, sicut nuptiæ ad sacramentum

(1) Cf. P. Tschackert, *Peter von Ailli, Appendix*, p. 7, et capitulum XIII hujus operis.

(2) « L'examen de licence n'était pas public ; le chancelier et les maîtres y assistaient seuls. Le chancelier argumentait contre le candidat.... Cet examen n'était qu'une pure formalité. Le bachelier qui avait fait son temps et soutenu tous les actes était considéré comme ayant droit par cela seul à la licence. » Ch. Thurot, *loc. cit.*, p. 153.

(3) Bulæus, *Hist. Univ. Paris.*, t. IV, p. 979.

(4) In opp. Gersonii, *De examinatione doctrinarum*, t. I, p. 10.

matrimonii. Et licet hujusmodi sacramentum sit spirituale, non tamen hujusmodi nuptiæ; sed sunt quædam solemnitas ad honorem et decorem sacramenti (1). »

Quæstio quam in suis *Vesperiis* explanandam suscepit hæc erat : *Utrum Petri Ecclesia lege reguletur* (2)? In hoc publico et solemni actu, magister qui præerat, rationes pro vera solutione militantes simulque contradictoria argumenta primus exponebat. Licentiatus, seu *magisteriandus* uti tunc aiebant (3), rem dirimebat, et seriem distinctionum, conclusionum ac propositionum correlativarum texebat. Post objectiones a tribus doctoribus propositas, *magistrandus* laudes prolytæ decantabat et actui finem imponebat.

Secundus actus in aula episcopi perficiebatur, inde nomen *Aulicæ* cærimonia sumpserat. Si juxta consuetum morem receptus fuit Alliacenus, doctorale birretum imposuit Cancellarius in capite licentiati magisteriandi, dicens : *Incipiatis in nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti.* Deinde suam quæstionem : *Utrum Christi dono gerens potestatem solum in hominibus juste dominetur*? evolvit Doctor noster (4). Tres conclusiones cum tribus corollariis explicuit et post varias disputationes cum tribus magistris, res conclusa fuit. Tunc extollens vocem Cancellarius per hanc vel fere similem formulam *magisteriandum* excepit :

« Ulterius consideratis forma, facundia, modo legendi et aliis grandium virtutum exemplis quibus divina Providentia ipsum (Petrum de Alliaco) illustravit.... habilem et idoneum ad honorem et insignia doctoratus habendum pronuntiamus,

(1) In opp. Gersonii, t. II, p. 769.

(2) *Ibid.*, t. I, p. 662 seqq.

(3) « *Magisteriandus*, i. e. academica laurea donandus; *magistrandus*, qui in eo casu præsidet. » Ducange, *Glossarium mediæ et infimæ latinitatis*, edit. Didot, 1842, t. IV, p. 181.

(4) In opp. Gersonii, t. I, p. 641 et seqq.

decernimus et declaramus; ipsum doctorem facimus, solemniter creamus et ordinamus per præsentes. Plenam potestatem, auctoritatem et facultatem cathedram magistralem ascendendi, in eademque et aliis quibuscumque scholis et locis legendi, disputandi, interpretandi et glosandi, docendi et quodlibet terminandi, ac alia faciendi quæ doctores in quacumque universitate sive loco, de jure et consuetudine facere et dicere possunt sive possent (1). »

Quum incipiebat scholaris annus, recenter creatus magister, per actum quem *Resumptam* vocabant prælectiones suas ordiebatur. *Resumpta* vocabatur, quia novus doctor rem quam in *Aulica* jam tractaverat « *rursum sumere* » debebat, et omnibus antea propositis difficultatibus respondere. De hac quæstione disseruit in sua *Resumpta* Alliacenus: *Utrum Petri Ecclesia rege gubernetur, lege reguletur, fide confirmetur, jure dominetur* (2)?

De his omnibus disputationibus quæ non absque mendis sunt, fusius et per partes infra disseremus.

IV

Magisterii honore in Academia Parisiensi decoratus, jam crescentibus fama et auctoritate, publice loqui et scribere

(1) Hanc veterem formulam invenimus in opere inscripto : *Liber instrumentorum perutilium,* (Lovan. 1483), quod persæpe Alliaceno fuit tributum, licet ab alio indubitanter fuerit exaratum.

(2) *In opp. Gersonii,* t. I, p. 672 et seqq. De hac ratione gradus conferendi lege. Thurot, *loc. cit.*, p. 154, et d'Achery, *Statuta Academiæ Parisiensis*, in *Spicil.* (edit. Paris., 1723), t. III, p. 735.

Ad id tempus referri solent Alliaceni opusculum quod titulum fert: *Recommendatio Scripturæ sacræ,* (in opp. Gersonii, t. I, col. 603) et dissertatio cui titulus est : *Utrum indoctus in jure divino possit juste præesse?* (*ibid.*, col. 646.) Finis hujus libelli, qualis apud Ellies Dupin legitur, fuit additus post Pisanam Synodum, ait P. Tschackert, *Peter von Ailli,* Beilagen, III, p. 370.

de rebus Ecclesiæ universalibus incepit Petrus, operarium non quidem inconfusibilem, sed omnino strenuum se exhibens (1).

Ei enim et omnibus catholicis dolori erat nefandum illud schisma quod Ecclesiam latinam in duas dividebat partes, cujus rei exordium et causas in memoriam lectoris revocare liceat.

Anno 1378 e vivis excesserat Gregorius Papa XI, et mense aprili ipsi suffectus fuerat Bartholomæus Prignano, Bariensis archiepiscopus, qui Urbani VI nomen sibi fecit, Romæque remansit (2). Ab omnibus tunc Sacri Collegii membris, uti verus Summus Pontifex agnitus est (3). Attamen mense augusto ejusdem anni, sexdecim cardinales, Galli fere omnes, Robertum Gebennensem, olim canonicum et antistitem Cameracensem elegerunt, qui nomen Clementis VII suscepit quique Avenione sedit (4).

(1) « Les maîtres (en théologie) devaient faire des sermons et des leçons, et soutenir périodiquement des argumentations, les uns contre les autres.... Les maîtres ne faisaient pas de cours suivi ; ils abandonnaient l'enseignement régulier aux *Biblici* et aux *Sententiarii*. Ils ne faisaient sans doute leçon que sur la question qu'ils devaient discuter dans une prochaine argumentation.... La maîtrise en théologie était une sorte de canonicat. Outre les présents qu'ils recevaient des bacheliers licenciés, lors de leurs actes, ils percevaient par an 25 s. à titre de droit d'assistance aux affaires de la Faculté. Ils possédaient habituellement plusieurs bénéfices ; mais les séculiers n'y résidaient pas ; ils aimaient mieux résider à Paris.... Ainsi la Faculté de Théologie, au lieu d'être un Séminaire, était plutôt une Académie. » Ch. Thurot, *loc. cit.*, p. 158.

(2) Suam opinionem de schismatis causa aperit Alliacenus in secunda epistola ad Joannem XXIII, (in opp. Gersonii, t. I, col. 882), in libello cui titulus : *Capita agendorum* (apud Von der Hardt, *Rerum Conc. œcum. Constant.* t. I, p. 506), et in tractatu *de reformatione Ecclesiæ*, (apud eumdem, *ibid*, p. 145) Urbani VI legitimæ electioni non contradicit. Rationes æqua lance probabiles pro utraque parte admittere videtur. (Cf. *Apologia Conc. Pisani*, apud Tschackert, *Appendix*, p. 32.)

(3) Rayn. 1378. 17-19. — Bulæus, *Hist. Univ. Paris.*, t. IV, p. 463.

(4) De istis omnibus cf. Christinam de Pisan, *Le livre des fais du sage roy Charles*, 3e partie, (*Collection de Mémoires relatifs à l'histoire de France*, 1re série. t. VI, p. 105 et seqq). *Le livre des fais du mareschal de Boucicaut*, (*loc. cit.*, t. VII, p. 110). Cf. etiam litteras Pilei de Prata, archiepiscopi

Avenionensem Pontificem uti legitimum Papam Gallia salutavit, sic jubente Carolo V, qui Parisiensem Universitatem uti servam secum perduxit. Gallos imitati sunt Scoti, Castellani, Navarrenses et Neapolitani; reliquis Ecclesiæ filiis Urbanum VI venerantibus. In hoc graviter erravit Carolus rex qui, politicis rationibus ductus, Ecclesiæ vestem scidit, schisma lamentabile fovit, et gallicum Papam tanquam merum sui eleemosynarium habere intendit. At hæc divisio, propter regis regnique bonum incœpta, plurima mala intulit utrique. Flandriam enim a Gallia repulit, et Anglis tunc Galliæ infensissimis nova subministravit arma. Non tantum Universitati cujus gloria prorsus obtenebrata fuit, non tantum Ecclesiæ quæ, ni divina esset, tunc ingruentibus undique periculorum fluctibus submersa fuisset, sed et toti gallicæ genti schisma nefandæ cujusque pestis fuit fomes.

Per totum vitæ decursum Alliacenus maxima miserabilis hujus divisionis extinguendæ cupidine flagravit, et hunc nobilem scopum improbo jugiter labore prosecutus est. Doctor vix renuntiatus, plura et indubia sui studii erga Ecclesiæ pacem argumenta protinus suppeditavit.

Quum jam in eo esset Carolus V ut e vivis raperetur, publice petiit ut Concilium quoddam generale congregaretur, ad pontificiam litem dirimendam (1). At Dux Andegavensis, regis patruus, qui uti regens, post ejus mortem gubernavit, instigantibus Avenionensibus et avaritia ductus,

Ravennatis ad Ludovicum Comitem Flandriæ, apud Acherii *Spicil.*, t. III, p. 743. (Edit. Paris. 1723.) — Martène et Durand, *Veterum script. et monum. amplissima collectio*, t. VII. p. 425 et seqq. — Bulæum, *Hist. Univ. Paris.*, t. IV, p. 468. — Baluze, *Vitæ Paparum Avenion.* t. I, p. 486. (Edit. 1693). — Christophe, *Histoire de la Papauté au XIVe siècle*, t. III, p. 354. — Muratori, *Rerum italic. Scriptores*, t. III, 2 p., p. 718.

(1) Cf. Christinam de Pisan, *loc. cit.*, 3a p., cap. 62, et Bulæum, *loc. cit.*, t. V, p. 35.

hanc convocationem impedivit. Coram eo Alliacenus, tunc a magisterio recens, impavidus stetit, et totius Academiæ nomine orationem habuit (1381), in qua *Concilium generale* remedium esse necessarium probavit ad componenda Urbanum inter et Clementem dissidia, et ad restituendam Ecclesiæ pacem (1). Eo clarius enituit sermonis et oratoris virtus, quod flagrantissimum esset Ducis erga Pontificem Avenionensem studium, et ardentissimus ejus contra generalem synodum zelus. Jam enim insignem theologiæ doctorem, Joannem Roncium (2), in Castelleti carcerem conjecerat, Universitatemque Scholarium et Magistrorum vastarat (3).

Ut fusius et efficacius Concilii necessitatem ostenderet Petrus, duo composuit opuscula quorum prius titulum habet : *Epistola diaboli Leviathan*. Fingit quippe diabolum sub nomine Leviathan litteras ad omnes subditos mittentem ut Ecclesiæ Christi unitatem magis atque magis scindant, et schisma firmum asservent (4).

« Sicut olim dicebant : Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ; sic et nunc per eorum pigram solli-

(1) *Apologia Concilii Pisani*. Quod Alliaceni opusculum recenter a D[re] P. Tschackert, typis mandatus fuit. *Peter von Ailli, Appendix*, p. 37. — Textum ipsum istius orationis coram Duce Andegavensi apud nullum auctorem coævum, nec in ulla bibliotheca invenire potuimus.

(2) *Chronic. Car. VI*, L. II, c. 2, t. I, p. 86. — Bulæus, *loc. cit.*, t. IV, p. 583. — *Annales Roberti Gaguini*, L. IX.

(3) Cf. de illo universo argumento Henricum de Langenstein seu de Hassia, in dialogo quem *Consilium* vel *Epistolam pacis* eodem anno inscripsit, in quo, adductis utriusque partis momentis, hoc unum concludit, scilicet litem esse obscuram et in concilio generali agitandam simulque definiendam. In opp. Gersonii, t. II, p. 813 et seqq. — Item ipsum Gersonium, t. II, p. 73 (à 1403). — Joannem de Varennis, *Epistola ad Benedictum XIII, de tollendo schismate*, in opp. Gers., t. II, col. 856. — Cf. etiam Bulæum, *loc. cit.*, t. IV, p. 574.

(4) Non tunc primum artificiosa hæc fictio usurpata fuit. Anno 1351, *Epistola Luciferi ad malos principes ecclesiasticos* scripta fuerat, (*Hist. litt. de la France*, t. XXIV, p. 34), quæ pluries a Protestantibus typis mandata fuit.

citudinem et simultatem dicitur : Ego sum Urbani, ego sum Clementis, ego vero futuri concilii generalis, ego arbitralis concordiæ, ego resignationis utriusque, ego talis domini, ego talis regis, ego talis commodi, ego tantorum beneficiorum obtentorum a tali (1). »

Ita descripto intestino Ecclesiæ bello, Satanas, Scripturæ verbis utens, emphatice adhortatur milites ut opprimant sapienter eos qui generale concilium commendant, utque regnum Ecclesiæ jam in se divisum bellorum turbine jugiter desoletur. Simul, pari zelo et eloquentia pari, *verba Ezechielis adversus pseudopastores* qui semetipsos pascunt assumit, eosque vehementer corripere non dubitat Alliacenus :

« Lac et lanam, ex ovibus sumunt, et quod crassum est occidunt. Apud eos theologia quasi sentilogia, et doctores catholici velut phantastici spernuntur, lex Constantini ultra legem Christi, et decreta Gratiani supra præcepta Domini coluntur. »

Optat toto cordis affectu pastorem bonum

« Qui bonos diligat, malos premat; qui gregis superbiam non diligat, nec gregis curam negligat; qui non seipsum solum, sed et gregem suum pascat; qui non quæ sua sunt aut quæ sua non sunt quærat, sed quæ Jesu Christi. Sed quis hic? et laudabimus eum. Unde hic? et occurremus ei (3). »

His affectus erat curis, quum, forsan iracundiam Ducis Andegavensis timens, Novioduni Belgarum ubi recens canonicus creatus fuerat se recepit. Ibi annis fere tribus remansit, omnes canonici partes implevit (3), probabiliterque opuscula superius commemorata lucubravit.

(1) P. Tschackert, *loc. cit., Appendix*, pp. 15, 19 et 22. — Item in opp. Gersonii, t. II, coll. 40 et 87.

(2) Tschackert, *loc. cit.*, p. 12. Satyricam hanc orationem non scripsit Petrus anno 1390, uti falso opinatur Dinaux, (*Notice historique et littéraire sur le Cardinal P. d'Ailly*, p. 99.

(3) Launoy, *loc. cit.*, p. 508. « Il fut ensuite pourvu de la chantrerie de cette église de Noyon, le 13 janvier 1386. » (D. Grenier, *loc. cit.*, p. 900.)

Interea *Simon Freron* Gymnasii Navarræ regimen derelinquere jussus est, ex ipsis legibus fundationis, quibus sancitum fuerat ut Collegii Rector officium suum alteri cederet, si aliud majorum redituum munus nancisceretur (1). Illi successit, ex senatus consulto, *Laurentius Chavangius* in cujus locum, post aliquot annos, suffectus est Alliacenus Novioduno redux.

V

Præses simul et magister eximius tunc Alliacenus. Bono convictorum ordini invigilans, novas Collegii Navarrici regulas condidit, et domum meliori quo potuit modo amplificavit (2).

Sermonibus etiam atque disputationibus animos alumnorum instituebat et effingebat optime. Ad id nempe tempus referri videntur nonnullæ dissertationes quas in Sorbona vel in Collegio evolvit has præsertim : *Utrum creaturæ rationalis conscientia erronea aliquem ejus actum excusare possit a culpa* (3)? — *De tribus suppositis in una natura* (4); — *Utrum Trinitas personarum in una natura creaturæ sit incommunicabilis?* — *Quæstio de reprehensione Petri a Paulo.* Orationes etiam et biblicas lucubrationes edidit, quæ ad

(1) Cf. Testaments des rois et reines de France, Bibl. nat. mss. 140, f° 91 et seqq.

(2) « Il fit élever du côté du nord un corps de bâtiment pour être distribué en 12 chambres, lequel bâtiment est nommé le *Quartier d'Ailly* dans les anciens registres du collège. » D. Grenier, *loc. cit.* p. 900. — André Thevet, *Pourtraits et vies des hommes illustres*, p. 508. — Von der Hardt, *Rerum Conc. œcum. Constant.* t. I, p. 481.

(3) In Sorbona, juxta Bulæum, *loc. cit.*

(4) Cf. etiam Bulæum, *ibid.*

hanc vitæ periodum pertinere creduntur, quamvis de anno quo scriptæ sint nihil certum afferre valeant critici.

Inter theologiæ alumnos quos ita erudivit Petrus, duo præsertim, propter animosam erga magistrum devotionem, necnon et propter egregium quod sibi compararunt nomen speciatim commemorandi sunt.

Primus eminet *Joannes Charlerius de Gersonio,* qui plures magni momenti libros tam in scholastica quam in morali et mystica theologia scripsit. Singulari amicitia, miraque opinionum et laborum concordia, Alliaceno magistro junctus est, et pro pace Ecclesiæ, tam in secundis quam in adversis rebus, instanti conatu certatim enisi sunt ambo (1).

Alter est *Nicolaus de Clamengiis,* canonicus olim Insulanus, qui arte bene et facunde dicendi præsertim emicuit, nec tamen rerum theologicarum imperitus evasit. Si sermonis ubertatem et sententiarum sublimitatem consideres, eum uti Sadoleti præcursorem et forsitan victorem, judicabis (2).

Quosdam libros a se scriptos et exarata carmina Alliaceno magistro simul et amico dicarunt Joannes et Nicolaus (3); et ad extremum usque vitæ spiritum cardinali Came-

(1) Cf. Launoy, *Opp. omnia,* t. IV, *Regii Navarræ Gymn. Paris. Historia,* p. 515.

(2) *Ibid.,* p. 555. — Cf. Bulæum, *loc. cit.,* t. V, p. 908. — Cf. etiam ipsius Clamengii epit. IV, ad Galeotum de Petra Mala Cardinalem. — Juxta Andream Thevet. « Gerson appelle d'Ailly son Maistre Mécénas, fauteur et promoteur, lui donne plusieurs titres de louange, et l'appelle clarté très luisante et l'escole de théologie, et vieil routier es difficultés des sainctes escriptures. » *Pourtraits et vies des hommes illustres,* par A. Thevet, p. 508. (Edit. 1584.)

(3) Libellum suum *de vita spirituali animæ* « magistro suo et patri qui licentiatum eum fecerat quique magistralibus insigniis decoraverat, » dedicatum voluit Gersonius, t. III, p. 3 et 4. Eum vicissim vocat Alliacenus « venerabilem et carissimum socium suum ». *Sermo factus in synodo Cameracensi, Tractatus et Sermones.* Cf. etiam *Carmen ad Petrum de Alliaco,* in opp. Gersonii, t. IV, p. 789. — Nicolaus opusculum suum *de fructu eremi* Petro nostro etiam obtulit. Ambo plures litteras eidem miserunt.

racensi in utraque fortuna fideles, pari amicitia parique gloria conspicui fuerunt, ita ut de iis scripti videantur versiculi quos olim de Servatio Lupo et de Haimone Heiricus monachus dictaverat :

Humanis alter, divinis calluit alter,
Excellens titulis clarus uterque suis (1).

VI

Alliaceni tunc fama et auctoritas a nonnullis impetitæ sunt. Joannes de Trelon de Malincuria, paulo antea (an. 1366) Rector Universitatis electus, et Sanctæ Genovefæ Procancellarius, Petrum vento fortunæ omnia vela tradentem conspiciens et invidia correptus, verba injuriam redolentia in eum protulit. Coram Facultate Artium superbæ procacitatis insimulatus, multis adstantibus magistris, veniam postulavit, « si in hoc aliqualiter offenderat dictum Magistrum Petrum (2). »

At sævior mox exorta est tempestas. Joannes Blanchard, qui Cameraci (3) et Tornaci olim canonicus fuerat, tunc Cancellarius Parisiensis Studii existebat. Ipse autem despectis omnibus constitutionibus et floccifactis academicis decretis, pecuniam a licentiandis exegit, non jam, uti aiebat, pro gradu obtinendo, sed pro pœna, expensa et labore. Quum Studium Generale exactionem hanc repulisset et ad-

(1) Cf. Hauréau, *Histoire de la philosophie scolastique*, t. I, p. 181. — Hi versus leguntur in ms. lat. 8818 Bibl. nation. cui titulus est : *Excerpta e variis scriptoribus ab Heirico monacho.*

(2) Cf. Bulæum, *loc. cit.*, t. IV, p. 971. — Dinaux, *Notice hist. et litt.*, p. 22.

(3) Iste Joannes anno 1379 receptus est canonicus; fuit thesaurarius Cathedralis Ecclesiæ Cameracensis anno 1381, et vita functus est anno 1393.

versus eum querelas coram Papa movisset, ad Senatum Parisiensem totam rem detulit Cancellarius (1). At regni Concilium, auditis ex utraque parte oratoribus, litem dirimere noluit, et promisit tantum se oblocuturum Cardinali Laudunensi, qui a Summo Pontifice ad dissidia componenda delegatus fuerat (2).

Primus omnium adversus Joannem certamen iniit Alliacenus, et nemo fuit ad detegendam Cancellarii avaritiam ipso acutior, nemo ad profligandam alacrior. Duos tractatus hac de re scripsit, quia, ut ipse ait :

« Cupiditas, quamvis in singulis sit detestabilis, singulariter tamen in ecclesiasticis viris. Nihil tam asperum tamque perniciosum, quam si vir ecclesiasticus, maxime qui sublimem tenet locum, divitiis studeat, quia non solum sibi ipsi sed cæteris hominibus obest... Nunc tamen, proh dolor ! his novissimis temporibus, hæc radix pessima palmites suos tam periculose diffudit, ut non solum rurales agros, sed etiam agrum scientiæ purgatissimum, ipsum scilicet vernale Universitatis Parisiensis Collegium, fraudulenter occupaverit, ipsiusque fructus uberrimos impedire nisa sit. Nam quidam, ut fama refert, in ea per cupiditatem erravit a fide, qui per avaritiam, non solum gratuita scientiæ dona, scientiarum gradus liberrimos, pecunia venales efficit, sed etiam, ut suum excuset errorem, contra fidei veritatem quosdam injustos hujus avaritiæ et venalitatis modos, tanquam licitos et honestos approbare conatur. Huic itaque erroneæ opinioni occurrendum fore existimavi; et ideo præsens opus, licet improportionatum meis viribus,

(1) Cf. Bulæum, *loc. cit.*, t. IV, p. 605 et seqq. — *Tractatum* I *adv. Cancell. Paris.* In opp. Gersonii, t. I, col. 733. — De J. Blanchard, cf. D. Felibien, *Histoire de Paris*, t. II, p. 699; — Crevier, *Histoire de l'Université de Paris*, t. III, p. 66. — Hac de re lege etiam C. Jourdain, *Index chronol. chartarum pertinentium ad historiam Univers. Paris.*, p. 185.

(2) « Finalement parties ouyes en expliquant et dupliquant, appointé est que les parties escriront par manière de mémoire, et verra la Cour la Complainte, les Bulles et autres lettres de ceux de l'Université, et commettra quelqu'un de la Cour pour parler au Cardinal de Laon du procès en cour de Rome.... » (Bulæus, *loc. cit.*, p. 114.)

assumere dignum duxi. Ad hoc autem triplex me ratio impulit : primo, zelus veritatis; secundo, obedientia Matris meæ Universitatis; tertio, causa exercitii et propriæ eruditionis (1). »

His dictis, ita proponit argumentum :

« Utrum hæreticum sit dicere, quod liceat pro docendi licentia pecuniam dare vel recipere (2). »

Et scholastico more procedens, tres evincere satagit propositiones :

« 1° Dare vel recipere pecuniam pro licentia docendi theologiam est proprie simoniacum; 2° Est contra jus naturale et divinum; 3° Dicere quod sic dare vel recipere est licitum est hæreticum. »

His tribus comprobatis, quasdam fraudulentas cavillationes et sophisticas responsiones adversæ partis confutat (3). Postea quæstionem resumere coactus, probationes priores roboravit, et confutavit mirabile prorsus placitum alterius magistri qui dixerat :

« Peccatum Simonis, unde simonia nomen accepit, solum fuit hoc quod voluit habere Spiritum Sanctum *ut venderet aliis ;* et non in hoc quod voluit dare temporalia sua pro habendo Spiritum Sanctum (4). »

Hanc opinionem astuta calliditate deridet Alliacenus, referens illud Persii satyricum :

Folle premis ventos, et clauso murmure raucus,
Nescio quid tecum grave cornicaris inepte (5).

Intonat insuper adversus eos qui :

« Nescio quo zelo ducti, ferventi animo contra Matrem

(1) In opp. Gersonii, t. I, col. 723.

(2) *Ibid.*, col. 725.

(3) *Ibid.*, col. 743.

(4) *Ibid.*, col. 754.

(5) Sat. V, *De vera libertate.*

Universitatem pro ejus adversario veritatem persequuntur... et qui in angulis murmurant contra veritatem declarationem (1). »

Ipsius Joannis Blanchard argumenta insuper destruit, et commemorans D. Thomam, Cardinalem Ostiensem, Raymundum (2), Innocentium III, etc., eum sub gravi auctoritatum mole pressum obterit. Non tantum ex concordi Generalis Studii deliberatione deputatus fuit Alliacenus ad hanc causam coram Parlamento defendendam (3), sed Avenione coram Clemente VII lites illas peroravit. Sub hoc textu : *Domine, vim patior,* Universitatem loquentem introducit, quæ zelum suum pro veritate contra hæresim, necnon et devotionem erga Avenionensem Pontificem ostentat. Et pergit :

« Universitas declarationem seu adhæsionem suam sanctam et justam per diversas mundi partes publicavit, et, quod in recenti memoria est, nunc etiam proprios et deputatos solemnes ad sedationem schismatis in Flandriam delegavit (4). Sed quod his omnibus majus est et ad perpetuam Vestri Nominis memoriam, nunc sub Vestræ Sanctitatis auctoritate generaliter in omnibus suis privilegiis et statutis reformari desiderat, et ad hoc totis viribus humiliter se disponit.... Ut autem immortalis

(1) *Ibid.*, col. 756.

(2) Raymundum de Pennafort, qui *Summam Casuum Pœnitentiæ* scripsit, an. 1275. Eum sub nomine *Ray* jugiter refert Alliacenus.

(3) In opp. Gersonii, t. I, col. 724.

(4) Hic agitur absque dubio de concilio quod Insulis convocandum erat ab episcopis Galliæ et Flandriæ. Duces Bituricensis et Burgundiensis litteras ad Universitatem miserunt ut legatos ex omnibus Facultatibus et Nationibus ad hanc synodum destinaret, et ut Flandros Urbano faventes ad Clementis partes adduceret. (Bulæus, *Hist. Univ. Paris.* t. IV. p. 603.) Quæ synodus propter bella tunc undique furentia non potuit congregari. Ne mentionem quidem hujus concilii apud coævos historicos invenimus, nec ullum de hac re documentum indigitatur in libro qui inscribitur : *Collection des inventaires sommaires des archives départementales.* (1re partie, *Archiv. civ.*, t. 1er, Série B.)

est veritas, sic, teste Francisco poeta laureato (1), fictio et mendacium non durant (2). »

Inter manus Clementis et trium Cardinalium ad dirimendam causam delectorum (3) se humiliter remittit, hæc ad Summum Pontificem dicens : « Filia vestra injuste accusatur, et in causam vocatur ab illo quem prius justo accusare potuerat (4). » Recta judicia exercuit Summus Pontifex; Cancellarius avaritia illectus (5) damnatus est, et gratuito prorsus baccalarios ad Licentiam recipere debuit. Ita causam vicit Alliacenus; sibi laudem, Studio Generali justitiam, pauperibus alumnis adminiculum, et Joanni vituperium obtinens.

VII

Anno 1387, novum et acrius schisma in scholis Parisiensibus nascitur. Magister Joannes de Montesono, ordinis Prædicatorum, natione Catalaunus et sacræ theologiæ doctor, in suis Vesperiis et Resumpta necnon et in quotidianis lectionibus, heteroclitas de Incarnatione, de persona Christi, de ente necessario ac præsertim de immaculato Beatæ

(1) Petrarcha qui Avenione floruit, quique anno 1374 e vivis excessit.

(2) Textus lege apud P. Tschackert, *Peter von Ailli, Appendix*. p. 24. Illos assumpsit ex eod. ms. Bibl. Collegii Emmanuelis Cantabrigiensis, n. I, a. 14.

(3) Cardinales Scotiæ, Laudunensis et Luxemburgensis.

(4) *Ibid.*

(5) *Tractatus adversus Cancellarium Parisiensem, Joannem Blanchard :* « J. Blanchard réclamait ces honoraires afin que ces ressources lui permissent d'avoir hostel au cloistre, mener estat, avoir sa maison entourée de beaux parements, et avoir clercs et serviteurs comme il appartient, et comme les autres Chanceliers ont eu. » Bulæus, *loc. cit.*, t. IV, p. 606. — Cf. Thurot, *loc. cit.*, p. 157.

Mariæ Conceptu opiniones defendit, quibus plurium aures et animi offenderentur. Duodecim magistri a Facultate deputati propositiones decem et quatuor hujus Doctoris ad theologorum judicium detulerunt (1). Quibus damnatis a Sacra Facultate, Rectore, et Episcopo, Joannes de Montesono « degener et viperinus Universitatis filius » ad Clementem VII Avenione degentem a sententia Parisiensi appellavit (2). Adjuvabatur enim suffragiis Fratrum Prædicatorum qui, in ea opinionum concertatione, doctrinam Divi Thomæ ab Alliaceno impugnari dictitabant (3).

Ad suam mentem propugnandam Academia Parisiensis quatuor doctores Avenionem misit, Alliacenum scilicet qui uti dux catervæ pro jure tuendo loqui debebat, Ægidium de Campis, Joannem de Novavilla bernarditam, et Petrum de Alainvilla benedictinum, quibus adjunctus est Gersonius, tunc simplex Baccalarius Cursor.

Illud præsertim catholicam plebem adversus Montesonum commovebat quod Immaculatam Virginis Conceptionem pertinaciter negaret, et idcirco factum est ut hæc quæstio, quasi incidenter ab illo primum prolata, mox principalior evaserit, et non populares tantum, sed omnes parisiensium theologorum animos inflammaverit. Hæc enim sempiterna est Generalis Studii gloria, ab affirmando Immaculatæ Conceptionis privilegio numquam destitisse, et ejus definitioni, quæ nostris diebus pronuntiata est, vias, media rationesque a longinquo subministrasse (4).

(1) In opp. Gersonii, t. I, coll. 693 et 713. — D'Argentré, *Coll. jud.* t. I, § II, p. 88. — Launoy, *loc. cit.*, t. IV, l. I, p. 118.

(2) Juvénal des Ursins, *Hist. de Charles VI*, in collectione quæ titulum habet : Panthéôn littéraire, *Choix de Chroniques*. Edit. Buchon, p. 360. — *Chronic. Car. VI*, l. VIII, c. 8, l. IX, c. 2 et 16. — Quetif et Echard, *Script. Ord. Prædic.*, t. I, p. 691.

(3) In opp. Gersonii, t. I, col. 696.

(4) Cf. multas damnationes a d'Argentré commemoratas, *Coll. jud.*, t. I,

Parisiis cum Joanne disputare noluerat Alliacenus (1). Avenione autem, in conspectu Clementis et Cardinalium (1388) duas conciones habuit: in quarum priori, magno cum apparatu et nimia emphasi, fidem introducit proloquentem et querelas de Montesono edentem. Exoptat orator ut Summus Pontifex *clementem* et benignum se exhibeat, publicam et solemnem in suo Consistorio audientiam concedat, et denique, audita causa, brevem atque expeditam justitiam reddat (2). In posteriori vero propositionem elicit contra Joannem. Nomine totius Universitatis, protestatur imprimis de communi erga Pontificem reverentia. Nihil contra honorem S. Thomæ Aquinatis asserere intendit, immo nihil contra ipsum Joannem quod contumeliam redoleat, « sed solum adversus illum illa proponere quæ sunt ad causam fidei et catholicæ justitiæ fulcimentum (3). » Adversarium speciali modo refellere præsumit ex dictis ipsius sancti Thomæ, ut sic ille « qui ejus doctrinam sequi et defendere false et inaniter gloriatur, convincatur evidentius et velut alter Goliath proprio gladio juguletur (4). »

Quum pietatis simul ac veritatis zelus eum incenderet,

pp. 331, 342, 348 et passim; — P. Aureolum, *De Conceptione Virginis*, Ms. bibl. Atrebatensis, 400.— Henricum de Hassia, *Adv. J. de Montesono, de Conceptione*. (Fabric. III, p. 203); — J. Gersonium, t. II, col. 287; t. III, coll. 1317 et 1330 ad 1345. — Cf. etiam Bossuetium, 1er *Sermon pour la fête de la Conception de la Ste Vierge*, et Roskovany, *De Imm. Conc.* t. I. p. 259. — t. VIII. p. 4; — Malou. *L'Imm. Conc.*, t. I, p. 56. — In Nation. Archiv. vidimus recantationem Fr. Jac. Dubois, in tribus Catalauni ecclesiis, eo quod propositiones adversus B. M. Conceptionem publice propalasset. (31 dec. 1352.) *Archiv. nation.* M. 67 b. n° 47.

(1) *Archiv. nation.* 13 juin 1387. Acte du refus de P. d'Ailly et de plusieurs autres docteurs de la Faculté de théologie de l'Université de Paris de disputer, comme le demandait J. de Montson, sur des propositions malsonnantes qu'il avait avancées dans sa Resumpte. (M. 67 b. n° 49.)

(2) In opp. Gersonii, t. I, col. 700.

(3) *Ibid.*, col. 703.

(4) *Ibid.*, col. 708.

post tres colluctationis dies causam obtinere visus est (1). Etenim Summus Pontifex Joannem prohibuit ne curia excederet, donec negotio ex auctoritate Sedis Apostolicæ finis esset impositus. At ille, quum infaustum litis eventum jure pertimesceret, Avenione clam aufugit in Arragoniam. Clemens igitur causam tribus commisit cardinalibus, Guidoni card. Prænestino, Leonardo card. Sancti-Sixti, et Amelino card. Sancti-Eusebii, qui Montesonum judicarunt contumacem et excommunicatum pronuntiarunt; eosque omnes qui ejus errores defenderent eodem ictu perculerunt (2).

Requirente Studio, statim (17 mart. 1389) propalavit Avenionensem sententiam Parisiensis officialis (3). Idcirco nonnulli inter eos qui Joannis placita verbo vel scripto evincere sategerant, ea abnuere coram populo jussi sunt. Solemnem hanc palinodiam coram Rege et Academia canere coactus est Gulielmus de Valone, O. PR. et Ebroicencis episcopus (4); quem secuti sunt Joannes Thomas (5),

(1) Ita de hac victoria scribit San-Dionysianus monachus: « Causam Beatæ Virginis sustinendo tantam famam sibi acquisierunt, ut quocumque se verterent, concluderetur a cunctis : Benedicenda es, Universitas, vitis dulciflua, quæ tales palmites procreasti! Nam revera, si qualitate personarum dignitates debite aptarentur, isti omnes *ad Cardinalatus gradum* merito assumerentur! » *Chronic. Caroli VI*, l. IX, c. 2, t. I, p. 154. Quod omen saltem pro Ægidio de Campis et pro Petro nostro non fefellit.

(2) 27 janv. 1389 (more romano.) Lettre de Gui évêque de Palestrina et des cardinaux prêtres Léonard du titre de s. Sixte et Amelin du titre de s. Eusèbe aux abbés, prieurs et gardiens des ordres religieux.... Ils rapportent les procédures faites à Avignon contre J. de Montson, à la poursuite des commissaires de l'Université de Paris au sujet des erreurs par lui manifestées, notamment contre l'Immaculée Conception, condamnées à Paris et dont il avait appelé au Pape. Les dits évêques et cardinaux commissaires prononcent contre le dit de Montson la peine d'excommunication aggravée : « ita ut igne et aqua interdiceretur. » Original sur parchemin, *Archiv. nat.* M. 67 b, n° 53.

(3) Quem actum in Archiv. nation. vidimus, M. 67 b, n° 44. — Cf. d'Argentré, *Coll. jud.* t. I, § II, p. 147.

(4) *Archiv. nat., Ibid.*, n° 52. — Cf. Bulæum, *Hist. Univ. Paris.*, t. IV, p. 633.

(5) D'Argentré, *loc. cit.*, p. 132.

Gaufridus a sancto Martino (1), Joannes Ade (2), Joannes Nicolai (3), Petrus de Chaussays (4), et plures alii Fratres Prædicatores. Immo decrevit Universitas eos repellere qui damnationi Joannis addito jurejurando subscribere nollent, et omnes eos deinceps arcere qui doctrinam de Virgine intemerata profiteri recusarent. At, quum putarent Prædicatores hac censura D. Thomæ doctrinam impeti, juramentum proferre detrectarunt, et ideo per viginti quinque annos ab Academia Parisiensi exularunt, non sine magno suo et totius Studii detrimento. Quum exinde videret Academiam a multis lacessiri, lucubravit Alliacenus suam *Facultatis theologiæ apologiam contra Joannem de Montesono.* In quo eximio opere universam disputationem atque frequentes Joannis palinodias narrat, multas de approbatione librorum et de sanctorum erroribus regulas proponit, et ne nimis juretur in verba magistri vetat. (5).

Dum Avenione moraretur Petrus (1388), gravem habuit concionem in Septuagesima de officiis ecclesiasticorum, super hunc Matthæi textum : *Misit illos in vineam suam,* ubi clericorum mores acriter reprehendit (6).

Anno vero sequenti (1389), post damnationem Joannis de Montesono duas conciones coram Papa Clemente VII Avenione habuit, de Petro Luxemburgensi et de ejus beatificatione, quam quidem obtinere non potuit, sed quæ postea (1527) sub altero Clemente VII felicius successit (7)

(1) *Ibid.*, p. 138.

(2) *Ibid.*, p. 141 — Cf. Bulæum, *op. cit.*, t. IV, p. 643.

(3) *Ibid.*, p. 144.

(4) *Ibid.*, p. 141 — *Archiv. nation.*, M. 67 b, n° 45.

(5) Opusculum totum legitur apud d'Argentré, *Coll. jud.*, t. I, § II, p. 61 et seqq. Incompletum invenitur in opp. Gersonii, t. I, col. 709.

(6) *Tractatus et Sermones*, 1490.

(7) Vide tractatus illos apud Bulæum, *op. cit.*, t. IV, p. 651 et seqq., Ms. in Bibl. Cameracensi, p. 490. — Cf. etiam cap. XII hujus libri.

VIII

Eodem anno Parisius reversus, eligitur Cancellarius Universitatis post magistrum *Joannem de Guignicourt* (1), et magisterium Navarricæ domus abdicat, ei succedente Ægidio Campensi, Navarrico sodali, postea episcopo et cardinali. Tunc etiam Regis Caroli VI ab eleemosynis et a secretis conscientiæ factus est. Duobus post annis (1391), ad majorem Ecclesiæ Cameracensis Archidiaconatum evectus est (2), sub episcopo Andrea de Luxemburgo, cujus hæres aliquando evasurus erat.

Ejusdem circiter anni est *Libellus sacramentalis* (3) ad neo-presbyterum erudiendum lucubratus. Dum *Quæstiones in Sententias* (4) ad theoriam præsertim referuntur, *Libellus* ad praxim potius et parochorum usum ordinatur. Formam habet dialogi inter Petrum et Gulielmum; Petrus, uti discipulus, ineunte quovis capitulo quæstiones proponit; Gulielmus, magistri personam gerens, responsa reddit. — Sic incipit perutilis iste tractatus :

« Quoniam me sæpius rogasti, Petre, postquam sacerdotii

(1) De quo cf. Bulæum, *op. cit.*, p. 999; — Bourgeois du Chastenet, *Nouvelle histoire du Concile de Constance*, p. 229.

(2) « Nommé Archidiacre de Cambrai, il résigna la chantrerie de Noyon à P. Fauconnier, permuta son canonicat contre un canonicat de Saint-Clément de Compiègne et la chapelle de Sainte-Marguerite en l'église de Saint-Thomas du Louvre à Paris. » (D. Grenier, *Analecta juris pontificii*, 1876, p. 900.) Le bénéfice de Saint-Clément rappela le docteur dans sa patrie. Il y fit plusieurs acquisitions en 1392, et plusieurs largesses en 1399 et 1402. (*Ibid.*, col. 901.) « Pierre d'Ailly résigna son Archidiaconé de Cambrai en 1395, et fut remplacé par Gérard de Montaigu, depuis évêque de Poitiers et de Paris. » (Dr Le Glay, *Cameracum christianum*, p. 387.)

(3) *Libellus sacramentalis*, (Lovan. 1487, apud Ægidium van der Heerstraten, 92 fol. goth.) Quod opusculum Parisiis (Bibl. de l'Arsenal, n° 5396) pro me descripsit D. J. Garçon, scientiarum licentiatus.

(4) *Quæstiones super primum, tertium et quartum Sententiarum*, l. IV.

gradum et sacrum ordinem suscepisti, ut aliqua te de administratione sacramentorum edocerem, prout cedunt in usum sacerdotum parochialium, et quia sollicitum te video, consentiam tuæ caritati. Primitus tamen quæstiones propones, et quemadmodum a meis antecessoribus et sacris doctoribus didici, pro meo modulo ingenii cum Dei adjutorio respondebo, brevibusque verbis utar, causas dicendorum modicas ponendo, quas si scire cupias, ad sacros canones recurres, seu doctorum sententias atque scripta (1). »

PETRUS. Aliud non cupio, sed exemplari modo atque rudi, et prout spectant ad vulgi doctrinam quæro.

GULIELMUS. In nomine Domini Nostri Jesu Christi ex quo omnia sacramenta virtutem habent, pete. »

In capitulo XVI de Pœnitentia sic habet :

« PETRUS. De sacramento pœnitentiæ audire volo, quæ secunda tabula post naufragium dicitur; ideo rogo te ut circa eam diligenter intendas quia maxime est sacerdotibus curatis necessaria.

GULIELMUS. Multa sunt in illo sacramento quæ non potero declarare. Pete tamen quod vis et, prout potero, respondebo.

PETRUS. Quare dicitur pœnitentia secunda tabula, et quomodo est sacramentum primitus mihi dicas?

GULIELMUS. Pœnitentia dicitur secunda tabula secundum metaphoram, quia primum remedium mare transeuntibus est navis integra, ut in ea navigantes salventur; et secundum remedium post navem fractam est tabula navis, quæ adhærentes salvat simpliciter. Spiritualiter primum remedium hujus vitæ est baptismus, qui dicitur navis ad servandam integritatem; sed pœnitentia est secundum remedium, quæ integritatem perditam per peccatum mortale renovat ad salutem. Et ideo secunda tabula dicitur post naufragium peccati mortalis. »

Multa insuper tradit de materia et forma pœnitentiæ, de obligatione confitendi peccata mortalia omnia, etc.... Si pœnitens in necessitate extrema sit positus et sacerdotem

(1) Cf. libellum fere similem J. Gersonii, *Compendium Theologiæ*, Tr. III, *De septem sacr. Ecclesiæ*, Opp. t. I, col. 256.

præsto non habeat, culpas Deo vel etiam laico viro (1) recitet. — Versus mnemotechnicos Gulielmus discipulo tradit, ut facilius memoria teneat varios eleemosynæ spiritualis modos, et diversa matrimonii impedimenta. Tractatulo finem ita imponit :

« Igitur, Petre, paucula hæc quæ de septem sacramentis dicta sunt tibi sufficiant; propter majora, ad scripta fratris Thomæ et aliorum doctorum recurras. »

Quum ergo Alliacenus ætate provectior in Constantiensi Concilio petebat ut « in ecclesiis cathedralibus et notabilibus collegiatis, essent scribendi aliqui breves tractatus, et etiam in synodis publicandi.., de sacramentis, de modo confessionis et hujusmodi (2), » exemplum quod junior ipse tradiderat, renuntiare potuisset.

IX

Magnæ interea lites in Universitate Parisiensi iterum exortæ sunt. Petrus de Luna, cardinalis a Clemente VII creatus et brevi ad supremum Pontificatum evehendus, regi Carolo missus erat legatus ad componenda Ecclesiæ dissidia, vel potius ad illa in gratiam Avenionensis Pontificis, cui rex favebat, augenda.

(1) Ea opinio medio ævo satis communis fuit. Norunt omnes factum Joannis a Joinvilla : « Messires Gui d'Ybelin, connestables de Chypre, s'agenoilla encoste moy et se confessa à moy. Et je li dis : Je vous asol, de tel pooir que Diex m'a donnei. Mais quand je me levai d'ilec, il ne me souvint onques de chose que il m'eust dite ou racontée. » (*Vie de saint Louis*, n° 355). Item Bayardum in extremo vitæ discrimine laborantem proprio scutifero culpas confiteri non puduit.

(2) *De reformatione in Concilio Constantiensi.* In opp. Gersonii, t. II, col. 914. — Item *Capita agendorum* falso Zabarellæ attributa, apud Von der Hardt, *Rerum. Conc. Const.* t. I, p. 506.

Parisiensis vero Academia, quum non nisi pacem Ecclesiæ intueretur et exoptaret, triplicem ad schisma sedandum viam protulit (1394); viam scilicet *Cessionis* ex parte utriusque contendentis, viam *Compromissionis* mutuæ in aliquos solemnes viros, quos eligerent ambo contendentes atque uti plenarios causæ definitores acciperent; denique viam *Concilii Generalis* (1). Primum autem hujusmodi medium ab utroque Pontifice fuit repudiatum; alterum a quibusdam tantum doctoribus approbatum et defensum fuit; tertium vero semel et iterum in conciliis scilicet Pisano et Constantiensi admissum, pacem Ecclesiæ feliciter restituit. Quam tertiam viam Alliacenum jam indicasse omnes sciunt lectores, et licet quandoque cessionem postulaverit, tamen pro congregando generali Concilio acrius et sæpius insistit (2).

Tres vias æque esse possibiles, ac faciles, contendebat Generale Studium. Magistri, ut regio præcepto obtemperarent, in claustro sancti Mathurini convenerunt, tria media proposuerunt, eaque in formam epistolæ regi esse offerenda unanimiter decreverunt :

« Quam magister Nicolaus de Clamengiis vir utique meo judicio tulliana facundia singulariter pollens, coloribus rhetoricis tunc exornandam suscepit (3), » inquit Sandionysianus monachus : « Quod audiens, Clemens Papa ægre tulit, et verens ne ipsa in auctoritatis suæ præjudicium verteretur, ex-

(1) Hac tres viæ ab omnibus hujus ætatis auctoribus eodem fere modo indicantur. Cf. Alliacenum, *Utrum indoctus in jure divino....* in opp. Gersonii, t. I, col, 657; — Gersonium, *De Concilio generali unius Obedientiæ*, t. II, col. 29; — Henricum de Hassia, *Consilium pacis*, in opp. Gersonii, t. II, col. 827 et seqq. — Cf. etiam Bulæum, *Op. cit.*, t. IV, p. 686.

(2) In opp. Gersonii, t. I, col. 657. — Card. Hergenrœther, in Wetzer und Welte's *Kirchenlexicon*, t. I, v° *Ailly*.

(3) *Chronic. Car. VI.* l. XIV, c. 10; cf. Bulæum, t. IV, p. 683; — Gersoniana, (Edit. Ellies-Dupin) t. I, f. IX; — Martène et Durand, *Vet. script. amplissima collectio*, t. VII, p. 437; — Juvénal des Ursins, *Histoire de Charles VI*, p. 384.

cellentes in sacra pagina professores, magistros Petrum de Alliaco et Ægidium de Campis, quampluresque alios famosos et eminentis scientiæ viros, hujus epistolæ principales conditores, litteris apostolicis evocavit, mandans regi quod ipsis pro regimine Ecclesiæ indigebat. Sed omnes ipsum adire renuerunt, ne vindictam indignationis suæ in eos exerceret (1). »

Gulielmus Barraudi, prior claustralis monasterii Sancti Dionysii epistolam a Nicolao de Clamengiis exaratam regi attulit (jun. 1394), quam non potuit legere nisi nonnullis superatis obicibus. Duas priores vias ad sedandum id schisma proponit epistola, sed tertiam laudat præcipue.

« Etsi a nonnullis adulatoribus et hujus monstruosæ factionis fautoribus, ab ipsius initio usque ad ista tempora, magis turbandi studio quam veritatis radice, velut inepta omnino repudiata sit, tamen absque fermento affectionis malignæ veritatem intuenti non adeo refellendam esse satis liquido clarescit (2). »

Carolus rex sereno vultu omnia audierat, sed quum cardinalis de Luna et alii nonnulli pestiferum adulationis virus ei instillare curarent, regni Cancellarius legatis mandavit: « Non plus intentionis ejus existere hanc materiam promovere, inhibens etiam auctoritate regia ne deinceps eam amplius promoverent (3). »

Universitas statim habitis comitiis ultima experiri voluit; a lectionibus et sacris concionibus cessavit, atque statuit in silentio perseverandum esse donec justis suis petitionibus satisfieret (4). Ad Clementem VII, cujus partes tenebat, rescripsit vias tres propositas ipsi exponens, utque

(1) *Chronic. Car. VI*, l. XI, c. 2.

(2) *Ibid.*, — Cf. Acherii *Spicil.*, t. I, p. 776; — Bulæum, *Hist. Univ. Paris.*, t. IV, p. 687; — Rayn. *Ann. eccles.*, ad an. 1394, 3.

(3) *Ibid.*, Lib. XV, c. 4. — Cf. Hefele, *Hist. des Conciles*, (Trad. Delarc). t. X, p. 81.

(4) *Ibid.*, c. 4.

Ecclesiæ tandem misereretur enixe deprecans. Clemens vero tam æquas adhortationes repulit (sept. 1394), dicens : « Istæ litteræ sunt Sanctæ Sedis Apostolicæ diffamatrices, veneno detractionis plenæ; nec lectu, nec recitatu dignæ sunt. » Et, quum nihilominus Cardinales consilia Studii Parisiensis approbarent, dolore et ira correptus mox e vita migravit.

Hinc viginti duo cardinales Avenione coadunati Petrum de Luna, cardinalem Arragonium, in Papam elegerunt, qui Benedicti XIII nomen sibi sumpsit. Illico novus Pontifex ad regem et ad Universitatem misit ut procurandæ pacis vias rursus indicare dignarentur (1). Rex eleemosynarium suum Petrum de Alliaco, ad munus thesauri capellæ regiæ custodiendi recentissime evectum (1394) delegavit (2), ut Benedicto congratularetur, et maximam spem quam de schismate proxime exstinguendo conceperant omnes manifestaret. Muneri non defuit Alliacenus, uti patet ex duobus ejus sermonibus adhuc manuscriptis qui in bibliotheca Cameracensi latent. Præmisso textu : *Domine, in virtute tua lætabitur rex,* ita Pontificem alloquitur :

« Certe, Beatissime Pater, jam ex præsenti rerum dispositione major sibi (regi) nascitur lætitia, dum lucernam sub modio hactenus aliquo modo reconditam, nunc in loco celsiori, uti decebat, exaltatam videt, et in summo candelabro constitutam, ut omnes in domo Dei habitantes illuminet, et qui in tenebris erant umbrosaque caligine, suæ nitore virtutis irradiet. In vestra siquidem, Pater Beatissime, sublimatione, nova quædam lux oculis omnium fidelium Christi aliquo modo visa est, regiis primum oculis, deinde aliorum, ut jam illud propheticum quodam modo renovatum atque impletum sit : *Populus qui*

(1) Martène et Durand, *Vet. Script. amplissima Collectio*, t. VII, p. 485. — Cf. Bulæum, *loc. cit.*, t. IV, p. 723 ; — Acherii *Spicil.*, t. I, p. 787.

(2) *Chronic. Car. VI*, l. XV, c. 10.

ambulabat in tenebris vidit lucem magnam (1). Exaltare ergo, Domine, in virtute tua, etc... (2). »

E tribus viis quænam melior sit neque in hac oratione, neque in sequenti quam nomine regis Romanorum pronuntiavit (3) determinat Petrus. At verisimile est eum in privatis collocutionibus rem tetigisse, et Summum Pontificem a via cessionis non adeo alienum sensisse. Quum enim sinceris vel fictis promissionibus regium legatum Benedictus excepisset, Alliacenus, Lutetiam reversus, in cœtu magnatorum de præstanda Benedicto obedientia elegantissimam habuit orationem (1ª febr. 1395). Textum : *Benedictus Deus, qui dedit voluntatem suam in cor regis* commentans, Concilii Generalis convocationem reliquit ac viam cessionis proposuit « uti breviorem, lucidiorem et expedientiorem (4). »

Hanc sententiam synodus tunc Parisiis convocata publico instrumento concredidit (5). Pontifex tamen Avenionensis pessimam suam mox aperuit pertinaciam (jun. 1395), et quam omnes expectabant cessionem, pro virili parte distulit. Frustra nempe rex Carolus ad Benedictum misit duces Bituricensem et Burgundiensem patruos, et ducem Aurelianensem fratrem, cum episcopo Silvanectensi et nonnullis

(1) *Is.* IX, 2.

(2) Ms. Bibl. Cameracensis, 490, f. CCIII, verso. Hunc sermonem habitum anno 1398 reputat Dr Tschackert, (*Peter von Ailli*, p. 353) sed in hoc errasse videtur. Ita enim in ipsa concione proloquitur Alliacenus : « Militans Ecclesia *sexdecim jam annis* et amplius exactis turbulenta schismatis rabie desolata.... » Majorem istius orationis partem in capite XII secundæ nostræ partis referemus.

(3) *Ibid.*, f. CCV, verso. « Plusieurs doutoient que ce fust toute fiction, et qu'il disait d'un et pensait d'autre. » (Juvénal des Ursins, *op. cit.*, p. 387.) — Cf. *Chronic. Car. VI*, l. XVI, c. 1.

(4) D. Grenier, *Analecta juris pontificii*, 1876, p. 908. — *Chronic. Car. VI*, l. XV, c. 11. — Launoy, *Regii Navar. Gymn. Paris. Historia*, p. 510. — Hefele, *op. cit.*, p. 87.

(5) *Chronic. Car. VI, loc. cit.* — Martène et Durand, *op. cit.*, t. VII, p. 461.

aliis qui viam cessionis defenderent ; ita per Bullam eis Papa restitit :

« Nos, attendentes quod dicta via cessionis pro sedandis schismatibus, nec a jure statuta, nec a sanctis Patribus hactenus fuerat in Dei Ecclesia casu simili practicata, quinimo in gestis Romanorum Pontificum et alibi legitur ut non conveniens aliquando repulsa, ne in acceptatione viæ hujusmodi, in tanto Dei et Romanæ Ecclesiæ ac omnium fidelium negotio, quidquam indigeste et improvide de novo forsan attentaretur.... idcirco.... etc. (1). »

Cardinales quidem argumenta Pontificis captiosa, falsa et ad res longius trahendas prolata censebant (2); sed renitente Papa, nec ipsi nec duces ecclesiasticæ paci prodesse valuerunt. Interea malum sensim ingravescebat. Tempora adeo difficilia erant ut Christi religio ab hæreticis (3) et ab infidelibus (4) aperte sperneretur, a fidelibus ipsis reputaretur fere deplorata, atque nulla prorsus sedandi schismatis et in melius proficiendi via pateret. Petri navicula, quasi dormiente Christo, mergi fluctibus videbatur.

Propter illa quæ cum doloso Pontifice colloquia habuerat multi virtutem et famam Alliaceni lacesserunt; sed defensus est a Nicolao de Clamengiis nobili alumno et amico, qui epistolam ad Benedictum cujus a secretis erat direxit, ut :

« Illum virum litteris eruditissimum fide, prudentia, probi-

(1) *Chronic. Car. VI*, l. XVI, c. 6. — Bulæus, *op. cit*, p. 748. — Acherii *Spicil.* t. I, p. 789. — Martène et Durand, t. II, p. 1138.

(2) *Ibid.*, c. 9 et seqq.

(3) Cf. prop. IX Wiclefi, damn. a Conc. Constantiensi et Martino v. (1418.)

(4) « Puis disait le conte de Nevers (à son retour de captivité) que l'oppinion de l'Amourath et des plus grans de son conseil estoit telle et la commune voix des Sarrazins que nostre foy estoit nulle, et nostre loy toute corrompue par les chiefs de ceulx qui la devoient gouverner, et ne s'en faisoient les Turs et les Sarrazins que truffer (moquer) et gaber, et par ceste variation toute la terre crestienne seroit et devroit estre destruite. » (Œuvres de Froissart, *Chroniques*, t. XVI, p. 67. Edit. Kervyn de Lettenhove.) — Cf. *Chronic. Car. VI*, l. XI, c. 9.

tate commendatissimum, et zelo unitatis ecclesiasticæ ardentissimum, Petrum Cancellarium Academiæ Parisiensis et regis Francorum eleemosynæ ministrum, virum utique, ut breviter dicam, te tuisque moribus dignissimum. Hunc in pacis consiliis adhibe particicem, in laboribus consortem, in negotiis omnibus adjutorem. Hunc dilige, cole, amplectere. Huic quasi alteri tui omnia committe, et procul dubio non falleris, nec te talem ministrum elegisse pigebit (1). »

His demum monitis non indocilem præbuit aurem Benedictus, et tanti viri sibi devinciendi cupidus, Alliacenum brevi ab arduis apud regem functionibus, a plurimis munerum curis, et ab invidia æmulorum subtraxit, quum annos natum quadraginta quinque, episcopum Podiensem vel Aniciensem (2) renuntiavit (1395). Jam ad sedem Laudunensem, (dicunt alii Noviomagensem), antea evectus fuerat, sed cogente Carolo rege eam recusarat (3).

Joannem Gersonium alumnum dilectissimum sibi in Cancellarii Parisiensis honore et onere succedere voluit Alliacenus, sicuti libenter confessus est pergratus Joannes (4).

(1) *Opp. Nicolai de Clamengiis*, (Edit. Lydii.) *Epist. II*, p. 10. — Ex ms. Wolfenbattelensi, apud Von der Hardt, *Rerum Conc. œçum. Const.*, t. I, p. 462.

(2) Non gallice « *Annecy,* » ut falso reputat Lenfant, *Histoire du Concile de Constance*, pp. 42 et 644, sed « *Le Puy.* » Alii Vaurensem episcopum, alii vero Vivariensem Alliacenum reputarunt. D. Gillesson contradictorias opiniones conciliare intendit, et sedem Vivarii, non procul a Vauro(!) eum occupasse asserit. In *Gallia christiana* inter episcopos Vaurenses hujus temporis fit mentio de alio Petro, nón autem de nostro, t. XIII, p. 138. « J. Columbi et Sanmarthani nominatissimum theologum Petrum de Alliaco inter Vivarienses episcopos recensent, sed errant, » ait B. Hauréau in *Gallia Christiana*, t. XVI, col. 578. — Cf. Moroni, *Dizionario di erudizione*, t. III, p. 309, t. CIII, p 8; et Aubrelicque, *Bulletin de la Société hist. de Compiègne*, t. I, fasc. I, p. 150.

(3) *Apologia Concilii Pisani*, apud Tschackert, *Peter von Ailli, Appendix*, p. 36. — Cf. Dupont, *Hist. de Cambrai et du Cambrésis*, t. II, et C. Hergenrœther, *Kirchenlexicon*, t. I, (art. *Ailly*.)

(4) « Te motore tibi successi, quamquam non meritis æquis. » In opp. Gersonii, t. III, pp. 3 et 4, *De vita spirituali animæ*, Præfatio.

CAPUT SECUNDUM

Petrus de Alliaco Episcopus

I

1. — Variis et intricatissimis Regiæ, Universitatis et Ecclesiæ negotiis irretitus, se ad Aniciensem sedem conferre vel nequivit vel noluit Petrus (1), et mox ad aliam sponsam a Pontifice destinatus est. Cameracensis Ecclesiæ, mortuo Andrea de Luxemburgo (2), jam a septem mensibus sedes vacabat, quum Benedictus XIII eam ornandam simul et complendam Alliaceno commisit (3).

Quot insidiæ a Philippo Burgundiæ duce, ipsi infensissimo, paratæ fuerint ne Ecclesiam suam adiret, quanta prudentia et fortitudine fractæ et irritatæ sint, hic non est minutim enarrandi locus (4). Non obstante capituli terrore, sedem

(1) Possessionem tamen obtinuit per Petrum Majour. Cf. *Gall. Christ.*, t. II, col. 730.

(2) Cf. ejus testamentum in Acherii *Spicil.*, t. III, p. 755. (Edit. Paris, 1723.) « Avenione delata sunt cor ejus et intestina, et sepulturæ tradita fuerunt in Ecclesia Cœlestinorum Avenionensium, ubi intumulatus jacebat Petrus de Luxemburgo, ejus germanus sanctæ memoriæ dudum Cardinalis. »

(3) « Quæ promotio non ad meam aut alterius pro me instantiam facta est, inquit, illo teste qui fecit. » *Apologia Concilii Pisani.* Apud Tschackert, *op. cit.*, *Appendix*, p. 36.

(4) Cf. Dinaux, *Notice hist. et litt.*, p. 37 ; — Dupont, *Histoire eccl. de Cambrai et du Cambrésis*, t. II, p. 30 et seqq ; — Martène et Durand, *Thesaurus novus anecdotorum*, t. II, p. 1464.

per procuratorem (1) primum tenuit, ac deinde per seipsum, spretis Philippi epistolis, calumniis, imo et terribilibus comminationibus. Imperatori Wenceslao in vico Ivodio (Ivoy) fidem præstitit uti Cameracencis pagi comes, et archiepiscopo Remensi metropolitano obsequium juravit.

Fama viri permotus, Imperator eum Romam misit ad proponendam Pontifici Bonifacio, Urbani successori, *cessionis viam*, quam tum principes tum Academiæ unanimiter potiorem ducebant.

Sed Alliaceni labores inutiles prorsus manserunt, obstante populo romano repugnantibusque romanæ obedientiæ Cardinalibus; respondit enim Pontifex se, postquam Benedictus cessisset, principum postulato satisfacturum (2).

(1) Procurator fuit Radulphus Presbyteri (Le Prestre) Petri de Alliaco nepos et baccalarius in jure Studii Andegavensis. Præsentes erant Martinus de Tornaco, Joannes Calvi et Guido Marcoul. Præstitit idem procurator juramenta consueta in receptione episcoporum Cameracensium. (*Actes capitulaires de l'année 1396 à 1412*, Ms in Bibl. Cameracensi 947, f. 14. In iis actis nonnullæ paginæ ad hæc tempora spectantes ablatæ sunt.) — Cf. actum capituli Cameracensis quem in Archiv. Insulensibus invenimus, et quem hucusque ineditum in appendice hujus voluminis damus, not. II.

(2) Haud injucunde legentur facta quæ prolixo satis ast eleganti calamo evolvit Froissartus Valencenas, quæque ab ipso Alliaceni ore audivisse omnino probabile est. Nam Froissartus, canonicus Chimacensis et Insulensis, familiarissimus erat Joanni le Tartier, priori monasterii Cantipratensis prope Cameracum. In diœcesi Cameracensi natus, magnam vitæ partem in villa Lestina prope Binchium degit, et mortuus est Chimaci anno 1410. Episcopum Cameracensem vidit ergo et audivit. (Cf. *Froissart*, auctore Kervyn de Lettenhove, t. I, p. 281.) Livii more, historiam suam plus æquo forsitan exornavit, nullo tamem veritatis et sinceritatis detrimento. Sic autem habet : « Accordé fut que maistre Pierre d'Ailly, évesque de Cambray, iroit en légation tant de par le roy de France comme de par le roy d'Allemaigne à Romme devers celluy qui se nommoit et escripvoit pape de Romme, et traitteroit devers luy de par les deux roys dessus nommés que il se voulsist soubsmettre ad ce que d'atendre à faire une autre élection de pape; et, se droit avoit à l'estre, en ce cas il demourroit pape, et se le contraire estoit veu, ne trouvé, il s'en deporteroit, et celluy et chascun de ces deux papes qui rebelle seroit à l'ordonnance des deux dessus dis roys le roy de France et le roy d'Allemaigne, seroit dégradé et luy seroient tous droits de l'Eglise clos.... Assés tost après, maistre Pierre d'Ailly. évesque de Cambray, ordonna ses besoingnes, et se mist au chemin pour faire sa légation et aler à Romme, ainsi que

Anno sequenti, magnus conventus Parisiis convocatus est, cui præfuit Simon de Cramaudo Alexandrinus patriarcha. Quæstio erat de via cessionis et de obedientia Benedicto renuenda. Post varias inter tercentos optimæ notæ viros agitatas sententias, septem supra ducentos et quadraginta censuerunt sine mora omnino denegandam esse Pontifici obedientiam; pro eadem opinione steterunt plurimæ Universitates. Rex ergo, fines propriæ potestatis prætergrediens, dato edicto publico (1), totam rem confirmavit, ita ut per quinquennium Ecclesia Galliarum evaserit acephala et nulli certo Pontifici paruerit (2).

Petrus Alliacenus tunc ad Benedictum missus est ut opus Romæ inceptum absolveret, et abdicationem Ave-

ordonné estoit par les consauls et l'accord des deux roys cy-dessus nommés de France et d'Allemaigne.... L'évesque de Cambray, comme messagier au roy de France et au roy d'Allemaigne, remonstra et proposa ce pour quoy il estoit là venu. Quant celluy qui se nommoit pape Boniface l'ot entendu et oy tout au long de sa parole, il respondy ainsi, et dist que la response n'appartenoit pas seulement à faire à luy; mais à tous ses frères cardinauls qui pourveu l'avoient de la dignité de papalité, et quant il auroit parlé à eulx par délibération de conseil, il en responderoit si à point que de toutes choses il s'en comptenteroit.... Et fut ainsi le pape conseillié de respondre et de dire : « Père saint, pour donner au roy de » France et à tous les ahers et aliés à son oppinion espérance de obéyr, » vous vous dissimulerés de ce fait-icy, et dirés que vous obéirés voulentiers à tout ce que le roy d'Allemaigne, le roy de Honguerie et le roy » d'Angleterre vous conseilleront pour le mieulx à faire, mais que cil qui » demeure en Avignon et et qui s'escript Bénédict lequel le roy de France » et les François ont tenu en son oppinion et erreur, se desmette du nom » de papalité, et là où il plaira aux dessusdis roys que conclave se face, » vous vous trairés voulentiers et ferés traire vos frères cardinaulx.... » Sus cel estat se départy l'évesque de Cambray de Romme et retourna » arrière, et fist tant par ses journées quil vint en Allemaigne et trouva » le roy (d'Allemagne) à Couvelence (Coblentz).... auquel il fist son » message et la response tel que dit est.... » (Œuvres de Froissart, *Chroniques*, t. XVI, p. 86 et seqq., p. 117 et seqq; Edit. Kervyn de Lettenhove.)

(1) Ms. Bibl. Vatic. 4927, p. 105. — Bourgeois du Chastenet, *op. cit.*, *Preuves*, p. 79.

(2) Juvénal des Ursins, *op. cit.*, p. 403. — Bulæus, *Hist. Univ. Paris.* t. IV, p. 829 et seqq.

nionensis Pontificis impetraret. At ille Bonifacii modestiam non est imitatus; quumque pertinaciter renuisset (1), a suis Cardinalibus derelictus, in arce Avenionensi a copiis regiis duce Bussicaldo quatuor annis oppugnatus est.

2. — Interea plures compositi sunt tractatus de magnis istis litibus, et viri amicitia conjunctissimi varias tenuerunt opiniones ita ut cuique suum velle esset. Nicolaus de Clamengiis

(1) « Furent institués l'évesque de Cambray et le mareschal de France pour aler en Avignon.... » Arrivé devant le Pape, « l'évesque de Cambray, *comme sur tous bien enlangagié en latin et en franchois*, commença sa parole sus bonne fourme et remonstra comment le roy de France et le roy d'Allemaigne l'avoient là envoyé. Quant le dit évesque vint sus les procès comment on estoit en ordonnance et estat qu'il convenoit que il se soubsmesist ad ce que de résigner la papalité, et que celluy de Romme devoit ainsi faire, si mua couleur moult grandement et esleva la voix et dist: « J'ay eu moult de payne et de traveil pour l'Eglise, et par bonne élection » on m'a créé pape et on veult que je me soubmette à ce que je renonche. » Ce ne sera tant que je vive, et vueil bien que le roy de France sache » que pour ses ordonnances je ne feray rien, mais tendray mon nom et ma » papalité jusques au morir.... » Aprés le consistoire « l'évêsque de Cambrai vint devant ce Bénédict qui encoires estoit en son siège, et luy dist ainsi, sans luy faire trop grant révérence : « Sire, faites-moy response : il le me » fault avoir. Vous avés eu vostre conseil ensemble : si me devés res» pondre de ce que vous y avés ouy, veu et trouvé, et puis je me metteray » en retour. » Ce pape Bénédict, qui encoires estoit tous enflambés d'ire et de maltalent sur les paroles que ce cardinal avait proposées répondy fellement et dist : « Evesque, je treuve en conseil en plusieurs de mes frères » cardinauls, lesquels m'ont pourveu et créé en cette dignité de papalité, et » toutes les solempnités que on y doit prendre et recepvoir, je les ay » eues, et pape me suis escript et nommé par tous mes subgets, et pape je » demourray tant comme je vivray, ne jà ne me submettray du contraire pour » mourir en la payne, ne je n'ay fait chose par quoy je doive perdre ma » divine provision. Si dirés à nostre fils de France, que jusques à cy nous » l'avons toujours tenu à bon catholique, et, se de nouvel par infourmation » senestre il veult entrer en erreur, quant que soit, il s'en repentira. « Mais je vous pry que de par moy vous luy dittes que il se advise et que il » ne se encline à nulle chose qui luy tourble sa conscience. » Adont se leva de sa chaière ce Bénédict, et s'en ala vers sa chambre, et aucuns cardinaulx aveuc luy, et l'évesque de Cambray retourna en son hostel et se disna moult sobrement, et puis monta à cheval et passa le pont de Rosne et vint à Ville-Nœufve et ce jour jésir à Baignoille qui est ou royaume de France, et entendy que messire Bouchicault estoit venu au Bourg-saint-Andrieu à nœuf lieues d'Avignon. Si vint là l'endemain le dit évesque, et lui compta la response de ce Bénédict qui se nommait pape. » (Œuvres de Froissart, *Chroniques*, t. XVI, p. 121, Edit. Kervyn de Lettenhove.) — Cf. Tschackert, *Peter von Ailli*, l. III, c. I, p. 103 et seqq.

pro Benedicto acerrimis pugnabat scriptis et subtractioni adversabatur (1) : Gersonius, consuetæ mansuetudinis tenacissimus, subtractionem inutilem esse censebat, asperasque vias et contumelias erga Benedictum quantum poterat prohibebat (2). Alliacenus vero totalem obedientiæ denegationem aliquando cum multis aliis defendere visus est. Suo deinde tractatu *de Materia Concilii Generalis* (3), circa id tempus scripto, subtractionem in quibusdam *accidentibus* et *adventitiis* tantum commendat (4) ; sed paulo post, perspectis et pensatis rei incommodis, restitutam Benedicto obedientiam ultro amplectitur, eamque populo nuntiare libenter curat. Sed de his iterum infra.

II

1. — Damnanda hæc dissidia, quæ clericos necnon et fideles in castra duo hostilia conjiciebant, ipsius Ecclesiæ Cameracensis pacem necessario perturbarunt; nam exinde pastoris auctoritas in dubium et in disceptationem veniebat. Qui causam Bonifacii tuebantur cum adversariis communicare in divinis pertinaciter recusabant; qui vero Benedicti partibus erant addicti, eodem modo alios repellebant, ita ut magis ac magis omnia pessum irent. Qua de re chronicam haud multo antea scriptam ab auctore Flandro citare juvat :

« Flamingi multum turbati sunt et tumultuare cœperunt pro

(1) *Opp. Nicolai de Clamengiis* (Edit. Lydii), *Epist. XVII*, p. 70.

(2) Cf. Schwab, *Johannes Gerson*, p. 152, not. 6

(3) Ms. in Bibl. nat. Paris., n°s 1480, 1571, 3124. Licet a Steph. Baluzio transcriptum fuerit hoc opusculum, nunquam tamen typis mandatum est.

(4) Cf. cap. XI hujus libri.

credentia duorum paparum. Nam in se divisi, quidam adhærebant domino Clementi, et hi audire missas sacerdotum alterius opinionis recusabant, et sacramenta ab eis celebrata fere conculcabant; et e converso;... eratque error et turbatio permaxima in plebe, et in multis cessatum est a divinis (1). »

Et Tolosana Universitas ad regem sic scribebat :

« Adeo videmus schismatis tribulos pullulare, quod non est regnum, nec provincia, nec diœcesis, non territorium, non capitulum, non collegium, vel conventus, imo nec vix domus, quin sint ratione hujusmodi substractionis novum schisma facientis inter se pertinaciter subdivisi (2). »

Jam, in vicina diœcesi Tornacensi, hujusmodi dissidia ex eo efferbuerant quod Avenionensis Pontifex ad episcopalem sedem designaverat Ludovicum de la Tremoille (1389), dum universa fere provincia Papæ Romani causam amplecteretur (3). Tornacensium vestigia pressit Capitulum Antwerpiense. Ducis Burgundiæ qui Alliaceno erat infensus adjutorio fretum, quatuor annis Petrum episcopum accipere noluit (4); dum eodem tempore pars regionis altera electo Leodiensi episcopo, Joanni Bavarrico (5) qui cum Bonifacio stabat, obediret.

At quæ mala suus in Cameracenci sede antecessor Robertus Gebennensis universæ Ecclesiæ intulerat, ea pro virili

(1) *Chronica Joannis Brandon, monachi Dunensis*, an. 1391, a Kervyn de Lettenhove typis mandata, p. 20. An. 1428 e vivis ereptus est iste Joannes. — Cf. orationem Gul. Philastri in Concilio Parisiensi anni 1406, apud Bourgeois du Chastenet, *Nouvelle histoire du Concile de Constance, Preuves*, p. 140.

(2) Bulæus, *Hist. Univ. Paris.*, t. V, p. 15, an. 1402. — Cf. litteras Universitatis Parisiensis ad Clementem VII, apud Acherii *Spicil.*, t. VI, p. 96 et seqq.; et Gersonium qui, uti Brugensis canonicus, in nostris regionibus diu demoratus est, Opp., t. II, col. 3.

(3) Cf. J. Cousin, *Histoire de Tournay*, l. IV, p. 180. (Edit. 1620.)

(4) Dierxsens, *Antwerpia Christo nascens et crescens*, t. I., p. 159.

(5) De istius episcopi vita et gestis, cf. Maimbourg, *Histoire du schisme*, p. 341 et seqq.

parte reparare studuit Alliacenus et a sua provincia incepit. Quæ pro clero et pro religiosis familiis fecerit, primum nobis enarranda sunt; deinde quinam eventus tunc temporis in diœcesi acciderint, dicendum.

2. — Ecclesiasticam scientiam promovere primum in mente habuit. Jam a Benedicto obtinuerat ut in omnibus tum exstantibus Metropolitanis, aliisque in futurum instituendis Ecclesiis, optimus aliquis theologus sacra doceret et theologicæ cathedræ sic instituerentur (1).

Gersonius qui hoc ei consilium suppeditaverat (2), totius Academiæ Pariensis nomine ei quoque publicas egit gratias :

« Nec est quod nobis dicatis domini nostri Papæ id esse beneficium, non Vestræ Paternitatis. Siquidem ei jubendi auctoritatem adscribimus; et quod vestris precibus omnibus benignus exauditor inclinavit, ingentes ei gratias litteris jam egimus, et agemus certe frequenter. Nihilominus non nescimus totius beneficii vos caput fuisse : vos principium, vos finis füistis, vester iste labor fuit (3). »

Attamen de adversa hujus institutionis fortuna conqueritur idem Cancellarius in concilio provinciali Remensi, præsidente episcopo Guidone de Roya, anno 1408, et hac de re iterum « suum præceptorem inclytum Dominum Cameracensem » apertis laudibus cumulat (4).

Libros præterea quamplurimos scribi et manuscriptos

(1) Idem fere præscripsit postea Concilium Tridentinum, Sess. V, *De Reform.*, c. I.

(2) Cf. opp. Gersonii, t. I, p. 124. — Cf. etiam Nicolaum de Clamengiis, *De studio theologico,* in Acherii *Spicil.*, t. I, p. 472.

(3) In opp. Gersonii, t. III, p. 433. « Datum in congregatione Facultatis apud Sanctum Mathurinum, mense novembri. (1399). »

(4) Idem rursus petiit Alliacenus in concilio Constantiensi. Vide ejus opusculum *de Reformatione Ecclesiæ.* in opp. Gersonii, t. II, col. 914. — Cf. Von der Hardt, *Rerum Conc. œcum. Constant.*, t. I, col. 466. — Dinaux, *Notice hist. et litt.*, p, 48; — Opp. Gersonii, t. II, coll. 109 et 548; — *Actes capit. de la prov. eccl. de Reims,* t. II, pp. 648 et 666.

codices in cathedrali ecclesia optime asservari jussit (1); ecclesiasticum emendavit officium (2); horologium, « quo excellentius nescio an in orbe reperiatur », ait Arnaldus Raissius (3), non construxit quidem, uti plures dixerunt, sed restaurari et exornari mandavit (4).

3. — Non tantum, omni quo potuit modo, ad studia fovenda adlaboravit, sed ad ecclesiasticos etiam mores optime servandos clerum quam frequentissime adhortatus est. Nec enim silentio prætereundum est celebre illud decretum, post primam suæ diœceseos visitationem, adversus

(1) « C'est dans les premières années du quinzième siècle que l'on put enfin exécuter la volonté testamentaire de Jehan de Champaing en construisant une librairie ou bibliothèque. (Ce chanoine, docteur en décret et grand-chantre, mort en 1393, avait légué trois cents francs pour acheter des livres.) Cette bibliothèque fut établie contre la galerie qui donnait accès au cloître; le verrier de l'église y posa une verrière qui représentait *saint Jhérosme*. Chaque livre était posé sur un pupitre spécial, et y était attaché par une chaîne de fer étamé, précaution qu'explique la haute valeur des manuscrits. Nous voyons, en effet, que *le livre de Boye* fut acheté, en 1409, quatre-vingt-seize livres, et qu'en 1433, parmi les manuscrits légués à la bibliothèque, par Mathieu de Harleville, *les Expositions* de Me Nicolle de Lira, manuscrit en trois volumes, furent estimés deux cents livres, somme énorme pour l'époque. » (J. Houdoy, *Histoire artistique de la cathédrale de Cambrai*, pp. 57 et 170.) — Cf. Alliaceni opusculum *de Reformatione Ecclesiæ*, In opp. Gersonii, *loc. cit.*, col. 914.

(2) Dinaux, *Ibid.*

(3) Arn. Raissius, duacenas, *Belgica christiana*, p. 158 et seqq.

(4) « J'arrive à la fameuse horloge de Cambrai que la renommée populaire citait comme une des merveilles du pays, et dont il est si souvent question dans des chroniques locales. Carpentier n'hésite guère à faire honneur de cette invention à un berger, qui l'aurait exécutée de 1383 à 1397. On aurait ensuite, par reconnaissance sans doute, crevé les yeux à l'inventeur pour l'empêcher d'en fabriquer de semblables ailleurs! Des historiens plus sérieux attribuent à tort cette merveille à Pierre d'Ailly, évêque de Cambrai, qui s'occupait d'astrologie et qui, suivant eux, aurait construit ou fait construire l'horloge en 1405. — Bien antérieurement à l'époque qu'ils fixent, c'est-à-dire dès le commencement du XIVe siècle, l'église possédait déjà une horloge. — Ce fut un prêtre, Jehan de Doulens, qui composa le calendrier, car, déjà à cette époque, l'horloge ne se bornait pas à marquer les heures; elle mettait de plus en mouvement de petits personnages qui exécutaient les scènes de la passion. On vint d'Amiens et de Saint-Quentin, sur l'invitation du chapitre, visiter cette merveille.... En 1396, c'est-à-dire à la date donnée jusqu'ici comme celle de l'établissement de l'horloge cambraisienne, de nouveaux perfectionnements y furent

fornicarios sacerdotes latum. Eos nempe qui mandatis et objurgationibus resistere præsumerent pœnis suspensionis, et excommunicationis terret et castigat (1), istiusmodi decretum valvis ecclesiarum Sancti Gaugerici et Sanctæ Crucis affigi jubens. Paulo post, homilia in synodo Cameracensi edita, discipulorum Christi institutionem, informationem et retributionem explanans, miseros eosdem sacerdotes, « contra quos multa in sermonibus, multa in synodalibus statutis jam latraverat » vehementi rursus impetu debellat. Auctoritate juris et divi Thomæ fretus, Gersonio etiam interrogato ejusque consensu accepto (2), in eos pœnas canonicas renovat. Statuit insuper neminem castigandum esse nisi publice peccaverit; nihil vero notorium dici nisi per

apportés, et la fabrique s'adressa, non à un *pasteur de moutons*, comme le disent les chroniques, mais à un horloger de Valenciennes, nommé Mathieu de Soignies, et marché fut fait avec lui pour la somme de cent livres, plus les frais de voyage et de séjour à Cambrai. Il s'agissait de modifier la forme du calendrier et les signes des planètes; un prêtre de Valenciennes, Me Guislain, fut chargé de ce travail sur les indications de l'horloger. De plus, Mathieu fit sonner à l'horloge les heures « *du jour et de la nuit*, » et surmonta le mouvement d'un ange sculpté, qui se tournait vers les quatre points cardinaux et sonnait de la trompette. En 1401, M. Reginal, toujours sur les conseils de Mathieu, composa un nouveau *compas* (cercle) *par manière de zodiaque*. Sur ses dessins, Pierre, le peintre peignit le dit zodiaque *à manière d'astrolabe*, et revernit six des statuettes de la procession. » (Houdoy, *op. cit.*, p. 48 et seqq.) — Cf. De Carondelet, *Mém. hist. et chronol.* p. 5. — De celeberrimis horologiis in Gallia eo tempore fabricatis, cf. *Histoire litt. de la France*, t. XXIV, p. 746.

(1) Quod decretum anno 1560 ab episcopo Roberto de Croy fuit recognitum, et rursus approbatum. (*Decreta synodi diœcesanæ Cameracensis*, Cameraci 1614, pp. 22 et 68). Item innovatum est ab episcopo Jacobo de Bryas (*Statuta synod. Eccl. Cameracensis*, Montibus 1686, p. 102). — Cf. *Concilia Germaniæ*, a R. P. Hartzheim, t. VI, p. 708; *Actes capit. de la prov. eccl. de Reims*, t. II, p. 649. — In Concilio Remensi quod tempore Alliaceni congregatum est, anno scilicet 1408, quum ageretur de reservatis peccatis, modus quem usurpaverat episcopus Cameracensis ad procedendum contra reos, visus est idoneus. (Martène et Durand, *Vet. Script. amplissima Collectio*, t. VI, p. 421; in opp. Gersonii, t. II, col. 562.)

(2) Epistola Gersonii *ad quemdam prælatum* quem Alliacenum fuisse reputamus, t. II, col. 106. — Cf. etiam *De reformatione Ecclesiæ statuta generalia*, apud Von der Hardt, t. I. col. 635; — Henricum de Hassia, *Consilium pacis*, in opp. Gersonii, t. II, col. 839; — Nicolaum de Clamengiis, *Epist.* CXXXIII, (Edit. Lydii, p. 339.)

sententiam episcopi, et non per vocem populi. Nullus demum sacerdos, concionibus publicis reos increpare poterat, ne temere et scandalose forsan ageret (1).

Non tamen in virga ferrea clerum Cameracensem rexit. Eximiam ejus mansuetudinem simul atque oculatam prudentiam testantur orationes quas in annua synodo Cameracensi habuit (2). Innixus huic textui : *Obsecro vos ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis* (3), non sine melliflua unctione sacerdotes alloquitur, et cum Augustino declarat :

« Nihil ad misericordiam provocare sicut proprii periculi cogitationem. Ideo namque Dominus principem Ecclesiæ cadere permisit, ut in semetipso addisceret qualiter his misereri deberet. Unde scriptum est : *Intellige quæ sunt proximi ex teipso* (4). »

Regulas modestæ castitatis, quas Nepotiano tradebat Hieronymus, commemorat et pergit :

« Hodie, proh dolor, ecclesiasticus status sic ad vitia quælibet prolapsus est, ut inter clericos et laicos, inter sacerdotes et populares, vix ulla mox differentia videatur... »

Devios ad humilitatem ita et cordis munditiam adhortatur :

« Ut non sint sapientes sapientia sæculari sed spirituali; non potentes viribus sed virtutibus; non nobiles carne sed mente.... Audiant igitur hanc doctrinam, audiant et erubescant superbi quidam et ambitiosi ac vana gloria turgidi, qui blandis obsequiis et simulationibus vindicant sibi magnatum et poten-

(1) *Tractatus et Sermones*, loc. cit., — Cf. Gersonium, *De Vita spirituali animæ*, t. III, col. 49; — Matthiam Bossemium, præpositum Sancti Amati Duacensis, *De clericorum cum feminis cohabitione*, (Duaci, 1686), et Roskovany, *De cœlibatu et breviario*, t. III, p. 29; t. IV, p. 33 et passim.

(2) *Tractatus et Sermones*, Argent. 1490, ad finem. — Errat igitur Moroni affirmans inter annos 1398 et 1551 Cameraci nullam synodum congregatam fuisse, *Dizionario di erudizione*, t. VI, p. 314.

(3) Eph., IV, 1.

(4) Eccli., XXXI, 18.

tium suffragium, nunc consanguinitate propaginis, nunc nobilitate generis, et sic quoquo modo se ingerunt in patrimonium Crucifixi (1). »

Altero anno, sacerdotes monet *ut sint solliciti servare unitatem fidei in vinculo pacis* (2). Quantam qualemque unitatem servari velit satis indicat, dum cardinales cæterosque prælatos, « qui se successores Apostolorum esse gloriantur, » vehementer occasione schismatis increpat :

« Utinam hanc unitatem nunc, inquit, licet tarde, servare satagerent!... Profecto non tam diu perseverasset, nec de die in diem deterius convalesceret, hoc tam mirabile tamque miserabile schisma ! Non sic turpiter scissa esset inconsutilis Christi tunica, non sic enormiter divisa christiana Ecclesia ! Non sic postremo crudeliter sævirent in se invicem et in caput suum, immo in totum corpus Christi mysticum, ecclesiastica membra ! De qua re multa loqui possem, sed cogitanti mihi hanc nostri temporis extremam miseriam flere magis libet quam aliquid dicere.... Ut, inquam, de Ecclesiæ lacrymosa desolatione taceam, quia nobis etiam tacentibus res loquentur, jam in ejus temporali imperio et in omni fere christianorum regno commotio fuit guerrarum...; principes pro explenda cupidine et ulciscenda injuria certant, et adversum se invicem insaniunt... Jerusalem, totaque terra sancta, terra singulariter Christo dedicata...., jam a nobis turpiter erepta, ab infidelibus possidetur ! Et quod auditu horrendum est, cum Mahometanus, sceleratus ille et infamis prædo, in medio gentis suæ sepultus jaceat, jam Christi sepulcrum, non sine periculo gravi et infami tributo, raro a fidelibus veneratur (3)! »

4. — Uti cuique legenti patet, vero pietatis sensu sincerisque animi episcopalis effusionibus redundant synodales isti sermones. Zelus iste domus Dei ardensque cupido sepulchrum Christi e manibus Saracenorum eripiendi,

(1) *Tractatus et Sermones*, ibid.

(2) Eph., IV, 3.

(3) *Tractatus et Sermones*, 2us sermo in Synodo Cameracensi. — Item in *Panegyrica oratione S. Ludovici regis*, parte secunda.

non bellatores tantum (1), sed oratores plurimos (2), poetas nonnullos (3), politicos (4) simul et historicos viros (5) incendebant.

De cætero, consilia omnia quæ serius in Constantiensi Concilio aliis episcopis suasit Petrus, se in sua diœcesi tunc temporis exsecutum fuisse non est dubitandum, et, ut ipse dixit « talis evasit ut cæteris fidelibus fuerit in exemplum (6). »

In votis insuper ei erat simoniam omnimode compes-

(1) Ipse Alliacenus, anno 1410, indulgentias concessit iis qui Teutonicis Equitibus in Borussia militantibus auxiliarentur. Nonnulli nobiles ad bellum profecti sunt cum Hugone de Lalaing et Gulielmo de Pottes, sed minus feliciter successerunt. Cf. Vinchant, *Histoire de Hainaut*, t. IV, p. 40.

(2) Alio loco Alliacenus instanter rogat ut « brevi preparetur generale passagium transmarinum non solum in subsidium Terræ Sanctæ, sed etiam ad reductionem Græcorum et aliorum schismaticorum. » (*IIa epistola ad Joh. XXIII*, in opp. Gersonii, t. II, pp. 883, 893, 906.) — Cf. *Capita agendorum* quæ perperam Card. Zabarellæ olim tributa sunt, apud Von der Hardt, *op. cit.*, t. I, col. 512. — Petro consonabant Theodoricus de Niem, *De necessitate reform.*, apud Von der Hardt, *op. cit.*, p. 292; cf. Nic. de Clamengiis, *Ad principes Galliarum adversus bellum civile*, p. 573.

(3) *Watriquet de Couvin*, tunc temporis poeta, equitum animos ad recuperandum Christi sepulcrum vehementer excitat : *Le dis des trois vertus* (Edit. Aug. Scheler, 1868, p. 351). — Petrarcha Avenione degens similiter loquitur. (*Histoire litt. de la France*, t. XXIV, p. 576.)

(4) Petrus de Bosco, *De recuperatione Terræ Sanctæ*, apud *Histoire litt. de la France*, t. XXVI. — Sub eodem titulo lucubraverat opusculum Raymundus Lullus, (*ibid.*, t. XXIX, p. 42.) — Sigismundus imperator de quo sæpe in hoc libro verbum faciemus hanc devotam simul ac politicam mentem diu gessit. — Cf. Hefele, *Histoire des Conciles*, t. X. pp. 537, 545, 551.

(5) « Froissart avait sans cesse éprouvé comme tous les hommes de son temps, un vif enthousiasme pour les croisades. Il loue fort le comte de Foix de son projet d'y prendre part. Comme maître Jehan, le chapelain d'Hesdin, ou maître Pierron Ruissole, le clerc de Gui de Dampierre, qui suivirent l'un et l'autre saint Louis à Tunis, il eût voulu se trouver au nombre de ceux qui allaient combattre :

En terre sainte où Dieu reçut souffrance,
La targe au col, et ens au point la lance
Pour remonstrer no force et no puissance
Aux cueurs malvés (mauvais).
(Kervyn de Lettenhove, *Froissart*, I, p. 270.)

(6) *De reformatione Ecclesiæ*, in opp. Gersonii, t. II, col. 911; et *Capita agendorum*, apud Von der Hardt, t. I, col. 514.

cere, et, quod forsan minus est probandum, impedire « ne nova festa solemnizarentur (1), ne novæ ecclesiæ ædificarentur, ne etiam tot novi sancti canonizarentur. » Cupiebat insuper :

« Ut præterquam diebus dominicis et in majoribus festis ab Ecclesia institutis, liceret operari post auditum officium, cum quia in festis sæpe magis multiplicantur peccata in tabernis, in choreis et aliis lasciviis, quas docet otiositas; tum quia dies operabiles vix sufficiunt pauperibus ad hujus vitæ necessaria procuranda. »

Deinde petebat :

« Ut in hujusmodi festis scripturæ apocryphæ aut hymni novi vel orationes (2) seu aliæ voluntariæ novitates, non legerentur, omissis antiquis et authenticis et jam in Ecclesia consuetis. »

Hæc omnia et alia nonnulla quorum alia tuta sunt et jure canonico probata, alia vero controversa, in Cameracensi diœcesi applicare sategit.

6. — Monachorum etiam ac monialium statum vel confirmare vel, si opus esset, corrigere conatus est. Privilegia et statuta capituli generalis *Windesemensis*, ordinis S. Augustini, quod Thomam a Kempis inter membra sua habuisse gloriabatur, renovare studuit (1409), et nonnulla monasteria utriusque sexus eidem disciplinæ submisit (3).

Devotissimus ille vir Joannes Ruysbroeck, qui paucis ante Alliaceni adventum annis decesserat (1381), monasterio quod dicunt Groenendael, haud procul a Bruxellis,

(1) Cf. eadem opuscula. — Cf. etiam Nicolaum de Clamengiis, *De novis celebritatibus non instituendis*, p. 143 et seqq. — Quæ fere omnia ab opere Henrici de Hassia, *Consilium pacis*, desumpta videntur, in opp. Gersonii, t. II, col. 835 et seqq. — Cf. postulata episcoporum Italiæ Conc. Tridentino oblata, *Analecta juris pontificii*, fasciculo XCI, coll. 970 et 987.

(2) *Ibid.*, col. 992.

(3) Ms. in Bibl. Hagæ Comitum, n. 352. — Cf. Wauters, *Histoire des environs de Bruxelles*, t. III, p. 537; — Impens, *Chronicon Bethleemiticon*, l. I, f. 19 et 22, et l. II, f. 33. — Quæ statuta a Martino V fuerunt sancita anno 1420.

sanctissime præfuerat; cujus discipulus, Gerardus Groot, *Fratres Vitæ communis* instituerat. Illis potissime favit Petrus noster qui etiam in medio Concilio Constantiensi eorum regulam a Matthia quodam Grabone impugnatam strenue defendit (1).

Insuper ad Fratrem Joannem de Gonnehans, insignem olim in sæculo militem, nunc autem Carthusiensis ordinis monachum, epistolam direxit quæ nunquam nisi incomplete fuit typis mandata. Quæstio a Joanne sic fuerat posita : *Utrum ordo Carthusiensium convenienter imponat suis professoribus votum omnimodæ abstinentiæ ab esu carnium?* Expositis suo more objectionibus, episcopus Cameracensis protestatur se hanc materiam non aggredi quia quemdam Carthusiensem audivit de abstinentiæ disciplina dubitantem, sed « ut habeant religiosi quid respondeant quibusdam regularibus et sæcularibus clericis... qui male suspicantur de præceptis et observantiis prædicti Ordinis, ipsumque imprudenter ac impudenter damnant (2). »

Quæstionis autem decisio tres articulos continet : 1° utrum votum omnimodæ abstinentiæ ab esu carnium sit *conveniens* et huic religioni *congruum;* 2° utrum hoc votum in casu necessitatis servare sit *virtuosum et licitum;* 3° utrum hoc in casu illud non servare sit *mortale peccatum* (3). Mira eruditione sententiam Arnoldi de Villanova celeberrimi medici commemorat, ut Carthusiensium adversarios facilius refellat (4).

(1) Vide inferius dicta, c. III istius historicæ partis, V.

(2) Cf. ms. Bibl. Cameracensis, n. 490, f. CCXII; et P. Tschsackert, *op. cit.*, *Appendix*, p. 25.

(3) *Ibid.*

(4) Cf. *Histoire litt. de la France*, t. XXVIII, p. 26 et seqq.— Cf. etiam tractatum Gersonii, *De non esu carnium apud Carthusianos*, t. II, col. 715, ad eumdem Joannem missum; — Ægid. Carlerium, Navarricum sodalem, *De non esu carnium apud Benedictinos*, in *Sport. fragmentorum*.

Alium tractatum incerto tempore lucubravit Alliacenus *de ingressu religionis, an scilicet de hoc deliberare aut consilium petere liceat*, hac de re scribens « ad instructionem minus eruditorum, » et sub forma quorumdam articulorum.

Sex regulas prudentia simul et utilitate refertas tradit, quas ipsius utendo verbis sic in compendium redigimus : 1° Non omnis instinctus, quo aliquis movetur ad intrandam religionem aut solitariam vitam, est bonus et consulendus. 2° Licet quandoque et in multis casibus retrahere ab ingresso religionis aut solitudinis. 3° Ille qui sic aliquem retrahit non tenetur semper pro eo intrare aut alias satisfacere. 4° Errat qui censet consilium hac de re non esse quærendum vel audiendum. 5° Ingressus in religione non est accelerandus celando difficultates ordinis ab intraturo, aut impediendo ne illas præcognoscat. 6° Non debet quis ad religionis ingressum per mendacia et diffamationes dolosas induci (1).

Pro monachis et pro monialibus regulam S. Augustini omnibus regulis tunc observatis anteferre videtur ; et benedictinorum præceptorum quosdam excessus damnat suo opere *de Reformatione* in concilio Constantiensi.

« Quædam religiones devotæ, inquit, regulæ beati Benedicti rigorem superaddunt in prolixitate vigiliarum et orationum et austeritate jejuniorum et abstinentiarum et aliis variis observantiis. Videretur providendum de discreta moderatione maxime circa infirmos (2).... »

Ast nihilominus cum pluribus Benedictinis monachis amicitiæ causas habuit, nam pro Cœlestinis lucubravit historiam

(1) Ex cod. ms. Bibl. reg. Bruxellensis, n. 21196. — Cf. Tschackert, *op. cit., Appendix*, p. 51. — De his omnibus cf. *Conc. Trid.*, sess. XXV, c. 18 et seqq.

(2) In opp. Gersonii, t. II, col. 912.

sancti eorum conditoris, *Vitam Beatissimi Patris Cœlestini V*, quam apud Bollandianos et Surium legere est (1).

7. — Stephanus Audry, olim a secretis S. Ludovici (2) et Joanna uxor ejus, hospitalem domum Parisiis fundaverant in qua duæ et triginta viduæ reciperentur. Piis illis feminis quæ a conditore nomen *Audriettarum* acceperant, statuta juxta regulam S. Augustini dedit Alliacenus, et ad vitam quasi monasticam agendam eas adhortatus est simul atque juvit (3).

III

1. — Petri prudentia maxime enituit in judicio ferendo de miraculis quibusdam eucharisticis in ejus diœcesi tunc patratis. Bruxellis nempe (4), anno 1369, judaica perfidia sexdecim hostias furata erat, et pugionibus corpus Christi sub speciebus eucharisticis latentis ignominiose et crudeliter

(1) Cf. caput XIV hujus nostri operis.

(2) Probabilius sub Philippo Pulchro officium pistoris regii adimplevit, anno 1306. — Cf. Lebœuf, *Histoire de la ville et du diocèse de Paris*, (Edit. 1883) t. I, p. 94.

(3) Frizon, *Gallia purpurata*, (a. 1638), p. 462.

(4) Usque ad annum 1559, sex erant archidiaconatus in diœcesi Cameracensi, quos damus cum nominibus eorum qui unicuique præibant tempore Alliaceni episcopi : 1° Archidiaconé de Cambrésis, formant trois décanats, savoir : *Cambrai, Le Cateau-Cambrésis, Beaumetz*. — 2° Archidiaconé de Valenciennes, trois décanats : *Valenciennes, Haspres, Avesnes*. — 3° Archidiaconé de Hainaut, quatre décanats : *Mons, Bavai, Maubeuge, Binche*. — 4° Archidiaconé de Brabant, quatre décanats : *Chièvres, Saint-Brice de Tournai, Grammont, Hal*. — 5° Archidiaconé de Bruxelles, trois décanats : *Bruxelles, Alost, Pamèle*. — 6° Archidiaconé d'Anvers : seul décanat d'*Anvers*. — Les archidiacres majeurs ou de Cambrésis furent, au temps de Pierre d'Ailly, *Gérard de Montaigu* et *Richard de Lair*. — L'archidiacre de Valenciennes s'appelait *Matthieu Havelle*. — Les archidiacres de Hainaut furent *Jean Daniel* et *Raoul Leprêtre*, si souvent nommé dans les actes où il s'agit de Pierre d'Ailly. — L'archidiacre de Brabant était *Guy de Rota*. — Les archidiacres de Bruxelles furent *Jean de Ischa*, écolâtre de Sainte-Gudule, *Landulphe de Maramalde*, archevêque de Bari et cardi-

transfixerat, unde ex crebris vulneribus cruor effluxerat abundans. Quod factum sic testatur professor Lovaniensis sermone Bruxellis habito, sæculo penultimo.

« Prodigium hoc quod recolitis et cujus laus est in ore omnium, tam lucidis veritatis characteribus insignitum est ut insanæ temeritatis reus sit qui negare id sustineat. Hostiarum violationem fassi sunt ipsi impii, qui in hac urbe ob nefandum scelus damnati, publicum ignis supplicium perpessi sunt. Senatus judicium, quo pœna hæc in illos decreta est, in historicis plerisque hujus rei seriem narrantibus reperitur; sed qui rem hanc ad evidentiam probat, codex est antiquissimus summæque auctoritatis, in archiviis Curiæ Rationum regiarum Bruxellis sedulo custoditus, in quo ejusdem Curiæ acta publica, eodem anno quo Judæi damnati sunt conscripta, apertam et sceleris eorum et supplicii mentionem faciunt, ut profecto constans facti hujus per quatuor sæcula toto Belgio traditio firmissimis nitatur fundamentis (1). »

Hoc miraculum, quod Robertus Gebennensis, Cameracensis antistes et postea Summus Pontifex, jam exploratum habuerat, recognovit et authenticum declaravit Petrus, post inquisitionem factam a Joannem de Sancto Gaugerico, qui relationem suam ita concludit (1402) :

« Quibus, Reverende Pater et Domine metuende, per vestram benignitatem latius intellectis, attentis attestationibus, et testimonio præfatorum virorum proborum et de speciali vestro mandato super hoc auditorum, quodque hujusmodi sacratas Hostias transfixas atque miraculose, ut pie creditur, sanguine conspersas, *personaliter inspexistis et vidistis*. Quas Hostias consuetudinarie deferre solent, ipso die Sacramenti sacratissimi, præfati Domini de Capitulo in eorum pro-

nal † 1415, et *Jacobus de Castellario*. — Les archidiacres d'Anvers se nommaient *Arnauld de Halla*, *Richard de Bassonvilla*, *Jacques de Prato* et *Eustache de Carlier*. — On comptait 1029 paroisses dans ces six archidiaconés. (Dr Le Glay, *Cameracum Christianum*, p. 387.)

(1) *Oratio in Basilica S. Gudulæ habita a C. F. Terswack*, in Acad. Lovan. Sacræ Theol. Doctore regente, 1770. — Hinc vides quam immerito P. Tschackert Alliacenum vituperet quasi superstitionibus medio ævo vigentibus nimis implicatum : « *Trotz seiner Befangenheit in mittelalterlichem Aberglauben....* » (*Peter von Ailli*, p. 114.)

cessione solemni. Placeat Vestræ Paternitati Reverendæ, de vestra benigna gratia, præmissa auctoritate vestra confirmare, ac omnibus hujusmodi sacratas Hostias venerantibus, et in dicta processione existentibus ecclesiamque B. Gudulæ ob reverentiam earundem devote visitantibus, ut eo avidius populus ad devotionem et venerationem præmissorum affectetur, de plenitudine vestræ pietatis indulgentias concedere, et alias gratiose super hoc ordinare, prout eadem Vestra Paternitas Reverenda latius agnoscit. Quam conservare dignetur Filius Dei benedictus in sæcula sæculorum. Amen (1). »

2. — Paulo post (1405), in vico qui dicitur *Bois-Seigneur-Isaac* (2), pio cuidam Joanni Du Bois, Corpus Domini Jesu vulneribus saucium et cruentatum apparuit, et corporale altaris pretioso sanguine perfudit. Quod mirabile prodigium recognovit Alliacenus, reliquias sacras et authenticas declaravit, curavitque ut omnes debitum honorem et cultum illis sedulo adhiberent (3).

(1) *Dissertation sur les Hosties miraculeuses*, p. 123. (Bruxelles 1790.)

(2) Viculus est in Brabantia, a Nivellis una leuca distans. Multi peregrinantes ibi conveniunt ad venerandum pretiosissimum miraculi sanguinem, qui, in theca reverenter asservatus, fidelium pietati, feria sexta ante Pentecosten, quotannis exponi solet.

(3) « Dans le temps que cette merveille arriva en la chapelle de *Bois Seigneur Isaac*, messire Pierre d'Ailly, homme de naissance et d'une prudence éprouvée, docteur très renommé en théologie, était évêque de Cambray ; lequel étant averti de ce grand miracle et des merveilles qui se faisaient à l'invocation du Saint-Sang par le bruit qui s'en répandait par tout le pays, eut grand désir de voir ce corporal ainsi teint et arrosé du sang précieux, afin d'en avoir une connaissance et assurance plus entière. C'est pourquoi, à son ordre, il lui fut porté en la ville de Cambray, par le révérend sire Jean Correman, prêtre et doyen de la chrétienté, résidant pour lors dans la ville de Hal. — Le dit Seigneur évêque, afin d'en être mieux informé, le retint chez lui environ deux ans, prenant de tems en tems garde si la couleur vermeille du sang, ne s'alterreroit ou ne changeroit point, comme le fait le sang ordinaire. De plus, pour mieux examiner si ce sang était vraiment miraculeux, il lava le dit corporal (avec beaucoup de crainte et de révérence) dans du vin, du lait et de la lessive : cependant ce sang ne changea en aucune manière ; encore moins pouvait-on l'effacer, ce qui est tout étonnant. Admirant donc la toute-puissance de Dieu en ses œuvres et entièrement satisfait par une si exacte inquisition, il voulut le retenir, pour en honorer et décorer son église cathédrale de Cambray ; mais le Seigneur Jean Du Bois, homme pieux, désirant d'aug-

3. — Pauca tantum verba de iis quæ Petrus quatenus Cameracesii comes egit; theologicis enim et ecclesiasticis potius quam mere civilibus et sæcularibus negotiis nobis insistendum est. Magnas lites composuit, ferocesque duces ac principes qui injustitias persæpe moliebantur, vel honestis sibi reconciliavit industriis, vel aperta vi submisit (1); monetam (2) excudit, cambii conditiones non sine tamen plurima contentione mutavit (3), civilemque principatum tam strenue et feliciter gessit, ut omnium laudes sibi conciliaverit. In his a suo coadjutore et vicario in pontificalibus H. de Tolvis, episcopo titulari Rossensi, haud segniter adjutus fuit, præsertim in illa diœceseos parte quæ flandrica lingua utebatur. Pro parte autem gallica, in quantum conjecturari licet, Joannes Grigniart, episcopus titularis Gebaldensis (forsan Gabalensis?), ex ordine Prædicatorum, ei adfuit (4).

menter l'honneur de Dieu et son saint service en sa seigneurerie, avec plusieurs autres personnes dévotes fit tant des instances auprès de Monseigneur de Cambray, qu'il lui restitua le dit corporal pour le mettre en son premier lieu, à scavoir en la chapelle du Bois-Seigneur-Isaac, où le miracle était arrivé. » *Histoire originale du Saint-Sang de Miracle*, par le R. P. Jean Bernard. — Cf. *Historiam famosissimi monasterii dicti a Sylva Domini Isaac*, authore R. D. Joan. Bapt. Wiaert, (Brux. 1688), p. 117; — *Histoire ecclésiastique et profane de Hainaut*, par l'abbé Hossart, 1792, t. II, p. 206,; — *Histoire générale de Hainaut*, par le R. P. M. Delewarde, t. IV, p. 306.

(1) Cf. Dupont, *Histoire ecclésiastique de Cambrai et du Cambrésis*, t. II, p. 54; — Lefebvre, dit Faber, *Documents relatifs à Pierre d'Ailly et récemment découverts au couvent de Saint-Julien à Cambrai*, in opere periodico cui titulus: *Revue des Sociétés savantes*, 1868. — Plures episcopo attulit curas castellum Malæ Domus, quod absque jure et per dolum ceperant Mansartus et Grigniartus, equites et filii castellani qui vico sic dicto *Esne* præerat. Cf. Dupont, *ibid.*

(2) Cf. Robert, *Numismatique de Cambrai*, 1861, p. 136. — Tribou, *Mémoires de la soc. d'émul. de Cambrai*, 1824, p. 214; et pl. V, fig. 4.

(3) Cf. contentiones cum Maria de Cavech quas enarrat Dupont, *op. cit.*, p. 44.

(4) E sæculo migravit die 31 jan. anni 1436, sepultusque fuit in ecclesia Fr. Prædicatorum, Valencenis. — Cf. Simon Le Boucq, *Histoire ecclésiastique de la ville et comté de Valentiennes*, (1650), p. 86; — et d'Oultreman, *Histoire de Valentiennes*, p. 458.

IV

1. — Diœcesim denuo relinquere debuit Alliacenus, ut exstingendo schismati totum se daret. At vero imprimis animadvertendum esse videtur nemini mirum esse debere, si non raro propriam opinionem in re tam ardua mutaverit Petrus; cujus rationem reddit Gersonius in epistola ad ducem Aurelianensem :

« Multa hactenus scripsi, Strenuissime Domine, plurima dixi quæ ad ecclesiasticam pacem utilia videbantur, prosequens pacem exulantem latratu quo potui, ego de genere catulus, offerens insuper pro virili portione ad opus tabernaculi Dei cum hominibus ea quæ de manu sua videbar suscepisse. Nec ignoro posse ea a tot capitibus in varias facile traduci sententias et forsan adversas, *quæ tamen omnia, si cum distinctione temporum, circumstantiarum quoque se offerentium multiplicitate, pensari digna fuerint, arbitror ea inventuris* (1) *nexu concordi veritatis inter se juncta esse, utpote quæ circa idem centrum eumdemque cardinem pii desiderii volvebantur*. Viam itaque cessionis bene practicatam ego brevissimam et optimam censui, judicans ad ejus receptionem secundum præparationem animi ambos contendentes de papatu jure divino constrictos; nec erat quod allegarent coactionem. Vellent itaque cogebat nemo. Porro in conclusione substractionis non affui, quam tamen conclusam impugnare pertinaci animositate non præsumpsi : sed postquam Dominus noster Benedictus viam cessionis, et alia quæ petebantur accommoda pro pace et reformatione Ecclesiæ dictus est acceptasse, opposuit se parvitas mea cum odiis et discriminibus non modicis, ut ipse neque papatum de facto irreversibiliter amisisse, neque hæreticus aut schismaticus judicandus esse causaretur. Placuit quoque restitutio, quam et prædicavi coram celeberrimo cœtu

(1) Forsan melius : *inventa iri*.

populorum. Per hanc itaque obedientia nostra secum unita portum pacis generalis attingere facilius sperabatur (1). »

Quum iisdem difficultatibus et mentis anxietatibus jactaretur Alliacenus, mirum non est quod in palinodias, saltem apparentes, lapsus fuerit. Hæc erant necessario prius explicanda quam ad ecclesiastica dissidia redamus.

2. — Principum quippe et episcoporum animi de utroque contendente Pontifice immutabantur. Ad Benedictum, qui in arce Avenionensi fuerat obsessus quique nuperrime aufugerat, non pauci redibant (2), nonnullæ quoque Universitates, plurimi principes ac præsules. Anno 1403, Parisiis convocatum concilium obedientiam olim Benedicto negatam restituit, sub certis tamen conditionibus (3) quas Petrus, concilii testis et actor, oratione coram fidelibus habita propalavit, plaudente Universitatis Parisiensis majori et saniori parte (4).

Iterum ipse legatus missus est ad Benedictum ut mutatam rerum conditionem, non omissis pacti conditionibus, renuntiaret, atque ut ejus assensum obtineret (5).

Interea obiit Bonifacius IX Romanus Pontifex; at illius loco suffectus est paulo post Innocentius VII, et sic absolvendi schismatis spes caduca magis evasit, quidquid ante et

(1) Epistola Tarascone scripta, anno 1403, quum Gersonius duci Aurelianensi mitteret sermonem coram Papa habitum in die Circumcisionis. — Bulæus, *Hist. Univ. Paris.*, t. V, p. 81. — Gersonii opp. t. II, col. 74.

(2) *Chronic. Carol. VI*, l. XXIII, c. 13, t. III.

(3) Bulæus, *Hist. Univ. Paris.*, t. V, pp. 66 et 69. — *Preuves des libertés de l'Eglise Gallicane*, 1631, t. I, § II, pp. 170 et 173. — *Ordonnances des rois de France*, t. VIII, p. 593, t. IX, p. 14.

(4) *Appointement final auquel sont d'accord le Conseil du roi et de l'Eglise de France, le 28 mai* 1403, ms. in Bibl. Vaticana juxta Montfaucon, *Bibl. bibl.*, p. 19. — Cf. Martène et Durand, *Thesaurus novus anecdotorum*, t. II, p. 1301; — Lenfant, *Histoire du Concile de Pise*, p. 120; — Orationem Gul. Philastri in concilio anni 1406, apud Bourgeois du Chastenet, *op. cit.*, p. 133; — *Chronic. Car. VI*, t. III, l. XXVI, c. 6.

(5) *Chronic. Car. VI*, loc. cit., c. 8.

post electionem Innocentius nondum pontificali dignitate illectus, bona profecto fide juravisset (1).

Benedictus se pacis studiosum simulans, ut per legatos cum Innocentio tunc Viterbii degente facilius et citius conveniret, Januam profectus est, ubi pro rege præerat Bussicaldus. Dum ibi commoraretur, coram eo conspicuam Alliacenus habuit concionem de Trinitate (1405) in qua triplicem egregie contemplatur communicationem Spiritus Sancti, *identicam* scilicet in ipsa Trinitate, *gratificam* in unoquoque christiano et *catholicam* in universa Ecclesia.

« Sub nomine Trinitatis inquit, revera de essentia divina festivatur (2); » jam illa festivitas alicubi celebratur, et nunc utiliter ubique terrarum celebranda esset ad eruditionem fidelium, hæreseon extirpationem, et catholicarum veritatum explanationem. Ideo a Summo Pontifice institutionem hujus festi eloquenter expostulat Cameracensis episcopus, ut « ipsa Trinitate adjuvante et interveniente, piis christianorum precibus, extirpatio nefandi schismatis, et conclusio pacis et ecclesiasticæ unionis quam quærimus prospere subsequatur (3). » Benedictus hac oratione permotus, statim pro sibi subditis festivitatem decrevit, et in Bulla motivis ab Alliaceno prolatis ejusque verbis usus est. In perpetuum etiam largitus est quinquaginta indulgentiarum dies, ut ipse petierat concionator.

(1) *Ibid.*, l. XXV, c. 22, et l. XXVI, c. 2. — Martène et Durand, *Vet. Script.*, t. VII, pp. LXIII et 686. — Christophe, *Histoire de la papauté au XIVe siècle*, III, 150.

(2) *Tractatus et Sermones*, Argent., 1490.

(3) *Chronic. Car. VI*, l. XXVII, c. 1.

V

1. — Dum hæc Avenione agerentur, disciplina magis atque magis solvebatur, corrumpebanturque mores; et ex ipsa pontificali curia, unde remedium expectari debuisset, oriebatur prima mali labes; venalia omnia, totaque Ecclesia prædæ fuit (1).

2. — Ideo Alliacenus Cameracum vix reversus, anno sequenti (1406), pro causa schismatis Parisius rursum se contulit. Universitas enim Parisiensis, quum in Benedictum morantem nimis et sua pertinacia simul ac ludibriis anxios fatigantem (2) insurrexisset, regem impulit ut ab eo se rursum subtraheret (3).

3. — Interea Innocentius VII Romæ mortuus est, et

(1) « O quel flayel! O quel douloureux meschief! qui encore dure, et a duré jà l'espace de vingt-six ans, ne tailliée n'est ceste pestilence de cesser, si Dieu, de sa saincte miséricorde, n'y remédie; car jà est celle détestable playe comme apostumée et tournée en accoustumance, tellement que l'en n'en fait mes conte, sí est grant péril que mort soubdaine s'en ensuive quelque jour en la religion crestienne, c'est assavoir une si mortel de Dieu vengence, que à celle heure faille tous crier *miserere mei;* car, se n'est par voye d'aulcune orrible bateure, j'ay grant paour que ne soyons pas chastiez; car semble que n'ayons aulcune memoire des Dieu vengences; et Dieu, par sa sainte clémence, y vueille piteusement pourveoir! » Ita anno 1404 scribebat Christina de Pisan, *Livre des fais et bonnes mœurs du sage roi Charles V.* (*Collection complète de Mémoires relatifs à l'histoire de France,* 1re série, t. VI, p. 116.)

(2) Sic minus reverenter locutus est de Benedicto archiepiscopus Turonensis, qui tamen ejus partes defendebat, in concilio anni 1406 : « Vous avez veu que par cinq ans en prison a esté, qu'il n'a oncques volu faire autre cose : cuidies-vous maintenant, quand il a le clé des cans, qu'il en faice ja riens? Je cuide que nenny. Il est du païs des bonnes mules : quand elles ont prins un chemin, l'en les escorcheroit, plutôt qu'on l'en les feroit retourner, que elles ne fassent à leur teste. » Apud Bourgeois du Chastenet, *Nouvelle histoire du Concile de Constance*, *Preuves*, pp. 148 et 226.

(3) *Appellatio interposita per Universitatem Parisiensem a D. Benedicto* (6 jan. 1406) apud Martène et Durand, *Thesaurus novus anecdotorum,* t. II, p. 1295.

promotus fuit ab ejus cardinalibus Angelus Corrario qui Gregorii XII nomen sumpsit. Conditiones quædam de via cessionis ab eo cæterisque cardinalibus ante ipsam electionem pactæ sunt. Sed antequam electionis nuntius in Galliam pervenisset, ad pacem promptius obtinendam, nova synodus Parisius convocata fuit, cui adfuerunt sexaginta quuatuor archiepiscopi et episcopi, ecclesiastici multi, et legati Generalium Studiorum quamplures, præsidente Simone de Cramaudo, Alexandrino patriarcha. Electi sunt sex ex utraque parte doctores, quorum alii subtrahendam esse Benedicto omnimodam obedientiam contenderent, alii e contra pugnarent non esse recedendum ab eo. Petrus ad Boves Franciscanus ostendere sategit Romanos Pontifices in ordinem cogi posse, dum ab ordine discederent (1). Joannes Parvi, qui sæpius heteroclitas immo et falsas opiniones defendebat, quique Benedicto infensus erat, vehementem orationem adversus duos contendentes pontifices habuit (2), illosque uti schismaticos et de hæresi suspectos damnavit. Deinde restitutionem Benedicto fuisse tantum sub conditione factam, et Papam conditioni defuisse quam sub juramento spoponderat affirmans, gallicanam Ecclesiam a conciliis provincialibus esse regendam aperte declarare ausus est (3). Simon ipse de Cramaudo dixit positos fuisse Romanos Pontifices ad unitatem Ecclesiæ servandam, eos proinde qui obstarent rejiciendos esse. Deinde qua ratione, subtractione semel admissa, ab episcopis, metropolitanis, primatibus et conciliis provincialibus regeretur Gallicana Ecclesia suo modo exposuit (4).

(1) Bourgeois du Chastenet, *loc. cit.*, p. 95. — *Chronic. Car. VI*, t. III, l. XXVII, c. 17.

(2) *Ibid.*, p. 105.

(3) *Ibid.*, p. 117.

(4) Hunc errorem recentioribus quoque sæculis apud nos esse propugnatum atque propemodum triumphasse novis eruditus lector.

Ex adverso, Gulielmus Philaster, olim Cameracensis canonicus et jam ecclesiæ Remensis decanus, pro Benedicto locutus, rudi quidem Minerva Gallorum inconstantiam increpavit (1), restitutionem obedientiæ non ad tempus sed in perpetuum fuisse asseruit, et iteratam subtractionem non modo inutilem sed periculi simulque scandali plenam fore dixit. Propterea eum nonnulli accusarunt quasi ad morbum regis alludisset, et juribus regiæ coronæ in temporalibus attentasset; undè paucis post diebus verba explicare et veniam implorare jussus est (2). Pro Avenionensi Pontifice etiam dixit Amelius de Brueil, archiepiscopus Turonensis, historico nimis et ancipiti modo concionatus et tamen ad generalem synodum congregandam strenue adhortatus (3). Die undecima decembris, cathedram ascendit Alliacenus, suamque mentem in oratione gravissima aperuit. De sua veneratione erga Regem et Universitatem testatus, quasdam propositiones jam anteacto mense coram Parisiensibus magistris recitatas rursum legit, ex quibus quartam et quintam seligimus : 4° videtur quod procedendo ad unionem *via cessionis* sit optima, 5° videtur quod pro reformatione ecclesiæ Gallicanæ expediat celebrare *concilium generale* (4). Quum de concilii utilitate, immo de ejus necessitate acriter disseruisset (5), quumque affirmasset Benedictum efficaciter

(1) « Premièrement quand Barthelemin (Barthelemy Prignano, Urbain VI) fut élu, au commencement du scisme qui occupa le siège de Rome, le Roy et tout son royaume lui obéit et prist la grace de ly ; après le laissames et obéismes au Pape Clément ; après à Benedict comme au vray Pape ; après ly avons fait sustraxion ; après l'avons restitution baillé, et ly avons obéy ; après ly voulons faire sustraxion : et l'on diroit tantost que ce seroit la chanson de Richocet. » Apud Bourgeois du Chastenet, *loc. cit.*, p. 140.

(2) *Ibid.*, p. 163. — *Chronic. Car. VI, loc. cit.*

(3) *Ibid.*, p. 141. — Jager, *Hist. de l'Eglise catholique en France*, t. XII, p. 360 et seqq.

(4) *Ibid.*, p. 153.

(5) *Ibid.*, p. 154 et seqq.

velle illud congregare, Summum Pontificem nec hæreticum, nec hæresiarcham, nec schismaticum esse concludit, eique obedientiam non esse denegandam, eo magis quod prima subtractio nihil profuisset.

Non obstante sua erga Studium Generale veneratione, machinationes illius impavide denuntiavit. Irati propterea magistri, facta congregatione, eum persequi decreverunt, et Joanni Parvi mandaverunt curam eum publice aggrediendi (1). Revera post oratores nonnullos tam pro subtractione quam adversus eam auditos, Joannes Parvi rursus pulpitum conscendit nomine Universitatis, et cunctas Petri rationes impugnavit eum tamen laudibus obruens (2); Benedictum omni quo potuisset modo viam cessionis olim denegasse, et in eo systemate nunc etiam persistere fortiter asseruit; viam ideo concilii nec sufficientem nec probandam esse concludit.

Cameracensis autem ab omni insimulatione seipsum liberavit, negans omnino se almam matrem argumentis lacessere voluisse.

Ei successit Joannes Juvenalis de Ursinis, regis advocatus, qui multa adversus Ecclesiæ jura et libertates asseveravit, et suffragia tandem expetivit. Omnes de concilii generalis necessitate unanimes inventi sunt; sed dum age-

(1) Bourgeois du Chastenet, *loc. cit.*, p. 198.

(2) « J'ensuivrai la manière de procéder de Monsieur de Cambray. Voire je l'ensuivrai, selon ma petite puissance, comme un beuf ensuit un coursier de Calabre, comme une fourmi ensuit un connin. Il a mis ses conclusions par escript, et les a leuës ; aussi je lerai les miennes en mon escript. Je sai bien que je estoie très bien jone, que Monsieur de Cambroy estoit déja moult grand, appressiè, notable clerc, et moult reputé ; et pour la souffisance de lui, estoit tres souvent chargié déslors de faire moult de propositions devant Messeigneurs et autres Princes qui estoient *magni ponderis*, et moult dangereuses à faire et adonsques il falloit qu'il les fist, quand l'en ly en bailloit la charge : maintenant aussi je suis bien certain qu'il ne lui déplaira mie, se je dis ce qui m'est enjoint et enchargié à faire. » *Ibid.*, pp. 222 et 224.

retur de subtractione, diversas in sententias abierunt; quum tamen pars major subtractionem censuisset utilem, hæc de novo promulgata fuit et via cessionis laudata. Septima januarii die decretum de recusanda obedientia ab ecclesiæ Gallicanæ synodo latum fuit, et paulo post a rege probatum (1).

4. — Per solemnes legatos inter quos eminebat Alliacenus, res duobus contendentibus denuntiata fuit. Rursus versipellis visus est Benedictus, Gregorius autem de jure suo ne hilum quidem cessit (2). Eo autem majus scandalum ingerebant hi ambo Pontifices, quod sæpius polliciti fuerant, immo et juraverant, se a pontificatu discessuros, honorique et muneri suo pacem antepposituros. Uterque videlicet, imperii blanditiis captus, profitebatur solio pontificali se abdicaturum, sed ea conditione ut æmulus loco prius cederet (3); quumque alter alterum expectaret, neuter vero inciperet, nihil interim fiebat et schisma in infinitum protrahebatur. Et, quod gravissimum apparuit, electi Pontifices

(1) Bourgeois du Chastenet, *loc. cit.*, p. 257. — *Chronic. Car. VI*, l. XXVII, c. 18. — Cf. Opp. Gersonii, t. II, col. 103 ; Dupuy, *Histoire du Schisme*, p. 315.

(2) Juvenalis de Ursinis, *op. cit.*, p. 439.

(3) Ita exclamat auctor libelli qui inscribitur : *Livre des faicts du mareschal de Boucicaut*, quem librum a celeberrima illa Christina de Pisan scriptum fuisse aliqui non sine ratione reputant : « O faulse convoitise, gouffre d'enfer insatiable, comment as-tu puissance de tellement aveugler le cœur de l'homme, que nonobstant que il congnoisse que longuement au monde ne peult vivre, toutesfois tu luy fais perdre comme toute congnoissance de la punition de Dieu ? Et ce appert quand mesmement deux vieillards sur leur fosse, assis non deüement en siege papal, ce sçavent-ils bien (qui pour un seul fut estably de Dieu, ne autrement ne peult licitement estre,) sont tant embrasez de ceste maudite convoitise, accompaignée d'orgueil, que ils ont plus cher eulx damner, et tout le monde mettre en perplexité et douleur, et estre cause de la damnation de infinies ames, que renoncer à un petit de brief honneur mondain receu induëment, que leur adherents leur font ! O profond puis d'enfer, logis de Caïn et de Judas, à quoy tardes-tu que tu ne les appelles à toy, et que ceste playe en chrestienté cesse, laquelle tant dure pour les pechez des defaillans Chrestiens, Dieu ainsi le consentant ! » (*Collection complète de Mémoires relatifs à l'histoire de France*, t. VII, p. 162.)

inter ipsa electionis initia ad juramentum voluntariæ cessionis adacti, rem ita procrastinantes, perjurii insimulabantur, et crimen schismatis immo et hæreseos haud vitabant. Unde non immerito Bossuetius ita censet :

« Totum id quod inter ipsos, missitatis ultro citroque legatis, agebatur, fædæ ludificationi quam seriæ tractationi similius habebatur. Haud me fugit Gregorium XII, virum bonum et simplicem, meliore fide egisse visum; Benedictum XIII, subdolum, pervicacem atque obstinatæ mentis, eo tantum collimasse, ut in æmulum continuati schismatis invidiam derivaret (1). »

VI

1. — Jam Gregorius Benedicto necnon et regibus ac principibus litteras miserat (2), quibus significabat se paratum jure suo cedere, si Benedictus prior renuntiaret. Nec verbis contentus, legatos Massiliam misit ad eligendum cum legatis ab altera parte deputatis locum in quem uterque Pontifex commode et secure posset sese conferre. Non paucæ hinc et inde urbes propositæ sunt, sed tandem, die 20 aprilis 1407, urbs Saona legatis placuit (3).

Paulo post, die nona maii, Galliæ legati Benedictum Massiliæ inviserunt; ambiguis ejus declarationibus et perpetuis dilationibus haud parum irati, rursum obedientiæ subtractionem declarare intenderunt. At Alliacenus Gersoniusque in contrarium locuti sunt (4); atque ideo a pluri-

(1) *Defensio declarationis*, l. IX, c. 7.

(2) *Chronic. Car. VI*, l. XXVII, c. 20.

(3) *Chronic. Car. VI*, l. XXVIII, c. 1 et 2.

(4) Martène et Durand, *Thesaurus*, t. II, p. 1329. — *Chronic. Car. VI*, lib. XXVIII, 13.

bus Universitatis magistris vehementer, tanquam si causam Galliæ prodidissent, fuerunt accusati. His non obstantibus, Alliacenus cum sociis Romam profectus est, ut Gregorium determinaret ad conveniendum Saonæ cum Benedicto, ejusque objectiones solveret. At Gregorius, a nepotibus deceptus, noluit Saonam urbem eligere quia Januensibus qui naves offerebant non fidebat. Benedictus e contra per mare Januam se contulit, et paulo post Portum Veneris. Ideo facete, etsi minus reverenter, dictum fuit : « Unus (Benedictus) est animal maris quod non vult in terram descendere ; alter (Gregorius) est animal terræ quod non vult mare transire (1). » Attamen Gregorius Romam reliquerat, ut in superiores Italiæ provincias tenderet.

2. — Petrus autem antea Roma profectus Januæ degebat, et ad Gregorium scripsit ejus zelum pro Ecclesiæ pace laudans (2). Epistolæ considerationes decem subjunxit, istas nempe exempli causa, expedientius esse progredi in jam incepta regia et constanti virtute quam novum iter arripere ; Summum Pontificem teneri ad implenda inviolabiliter ea quæ Massiliæ fuerunt pacta et juramento confirmata ; scandalum incredibile fore in Ecclesia, si hæc non observarentur. Subdebat etiam Alliacenus Papam non posse Saonam recusare, quia delectionem hujus loci jam approbaverat et nihil ex parte regis Franciæ factum fuerat quod eum ab incœpto consilio dimovere valeret. Veniat ergo Saonæ Gregorius ne Gallis videatur adversari, ne bona pontificia fides quid detrimenti accipiat, ne promissis omnibus deficiat. Et pergit :

« Prætensi enim cardinales, nolunt recedere a concordato

(1) Leo Aretinus apud Lenfant, *Histoire du Concile de Pise*, t. I, p. 193.

(2) Litteras et considerationes hactenus in Bibl. Vaticana latitantes, R. D. Vandame, Sacræ Theologiæ Doctor, benigne nobis transmisit.

Massiliæ, propterea necesse erit ut veniant ad locum Saonæ et per Dei gratiam non aderunt sine vobis quem caput reputant. Propterea veni, Domine, et sis nobis Jesus, hoc est Salvator et angelus pacis atque ex his paucis plura et altiora colligens, salva temetipsum et nos, dando pacem Ecclesiæ sicut toties, etiam nobis audientibus, cum piis lacrymis pollicitus es ore tuo in quo non inveniatur irritum verbum rectum (1). »

Ast in vanum laboravit Cameracensis : ambo enim contendentes, nec Saonæ, nec Lucæ, nec alibi collationem habuerunt, et spes ecclesiasticæ pacis rursum evanuit.

3. — Benedictus tandem, post varias querelas et alias dilationes, bullam excommunicationis vehementem edidit contra eos qui se ab ejus obedientia subtraherent, aut jam subtracti perseverarent, aut denique ab illius judiciis appellationes interponerent ; adeo tumidos vel in adversa fortuna gerebat spiritus (2).

At iratus Carolus, congregatis die 21 maii 1407, præsulibus et principibus, nonnullos Benedicti fautores in carcerem conjecit læsæque majestatis insimulavit ; bullam Pontificis injuriosam et seditiosam declaravit, ac inter utrumque contendentem in integro Galliæ regno indifferentiam observandam esse illico promulgavit (3). Insuper Bussicaldo man-

(1) Ms. in Bibl. Vaticana, n. 4192, f. 29. — Cf. de istis omnibus *Chronic. Car. VI*, l. XXVIII, præsertim c. 24 et seqq.

(2) Acherii *Spicil.* t. I, p. 803. Epistola quam retulimus apprime concordat cum sermonibus quos habuit Cameracensis episcopus, quum Romæ degeret, quosque refert monachus Sandionysianus, *Chronic. Car. VI*, lib. XXIX, c. 2 et 5. — Cf. Bulæum, *Hist. Univ. Paris.*, t. V, p. 143 ; et Monstrelet, *Chroniques*, l. I, c. XLIII. Errat tamen de die iste ultimus, quum « 23 kal. martii » non existat.

(3) Froissart, *Chroniques*, t. XVI, p. 116 et seqq. — *Chronic. Car. VI*, t. IV, l. XXIX, c. 4. — « Tours, 22 janv. 1408. Lettres du roi Charles VI par lesquelles déférant aux décisions du concile assemblé à Paris par son ordre, il se déclare neutre entre les prétendants à la Papauté, se retire de l'obédience de Pierre de Lune et défend à ses sujets de le reconnaître Pape,

davit ut Petrum de Luna, si fieri posset, caperet; qui perterritus in Catalauniam aufugit. Utriusque obedientiæ cardinales tunc convenerunt, et concilium in civitate Pisana sequenti anno coadunandum indixerunt (1). Quum vero Petrus omnia hæc contra Benedictum patrata non improbare non posset, Universitas adhuc ei infensa petiit ut et ipse caperetur Lutetiamque adduceretur. Eum revera fuisse comprehensum et in arcem Luparæam conjectum quidam affirmant (2). Immo asserere non ambigunt in duro hoc carcere commentarium in librum Boetii *de consolatione philosophiæ* lucubrasse. At vero nunquam in carcere Luparæo inclusus fuit, et Sandionysianus Monachus, qui rem totam evolvit, illum in vincula conjectum fuisse negat (3), cui etiam congruunt documenta Cameraci nuper inventa (4).

Quomodo res se habuerint dicendum est. Mense augusto 1408 concilium in urbe Parisiensi congregavit Carolus. Episcopus Cameracensis convocatus ire recusavit, seque morbo afflictum et podagra laborantem dixit. Quæ responsio Parisiensibus doctoribus et ipsi regi suspecta visa est. Meminerant enim Alliacenum semper Benedicti partibus favisse, ejusque causam sæpissime defendisse. Jussus itaque est ut saltem concilio legatum mitteret, si morbo revera

Cardinal, etc., et d'avoir égard à ses commissions, monitions, etc... postérieures à ses lettres coupables du 19 mai 1407. » (*Archiv. nat.*, M 67 b, n° 61.) — Lettres du roi de Navarre Charles III (29 mars 1408), déclarant qu'il adhère à la décision du roi Charles VI. (*Ibid.* n° 62.)

(1) Cf. Gersonium, *Proposit. coram Anglicis*, consid. IV, t. II, col. 128; et *Chronic. Car. VI, loc. cit.*, cap. 13 et 14.

(2) Monstrelet, *Chroniques*, XLIX. — D. Grenier, *Analecta juris pontificii*, 1876, p. 902.

(3) *Chronic. Car. VI*, l. XXIX, cap. 3 et 10. — Hefele, *Histoire des Conciles*, t. X, pp. 166 et 244.

(4) *Documents relatifs à Pierre d'Ailly et découverts au couvent de Saint-Julien à Cambrai*, par Lefebvre, dit Faber, in *Revue des Sociétés Savantes*, 1868, 2me semestre, t. VIII, p. 139.

detineretur. Respondere noluit præsul, libertate privari Parisiis pertimescens. Jam enim episcopus Vapincensis, abbas Sandionysianus, et quidam canonici Parisienses, in castro Luparæo detenti et læsæ majestatis accusati fuerant. Tunc Walerandus de Sancto-Paulo (1) a rege litteras accepit ut Cameracensem antistitem apprehenderet quovis loco, sive in Galliæ regno, sive alibi, non tamen in loco sacro. Walerandus Cameracum petiit, urbis senatum adunavit eique Caroli VI epistolam legit; tum demum Alliacenum adiit. Validas prorsus fuisse causas excusationis evincere potuit Petrus; nec fuit ab episcopali urbe abreptus; immo paulo post concilio Parisiensi adfuit, apud regem factum purgavit, novasque litteras regias accepit quibus revocabantur priores illæ ad comitem Sancti-Pauli (2).

(1) Walerandus de Luxemburgo, comes de Sancto-Paulo († 1415), germanus erat Andreæ cui in sede Cameracensi successerat Alliacenus, vir præpotens in consiliis et in bello, qui in tantis rerum discriminibus fuit, uti tunc aiebant, « *courtois et chevaleureux,* » quique virtute non ultimum tenebat locum inter illos Flandriæ, Hannoniæ et Campaniæ equites : « *li plus haut sengnour qui sont sans couronne,* » uti scribebat Villehardouin, « *plains de toutes franchises et convoiteux de vrai honneur,* » ut aiebat Gersonius (*Serm. ms.*, fonds Colbert, n° 7326, f° 91.) Domus Luxemburgicæ laudes decantat Alliacenus in secunda collatione pro apotheosi Petri Luxemburgensis; apud Bulæum, *Hist. Univ. Paris.*, t. IV, p. 664.

(2) Textum ipsum nuper in monasterio Sancti-Juliani Cameracensis repertum oculis subjicere juvat : « Par quoi, les coses dessus dictes considerées, et que ledit suppliant et prélat, homme d'église demourant et beneficié hors de nostre dit royaume, et attendu aussi son essoine (excuse en justice) et maladie qu'il a eu en sa personne, comme dit est, et autres causes et considerations à ce nous mouvant, nous mandons et deffendons et enjoignons expressement que par vertu de nos autres dites lettres à vous adressees vous ne procédiez dorenavant à l'exécution d'icelles à l'encontre de notre dit conseiller suppliant (P. d'Ailly) dessus nommé, en quelque manière que ce soit; car ycelles nous avons revoqué et adnullées, révoquons et adnullons et mettons du tout au néant. Et se par vertu d'ycelles nos autres lettres à vous adressées, comme dit est, le dit suppliant estoit aucunement travaillié, molesté, destourbé ou autrement empeschié, le mettiez ou faites maître tantost et sans délay à plaine délivranche... » (23 sept. 1408.) *Revue des Sociétés Savantes, loc. cit.*, p. 157. — Graviter ergo errat Erasmus quum asserit Alliacenum a sua episcopali sede fuisse turpiter deturbatum et propterea cardinalatus purpuram a summo Pontifice accepisse. Cf. Bayle, *Dict. critique*, t. I, art. *d'Ailly*, notes.

Scripsit etiam rex ad cives Cameracenses, die 11 octobris 1408, se ideo injustum fuisse confitens, quia Cameracum non esset pars Galliæ regni, neque ipse ullo jure in civitate potiretur (1).

4. — Tantis hoc tempore fuit agitata procellis Petri vita ut a pluribus amicis, Gersonio præsertim et Nicolao de Clamengiis, consolatorias debuerit accipere epistolas. Ita eum compellat Gersonius :

« Ex litteris binis tuæ dignationis, Reverende Pater et præceptor optime, palam facta est anxietas animæ tuæ eo quod zelus domus Domini et reipublicæ salus comedit te. Vero quidquid video, inquis, mihi grave est et pene importabile. »

Optima et saluberrima consilia ei deinde impertitur Gersonius ; ad refugium in Deo solo quærendum et internam devotionem colendam eum adhortatur. In sequenti epistola scriptores et Patres ad legendum utiliores ei consulit, Bernardum scilicet, Richardum, Gulielmum Parisiensem, Bonaventuram, etc.

« Quid aliud, quæso, Patres illi egerunt, nisi ut consolationem spiritualem quam requiris, spreta carnali, succenderent in animis auditorum (2). »

Ei quoque de ecclesiasticis tribulationibus jam scripserat Nicolaus de Clamengiis (3), eisdem et ipse impetitus

(1) « Pourquoi nous, considerées les choses dessus dictes, voulant les diz exposans (Cambrésiens) desquels nous somes gardiens garder en leurs drois, non voulant aussi aucune chose entreprendre sur les drois de l'Empire, considerées aussi les aliances que nous avons en ladite Cité de Cambrai, nous avons declaré et ordonné, declarons et ordonnons par ces presentes que... notre entencion ne fut oncques et n'est de rien vouloir entreprendre sur les drois de l'Empire ne de ladite ville, ne des citoyens et habitans d'ycelle en aucune maniere.... » (11 oct. 1408.) *Ibid.*, p. 158.

(2) In opp. Gersonii, t. III, coll. 429 et 431.

(3) Opp. Nicolai de Clamengiis, Epist. XXIX, p. 104, (Edit. Lydii).

odiis; ex Carthusia autem Fontis in Bosco ad amicum iterum scribit :

« Quamvis cum republica occidente privatæ etiam cujusque copiæ plerumque occidere soleant, ex universalique ruina publicove incendio pauca subtrahi possint temporalia bona, sunt tamen quædam excellentiora quæ nulla vis hominum auferre possit, nulla adversitas vel calamitas eripere, in quibus, non infortunæ ludibriis, suam sapientes felicitatem constituunt. Ex te itaque, quem in numero sapientum, si quid habent sapientiæ, nostra merito possunt tempora deputare, magno discere affectu cupiebam quibus armis instructi, in arcemque munitissimam præsidiumque firmissimum rationis et sapientiæ introducti, tantos foris obstrepentes tumultus, tantas minas, tantos furores, tanta undique incursantia pericula, quibus mundum quati videmus, velut ex stabili aliqua possemus specula infracto imperterritoque animo contemnere.... Plerique adversus me nominatim acerbissimas his temporibus exercent inimicitias et hostili in me animo odioque grassantur.... Nec ista quidem tam propter me dixerim, qui nihil egregium gessi, quam propter te et alios multos, magna virtute decoratos, quorum comparatione nihil verius sum, qui nullam adhuc expressam virtutis imaginem sed mundam (1) ac tenuem umbram vix attigi.... Tu cunctas illorum insidias quas adversum te moliti sunt, egregie pulcherrimeque frustratus es, contortaque per illos in te tela abjicis, et quotiens te oppugnare adorti sunt, clarior et illustrior tua ex illorum infestatione semper emersit virtus, dumque illam labefactare atque obruere conati sunt, toti orbi celeberrimam gloriosissimamque reddiderunt (2). »

5. — Paulo post (1408) ad Concilium Pisis proxime congregandum pergens, cardinalibus ibidem jam congregatis scripsit Cameracencis noster :

« Nescirem satis litteris exprimere quantum exsultavit cor meum de sancta et, ut æstimo, toti Ecclesiæ salutari concordia reverendissimorum dominorum meorum cardinalium Sacri

(1) Forsan nudam.

(2) *Ad Petrum Cameracensem episcopum*, Epist. XLIV, p. 133.

Collegii cum dominis in parte alia nominatis cardinalibus super prosecutione ecclesiasticæ unionis, præsertim per viam concilii generalis, quam ego semper quantum laudaverim, quantum optaverim, et pro viribus prosecutus sim, sciunt multi fide digni, etiam magni prælati, inter quos non desunt plures sanctæ Romanæ Ecclesiæ domini cardinales. Quum enim per viam liberæ cessionis amborum Dominorum contendentium de papatu, viam utique desideratissimam, ab omnibus nuper speratam fidelibus, nondum, proh dolor! cæca ambitione procurante, data sit pax Ecclesiæ; quæ alia restat via nisi hæc ab antiquis Patribus approbata et vestris tandem a Spiritu Sancto pectoribus inspirata? In hac igitur ambulare, in hac progredi, in hac etiam usque ad mortem perseverare convenit. Eapropter hanc viam ultra quam dici potest intimis amplectens præcordiis, ad locum conventionis dictorum dominorum cardinalium etiam ante præfixum terminum accedere decrevi, ideo quod in Provinciam veni, ultra quam ad vos indilate procederem, nisi quia pollicitus sum exspectare reverendissimum patrem dominum meum cardinalem de Barro; si autem interim aliqua possem ad dictam conclusionem utilia offero me ad servitia dominorum meorum cardinalium, quibus humillime recommendari supplico (1). »

Propositiones multas utiles ad exterminationem schismatis per viam concilii generalis tunc edidit, quum per Aquas, Tarasconem et Januam (2) iter faceret ut concilio adforet. In quibus documentis spiritum divinationis nescio quem invenies, nam universa fere gesta Pisanæ synodi prænuntiat et quasi vaticinatur Alliacenus.

(1) Apud Tschackert, *Peter von Ailli, Appendix*, p. 29. De ms. regiæ Bibl. S. Marci Venetianæ, cod. lat., 129, f. 93 b, col. 2.

(2) Documenta Januæ conscripta quæ nonnulli, uti Ellies Dupin (in opp. Gersonii t. II, p. 110) et J.-B. Schwab (*Johannes Gerson*, p. 220), Gersonio adscribunt; sed ea sibi vindicat ipse Alliacenus in sua *Apologia concilii Pisani*, ubi ita scribit « Notanda est quædam brevis schedula in dicta civitate Januæ quando tractabatur de conventione duorum contendentium per me facta, et postea per plures doctores theologos et juristas approbata, cujus tenor talis est... » — Martène et Durand, *Vet. Script. amplissima coll.*, t. VII, pp. 892, 909 et 916. — Cf. Gersonii opp. t. II, col. 110.

Pisas tandem appulit cum Ludovico cardinali de Barro (1); cui durante concilio in omnibus adstitit (2).

VII

1. — Concilio interfuerunt centum et quadraginta prælati, plurimi abbates, juristæ et theologiæ doctores, pluresque utriusque obedientiæ cardinales. Convocatis et renuentibus Pontificibus, Benedicto nempe et Gregorio, declaraverunt Patres concilium esse generale, legitime congregatum, universalem repræsentans Ecclesiam, aptumque ut contendentis utriusque causam audiret, judicaret, sicque malis catholicæ fidei magis ac magis ingruentibus remedium præstaret. Revera, die quinta junii, peremptoria prolata est sententia, in solemni deinde sessione confirmata; videlicet :

« Ipsos Angelum Corario et Petrum de Luna, de papatu ut præfertur contendentes et eorum utrumque fuisse et esse notorios schismaticos, et antiqui schismatis nutritores, defen-

(1) Cf. Alph. Ciacconium, *Historia Pont. Rom. et Çardin.*, t. II, p. 740. — Ludovicus de Barro, Francorum regum sanguine ortus, fuit canonicus ecclesiæ Cameracensis inde ab anno 1403. Postquam Ecclesiam Pictaviensem administrasset, creatus est præsul Lingonensis, Catalaunensis, Virdunensis. Ad cardinalatum evectus, accepit titulum Sanctæ Agathæ et concilio Pisano adfuit. Quum pro Alexandro V stetisset, ab eo titulum duodecim Apostolorum obtinuit. Obiit anno 1430.

(2) Pour remettre l'Eglisse en certaine unitet,
S'envoièrent des clers cascuns de leur costés,
Arcevesques, évesques avoecques maint abé.
Du royaume de France en y ala plenté.
L'évesque de Cambrai un saige clerc letré,
Maistre Pierre d'Ailly fut par non apiellés,
Pour un clercq noble et grant en science fondés
Fut envoiés delà en grant fiableté.

(*La Geste des Ducs de Bourgogne*, libellus a Kervyn de Lettenhove editus in *La Belgique sous la domination des Ducs de Bourgogne*, Textes français, p. 359.

sores, approbatores, manutentores pertinaces, nec non notorios hæreticos et a fide devios, notoriisque criminibus enormibus perjurii et violationis voti irretitos, universalem Ecclesiam sanctam Dei notorie scandalizantes, cum incorrigibilitate, contumacia et pertinacia notoriis, evidentibus et manifestis; et ex his et aliis se reddidisse omni honore et dignitate, etiam papali, indignos; ipsosque et eorum utrumque propter præmissas iniquitates, crimina et excessus, ne regnent vel imperent aut præsint, a Deo et sacris canonibus fore ipso facto abjectos et privatos, ac etiam ab Ecclesia præcisos; et nihilominus ipsos Petrum et Angelum et eorum utrumque per hanc sententiam definitivam in his scriptis privat, abjicit, præscindit; inhibendo eisdem, ne eorum aliquis pro summo Pontifice gerere se præsumat, Ecclesiamque vacare Romanam ad cautelam decernendo (1). »

Omnes insuper christicolas ab eorum obedientia synodus absolvit, inhibetque ne contendentibus quomodolibet obediant vel auxilium præstent, sub excommunicationis pœna. Quod si ambo illi parere contempserint, aperta vi et sæculari potestate conterantur. Processus ab eis incepti, sententiæ excommunicationis latæ, quædamque promotiones factæ irritentur. Hujusmodi vero judicium justitiæ metas transgressum fuisse neminem latet. Dubium enim valde est ambos contendentes schismatis æque fautores, verique nominis et pervicaces hæreticos fuisse, atque fidem in *unam, sanctam et apostolicam Ecclesiam* sua ratione agendi impetivisse. Insuper Pisani Patres nimia et imprudenti festinatione omnium utriusque Pontificis fautorum iracundiam concitarunt, sicque rem infectam, immo et in pejori statu, reliquerunt. Die enim decima nona junii anni 1409, viginti

(1) Sessio XV concilii Pisani. — Cf. Martène et Durand, *Vet. Script. amplissima coll.*, t. VII, p. 1096, et *Thesaurus*, t. II, p. 1478. — Cf. etiam Mansi, *Sacr. Conc. Collectio*, t. XXVI, pp. 1046 et 1226; t. XXVII, p. 27 et seqq, p. 1102 et seqq. (Edit. Venet); — Von der Hardt, t. II, col. 137. — Lege præterea *Chronic. Car. VI*, t. IV, l. XXX.

quatuor cardinales conclave ingressi sunt, et vigesima sexta unanimiter elegerunt Petrum de Candia, qui nomen *Alexandri V* sibi assumpit, ita ut non jam duo sed tres de pontificia sede contendere tandem visi sint.

2. — Acta synodi rata habuit Alexander; omnes sententias ab utroque contendente prius latas irritas decrevit; collationes autem, provisiones, consecrationes et ordinationes de eorum auctoritate factas pro canonicis habuit, atque concilium generale in quo de emendatione Ecclesiæ ageretur, ad annum 1412 indixit. Ast nihilominus Avenionensis Papæ fautores, Hispani præsertim, obstinatissime Benedictum suum tuebantur; errorque tantus erat ut sanctorum etiam mentes occuparet. Ipse Vincentius Ferrerius, vir utique optimus, Alexandrum comparabat idolo quod impius rex Nabuchodonosor adorari aliquando jusserat, sicque pro more suo ardenter declamabat :

« Illud omnes gentes christianitatis adoraverunt, exceptis, juxta interpretationes, Sydrach, id est regnum Castellæ, quia decori homines, Mysack, id est regnum Scotiæ, quia isti sunt læti facie, Abdenago, id est regnum Aragonum, quia tacentes sunt, id est non hilares facie, immo gentes iratæ ut illi qui retinent iniquitates in corde, et non audent eas manifestare, sed pressi tristitia tacent. Quæ quidem regna non adoraverunt idolum Pisis factum. Dico quod non intelligitur de eo, quia non fuit pœna mortis fulminata in iis qui non adoraverunt illud (1).... »

3. — Etsi de reformatione Ecclesiæ multi tunc præsules plenis oribus dissererent, ex iis bene plures videntur certis nostris historicis de suis opibus et privilegiis amplificandis curam potius habuisse. Indicium rei profecto severum suppeditat coævus auctor anonymus quem multi Alliacenum

(1) Ms. in Bibl. Casanatensi, H. VII, p. 20.

esse autumarunt, quique (1410) *de difficultate reformationis Ecclesiæ* ita scribebat :

« Alexander, prorsus inexpertus erat eorum quæ officii pastoralis honor et sublimitas exigebant, quamvis esset magnus theologus, et quidquid cardinales ab eo petierunt, ipsis absque contradictione concessit, nec audebat ipsis aliquid denegare. Unde ipsi continuo eum importune crebris petitionibus vexarunt, ita ut aliquando propterea in semetipso turbaretur, nec poterant satiari (1). »

Increpat insuper Pontificem anonymus quod deformaverit nobiliora Curiæ officia, multos absentes dignitatibus et beneficiis privaverit, multaque egerit absurda; unde concludit : « Et hæc fuit ipsa reformatio ultro promissa ! (2) »

Paulo postea (1410), et ante expectatum concilium fato functus est Alexander, cui successit Balthazar Cossa, sive Joannes XXIII, Ecclesiæ malorum novus auctor.

VIII

1. — Qualem personam in Pisana synodo gesserit Alliacenus, ex ipsius ore et confesso audiamus. Pertinaciam Benedicti abhorrens, Gregorio nunquam addictus, pro depositione utriusque votum emittere haud dubitavit. Immo, Carolum Malatestam, ducem Aninінensem, hortatus est Patrum nomine, ut Gregorium quem in sua potestate habebat, aperta vi adigeret ad pontificiam dignitatem relinquendam atque ad pacem Ecclesiæ restituendam. Sed christos

(1) In opp. Gersonii, t. II, col. 872.

(2) *Ibid.*

Dei tangere non audens (1) Malatesta, libertatem Pontifici reliquit, et sic omnis labor omnisque concilii spes evanuit.

2. — Benedicto in Arragonia degenti epistolam misit Alliacenus quæ filialem affectum simul ac dolorem redolet, quæque præsertim ardentissimum patientis Ecclesiæ amorem exprimit. Hujus documenti, ab eruditis fere ignorati, compendium ac medullam afferre juvat (2). Imprimis Pontificem magna libertate reprehendit quod promissa adimplere non curaverit, immo suorum cardinalium pias et caritativas epistolas contumeliose recusaverit.

« Egregiam ambassiatam inclytissimi et christianissimi regis Francorum, gravem et displicentem habuisti,... licet viam cessionis commodiorem et utiliorem diu ante tuam assumptionem Parisius in domibus regalium, dum prædecessoris tui legatus existebas, prædicasti ac in practica posuisti... Hæc fuerunt de primis mendaciorum miraculis tuorum quæ fecisti in Cana Galileæ.

Ego autem animæ tuæ salutem sitiens, Ecclesiæque Dei pacem et unitatem, quæ tam dulcibus exhortationibus et magnis declamationibus blandiri et flecti non potuit..., decrevi mihi sermonibus gravioribus, verbisque magis pungentibus et sæpe iteratis te alloqui, ut sicut gutta cavat lapidem, non vi sed sæpe cadendo, tui convaleam remollire duritiam. Animadverte, quæso, bone pater, quomodo tu es ingratus Deo.... Nonne scis tu, quod membra a capite divisa mortua sunt, nec duo capita in uno corpore naturaliter bene conveniunt?... Satage

(1) Cf. Mansi, *Sacr. Conc. Collectio*, t. XXVII, coll. 270 et 272. — Quæstionem jam theoretice posuerat Gulielmus Occam, *Dialog.* VI, c. XCIX, p. 621 : « An laici habeant jus Papam hæreticum seu alios clericos hæreticos detinendi et prohibendi, ne suam pravitatem in alios diffundant. »

(2) Has Alliaceni litteras seu potius litterarum fragmentum invenimus in Chronicis Joannis Brandon, monachi Dunensis, qui anno 1428 e vivis excessit. (*La Belgique sous la domination des Ducs de Bourgogne*, Textes latins, t. I, p. 138.) Quod vehementiori stylo Cameracensis episcopus jam utique sexagenarius pervicacem illum Petrum de Luna compellaverit, nemo certe mirabitur aut quidquam ingrati animi in eo repperiet. Forsitan etiam hujus durioris epistolæ, sensa quidem Petro, sed verba Joanni Brandon chronistæ illi sunt adscribenda.

ergo perficere quod jurasti... Quoties mendacia locutus es ad patres et proximos tuos labiis mellitis et fistula dulcissima, verbis bene cultis et Deo plenis! Revertere, quæso, ad Dominum Deum tuum.... Tu autem oves Domini quarum vicarium te dicis, pavisti sermonibus pravis.... O bone pater, quæ verba simulationum proferebas, quasi pacem diligens fratribus tuis verba captionum proponebas, ut via cessionis prorogaretur? Recordare, pater, quomodo te laudabas, dicens impedimentum unionis ex te non procedere. »

His verbis Benedicto sempiternum vale dixit Alliacenus. Ille vero sectatoribus non caruit, inter quos eminebat Bonifacius, sancti Vincentii Ferrerii frater et Carthusiæ magnæ prior qui suos omnes monachos Avenionensi obedientiæ subdere tentabat. Etsi quondam Alliaceno vinculis amicitiæ junctus tractatulum edidit iniquissimum adversus eum cæterosque Gallos qui cum eo ad extinguendum schisma laborabant. Titulus erat : *Specula contra vasa iræ super hæretica pravitate Pisanica* (1). Patres, inquit, peccatum sacrilegæ inobedientiæ contra Papam et verum vicarium Jesu Christi, Benedictum scilicet, commiserunt; subtractio obedientiæ non tantum est schisma formatum, sed rebellio et infidelitas, quæ quum perseveraverint transierunt in hæresim (2). Episcopos, filios perditionis de Ecclesia gallicantina (*sic*), antiquis Arianis » comparat (3), et contra superbam Gallorum levitatem invehitur (4). Simonem de Cramaudo mendacem, cardinalem de Chalant ambitiosum, Petrum vero de Alliaco omnibus vitiis inquinatum dicere audet. Draconi ore ignem vomenti Petrum

(1) Apud Martène et Durand, *Thesaurus novus anecdotorum*, t. II, cap. XV, p. 1444.

(2) *Ibid.*, p. 1445.

(3) *Ibid.*, pp. 1446 et 1520.

(4) Martène et Durand, p. 1448.

æquiparat, et asserit istud os obstructum fuisse per pingue beneficium.

« Statim effectus est raucus, habens illud in gutture. Subsequenter addita fuit sibi una magna dignitas episcopalis, et tunc ex toto fuit mutus plus quam Zacharias (1).... »

Et pergit :

« Mihi, offers scripta Domini Petri episcopi Cameracensis; vide ut me expediam de isto pro omnibus, quia videbatur in fama quasi columna. Revera quando fuit Pisis, videns quæ ibi fiebant et præparabantur, incepit impugnare; et tandem audita salutatione in similibus consueta, fugit et regressus est Januam, ubi nos ambaxiatores invenimus eum. Verum est quod non vidi eum nec volui videre.... Venit tunc cardinalis de Barro et reduxit eum Pisas. Nec recipias verba sua in Evangelium, nec etiam in competentem epistolam, sed unius magistri in theologia nondum canonizati, mundani et temporalis, induti de rubeo, croceoque bis tincto, vermiculato et bysso, opere plumario, appetentis et sequentis honores, famam et divitias. Quomodo tu credis episcopo Cameracensi qui, ex quo cogis me, est ille cujus os obstructum fuit, qui cum tot sudoribus, ambitionibus et periculis acquisivit de melioribus episcopatibus qui sint in Francia?... In civitate Cameracensi, sunt canonici et subditi plures, qui secundum naturam dedignarentur quod tangeret eorum sotulares, et cujus patrem omnes posuissent cum canibus gregum suorum (2). »

Addit Alliacenum episcopatu jam expellendum esse, eum hypocrisis vitio laborare, nihilque penitus in suis ad Bonifacium aliquando scriptis allegasse nisi rationes generales et communes, partiales, retortas et reflexas :

« Si doctoribus sanctis non creditur, nisi probent, ut dicit Augustinus, multo minus tali Cameracensi! »

Tam vehementer impetitus, tacere non potuit Alliacenus; hinc ejus *Apologia Concilii Pisani* (3) ad Carthusienses

(1) *Ibid.*, p. 1447.
(2) *Ibid.*, p. 1464.
(3) Inter documenta recenter prelo mandata a D. Tschackert, *Peter von Ailli*, Appendix, p. 31.

eorumque novum magnum priorem in generali ordinis adunatione simul congregandos. (10 jan. 1412.)

« Non animo injuriandi scriptori, inquit, cui Deo teste magis compati quam conviciari velim, sed animo favendi veritati de tractatu prædicto tres conclusiones affirmabo. Prima est quod est *præsumptuosus*, secunda quod est *injuriosus*, tertia quod est *seditiosus*, et per consequens, non solum vestræ religionis, sed totius Ecclesiæ universalis paci et unitati periculosus et adversus. »

Tres partes per ordinem evolvit, et in secunda suum in Concilio Pisano munus, a Bonifacio Ferrerio deturpatum, explicat (1).

« Falsum est quod ego concilium Pisanum aut ea quæ ibi fiebant auctoritate concilii impugnarem ; alioquin fuissem mihi ipsi contrarius, et his quæ ante dictum concilium scripseram et publicaveram in schedulis supradictis (2), et quibusdam aliis scripturis ibidem dominis cardinalibus exhibitis. Item notorie falsum est quod de Pisis in Januam fugerim, quum ad dominum gubernatorem (Bussicaldum) et totam communitatem Januensem, ex parte concilii et ex communi deliberatione publice facta, pro magnis et arduis negotiis illuc missus fuerim (3), et legatione completa cum dicto domino cardinali (de Barro) reversus sim. »

Deinde, ut ambitionis et timoris notam a se repellat, compendium antecedentis vitæ et præcedentium operum describit, ex quo plura jam retulimus.

« Præterea, inquit, quid aliud nisi Dei timor et veritatis zelus me impulit ad scribendum schedulas superius memoratas, quas in litteris sibi et magistro Vincentio ejus fratri

(1) *Ibid.*, p. 34.

(2) Sunt propositiones et conclusiones Aquis et Tarascone scriptæ, apud Martène et Durand, *Vet. Script. Coll.*, t. VII, pp. 909 et 916. — Cf. cap. X hujus libri.

(3) Lege epistolam Patrum concilii ad Bussicaldum, (22 mai 1409), apud Martène et Durand, (*ibid.*, t. VII, pp. 988 et 1090.) — Cf. Mansi, *Sacr. Conc. Collectio*, t. XXVII, col. 215.

directas transmisi? Quarum litterarum tenor magnam ad eos reverentiam et humilitatem ostendit. Cur igitur ad illas litteras non rescripsit? Cur ad contenta dictarum litterarum non respondit? Cur de his quæ ibi corrigenda videbantur me caritative informare, prout dictæ litteræ humiliter postulabant, recusavit, et nunc dicta illa sine ulla ratione tam superbe contemnit? »

Bonifacii opusculum seditiosum esse ejusque doctrinam hæreticam postremo demonstrat, atque ita ad Carthusienses clamat :

« Væ, væ et iterum væ illis qui, pro unione quam procurare debuerunt, inter vos divisionem inducunt!... O fraus, o dolus, o lupina sub ovina pelle crudelitas ! »

Plura tandem sua scripta et libellum *de Materia Concilii Generalis* ad eos mittit, seque peccatorem indignum eorum orationibus commendat, quod et Carthusienses toto ejus vitæ curriculo, immo et post mortem constanti fecerunt animo (1).

IX

1. — Cameracum reversus (1410), episcopalibus curis totum denuo se dedit Alliacenus, non tamen antiqua in cosmographiam et astronomiam studia remittens. Eodem enim anno tractatus *de imagine mundi*, *de epilogo mappæ mundi*, aliosque lucubrare cœpit, de quibus judicabimus infra (2).

2. — Nec tantum scientificis operibus curam impendit, sed suæ metropoleos honori simul ac decori diligentem

(1) Cf. Martène et Durand, *Vet. Script. Coll.*, t. II, p. 1383.
(2) Cf. cap. III et IV hujus libri.

operam contulit. Jam multis abhinc annis celeberrima erat Cameracensis basilica propter luminaria, campanas et præsertim propter nobilem musices scholam et mirabilem cantus dulcedinem (1). Campanam quæ *Aldegunda* dicebatur (2), Petrus anno 1401 rursus conflandam jussit.

Eodem circiter tempore plures Flandri, Hannones et Cameracenses tum viri tum pueri profecti sunt, et capellam pontificiam ingressi sunt, quod non nisi curante Alliaceno, qui cum Romana curia tam intimam necessitatem habuit, factum fuisse credimus (3). Jam Romæ cantaverat quidam obscurior et primus nomine du Fay si tamen revera exstitit (4); sed traditionem sic inceptam amplificarunt Nicolaus Grenon (5), et præsertim illustris ille alter Gulielmus du Fay, canonicus Cameracensis qui in sacra musica tam egregium decus sibi comparavit (6).

3. — Ne vero gregem suum hæreses deturbarent fortiter laboravit Petrus, nomenque *mallei hæreticorum*, sibi promeritus est (7).

(1) Anno 1428, Philippus de Luxemburgo, comes a Sancto Paulo, ad Cameracense capitulum scribebat : « Malgré les grandes pertes que la dite église (de Cambrai) a subies par le fait du duc de Glocester et autres Anglais qui vinrent en Haynaut, n'ont les dis Doyens et Chapitre en riens diminué le solempnel service, ains l'ont toujours entretenu et par especial en trois choses, esquelles nous entendons qu'elle surmonte et précède les autres églises de tout le monde, tant que notre foi chrétienne se peut extendre, c'est assavoir : *en beaux chants*, *en riche luminaire*, *et en très doulce sonnerie.* » Houdoy, *Histoire artistique de la Cathédrale de Cambrai*, p. 58.

(2) Cf. Houdoy, *ibid.*

(3) *Wilhelm du Fay* von Fr. X. Haberl, p. 99 seqq., 1885.

(4) Cf. Fétis, *Biographie des musiciens.* — Baini, *Memoria della vita di G. P. de Palestrina.* Ab anno 1380 ad annum 1432 in pontificia capella cantavit iste du Fay.

(5) Parvum puerorum chorum Romam duxit, et ab anno 1421 ad 1424 in cathedrali ecclesia Cameracensi musicæ magister exstitit.

(6) Anno 1474 fato functus est De eo cf. C. A. Lefebvre, *Mémoires de la société d'émulation de Cambrai*, t. XXVI; — Houdoy, *loc. cit.*, pp. 85, 409 et passim; — Haberl, *loc. cit.*

(7) Bernardus *in Cantica Canticorum* glorioso hoc nomine Augustinum

Anno 1411, frater quidam ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, *Gulielmus de Hildernissen*, ex civitate Bruxellensi, nefandos sparsit errores sectamque *Hominum intelligentiæ* propagavit quorum ducem exstitisse Ægidium Cantorem, virum laicum et illitteratum, fama publica testabatur. « Ego sum salvator hominum, inquiebat Ægidius, et per me videbunt Christum, sicut per Christum Patrem. » Propositiones dualismum et pantheismum redolentes palam proferebat. Diabolum et omnes homines finaliter salvandos fore asserebat. Jejunia, pœnitentias, orationes et præcepta Ecclesiæ contemnebat, de confessione curabat nullatenus. Gulielmus ipse præterquam quod hujusmodi hæreses defenderet, omnes actus suos, etiam nefarios, in divinam rèfundebat voluntatem, docens Deum eos velle, non permissionis tantum voluntate, sed beneplaciti quoque et efficaciæ. Asserebat insuper « Deum esse ubique, in lapide, membris humanis et in inferno, sicut in sacramento altaris; tempus Veteris Legis fuisse tempus Patris, tempus Novæ Legis tempus Filii, et pro nunc esse tempus Spiritus Sancti in quo omnia doctrinæ christianæ opposita prædicari debent. » In re morali multa perversa patrabant et aperte docebant isti intelligentes; et quia juxta eorum doctrinam homo exterior interiorem non maculat, libidini cuivis pessimæ indulgebant. Falsa multa de Scripturarum interpretatione, de virginitate, de resurrectione, de purgatorio et inferno dictitabant, et ad

decorat, (Serm. LXXX). Ita etiam decursu temporum vocati sunt Antonius Patavinus, Joannes Faber Viennensis, Canisius et alii plures. — Cf. Brucker, *Hist. critica philos.*, t. III, pp. 862, 780 et 858. De J. H. Wessello, nempe scribens, ait :

« At laus una viro qui totum scibile scivit,
Et vitio infectis malleus ipse fuit. »

Et addit : « Ex qua inscriptione patet fuisse eum cum summis inter scholasticos viris, Alano Insulano et *Petro de Alliaco* quorum elogia illi tribuuntur, comparatum. »

tegendos errores impudentissimis utebantur mendaciis (1). Somnia Joachim abbatis de Flora, atque turpia Begguardorum et Turlupinorum scandala sequebantur. In Bibliorum interpretatione Protestantibus anteibant; in theoriis denique pseudomysticis Gulielmum de Hildernissen Michaelis de Molinos præcursorem fuisse judicamus. Facta autem diligenti inquisitione, Petrus de Alliaco cogit Carmelitam illum hæreses vere suas abjurare et detestari, propositionesque suspectas explicare (12 jun. 1411). Revocationes et abjurationes sibi impositas in pluribus locis humiliter accepit Gulielmus, pœnitentiamque trium annorum in Cameracensi castello de Sellis egit; secta cum ipso exstincta est (2).

4. — Dum hæc Cameraci aguntur magnum clericis civibusque nuntiatur gaudium (6 jun. 1411). Summus Pontifex Joannes, quum præterita episcopi Cameracensis merita munerare simul et futuram ejus benevolentiam sibi conciliare vellet, motu proprio eum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem, de titulo Sancti Chrysogoni, creaverat cum decem et tribus aliis inter quos eminebant Ægidius de Campis, Gulielmus Philaster et Franciscus Zabarella (3). Sublimem dignitatem diu recusavit Petrus, multis se rationibus indignum reputans (4); sed tandem expressæ Summi Pontificis voluntati acquievit, sedemque suam metropoli-

(1) Cf. Baluze, *Miscellanea* (ed. 1679), t. II, 277-297, ex veteri codice ms. collegii Navarrici; — D'Argentré, *Coll. jud.*, t. I, p. II, 201-209; — Paquot, *Mémoires litt.*, t. VIII, p. 94; — C. Bouly, *Notice sur le cardinal P. d'Ailly*, (1847); — Cf. etiam A. Jundt, *Histoire du panthéisme populaire au moyen âge*, (Sandoz, 1875).

(2) Quæ omnia nos docuit eruditus vir Victor Delattre, Cameracensis.

(3) De Ægidio et de Philastro jam verba fecimus. Zabarella Patavinus concilio Constantiensi adfuit, Alliaceno meritis et gloria æqualis visus; Constantiæ obiit 26 sept. 1417.

(4) *Apologia concilii Pisani*, apud Tschackert, *Appendix*, p. 37.

tanam dimisit Joanni de Gavera vel « de Lens »; nomen autem Cardinalis Cameracensis semper et ubique sibi retinuit (1).

(1) Canonicus etiam Cameracensis remansit Petrus etsi cardinalis. Anno 1415, Alliacenus in capitulo successit Nicolao Claisquin, et usque ad annum 1418 locum suum servavit. Cf. de Carondelet, *Mémoires hist. et chronolog.* Ms. in Bibl. Cameracensi, 1133.

CAPUT TERTIUM

Petrus de Alliaco Cardinalis.

I

1. — Arduum sane tunc (1411) cardinalium munus, quum Pisanum concilium nonnisi pessimos protulisset fructus, quumque pro concordia restauranda omnes conatus irriti essent.

Antequam Alliacenum Cardinalem renuntiasset Joannes XXIII, juxta decreta Pisanæ synodi, concilium novum Romæ congregaverat. Quidquid negent historici quidam (1), certum est Cameracensem concilio huic Romano interfuisse. Ita enim testatur Sandionysianus monachus cui, utpote coævo et veracissimo, magna debetur fides :

« Tam gratam conventionem (concilii Romani) habuerunt viri ecclesiastici regni, quod... non recusaverunt auctoritate regia evocati Parisius comparere, sperantes aliqua se deliberare posse ad utilitatem Ecclesiæ gallicanæ. Quot et quantis gravaminibus intolerabilibus, exquisitis quoque damnosis servitiis eam hucusque Romana Curia affligerit, luce clarius ex præcedentibus scriptis patet. Quapropter ad aliqualiter sublevandum ejus onera importabilia, super quibus libertatibus

(1) « In Romano isthoc concilio Johanneo Cameracensis noster non comparuisse legitur. Neque dubium est quin, tametsi cardinalis, omnes vias elabendi et honeste evadendi quæsiverit, ad concilium illud Romanum ne migraret. » Von der Hardt, *Rerum conc. œcum. Constant.*, t. II, l. VIII, p. 473.

concedendis in synodo congreganda Summo Pontifici humiliter supplicarent, mutuo deliberaverunt, scriptis redegerunt et decreverunt inter se publicare... (1). »

Diversa enumerat capita de quibus conquerebantur præsules, et ita pergit :

« Ut Summo Pontifici ipse rex filialem reverentiam exhiberet, cum domino... (2) magistrum Johannem de Monsteriolo (3) (sic) secretarium suum misit, quibus in mandatis dedit ut magistris Petro de Alliaco et Simoni Cramaut nuper consiliariis ejus, et quos Papa in ejus favorem recenter ab episcopatu Cameracensi et archiepiscopatu Remensi ad cardinalatum assumpserat, regni negotia in papali palatio ventilanda dulciter recommendantes, quidquid in concilio tactum foret redeuntes sibi serietenus referrent et in scriptis (4). »

Authentico huic textui accedunt ipsa Alliaceni verba dicentis : « Cum equitarem de Roma, aliquid audivi de Pragensibus perturbationibus (5). » Atqui eo potissimum anno tumultus isti exorti sunt propter bullam Joannis adversus Ladislaum, Neapolitanum regem. Omnes alicujus momenti res in synodo patratas apprime novit Alliacenus ; immo concilium Romanum Pisano et Constantiensi

(1) *Chronic. Car. VI*, l. XXXII, c. 41, t. IV, p. 591.

(2) Deficit in textu nomen legati.

(3) Joannes iste præpositus olim Insulanus exstitit, et a secretis regis Caroli fuit. Necessitudinis causas cum fere omnibus hujus temporis nominatis viris habuit, sed præsertim cum Nicolao de Clamengiis, Gulielmo Philastro, Jacobo Magno et Joanne Gersonio. Tres epistolas ab eo ad Petrum de Alliaco scriptas habemus, quarum duæ adhuc ineditæ remanent, (Bibl. nat., 18337, f. 22 et 82), tertia autem a Martène et Durand typis mandata fuit, (*Veterum Script. et Mon. amplissima Collectio*, t. II, col. 1383). Altera quæ ab iisdem auctoribus (*loc. cit.*) ad Petrum de Alliaco missa fuisse dicitur, non ei, sed Martino Salvæ cardinali Pampilonensi directa fuit. Occisus fuit Joannes a Burgundis anno 1418. Male eum « Monstrelet » vocat Muntz, *Nicolas de Clemanges*, p. 11) quum fuerit « de Montreuil ». Cf. laudandum opus A. Thomas, *De Joannis de Monsterolio vita et operibus*, 1883, p. 81.

(4) *Ibid.*, l. XXXIII, c. 28, t. IV, p. 730.

(5) Palacky, *Documenta M. J. Hus*, p. 283 (an. 1869). — Cf. Von der Hardt, t. IV, p. 312.

æquiparare non ambigit (1); atque peroptimum *de Reformatione Kalendarii* opusculum Joanni XXIII tunc obtulit (2). At minime synodus illa profecit, quia, ut ipse fatetur Summus Pontifex « prælati et cæteri qui hujusmodi concilio interesse debebant, nequaquam in tanto numero convenerunt, quantum rerum agendarum pondus et magnitudo requirere videbatur (3). » Incassum ergo fuit et brevi prorogatum (mart. 1413); nihilque prorsus in eo fuisset actum nisi bulla Wiclefi libros damnans promulgata esset (4). Summus tamen Pontifex, antequam Roma discederent Patres, novam synodum indixit, mense decembri ejusdem anni congregandum in urbe postea designanda. Ad cujus præparationem Joannes Cameracensem cardinalem elegit, tanquam in Germaniæ partibus legatum.

2. — Dum hoc munere fungeretur Petrus, plures de astronomia lucubravit libellos, in quibus astrologiæ plus æquo favet (5); nonnulla etiam ad christianam pietatem fovendam scripsit opuscula, puta meditationes in quosdam *Psalmos*, in *Orationem Dominicam* et in *Angelicam Salutationem* (6). Jam antea duas epistolas ad Joannem XXIII direxerat, quarum prima (7) est de præcipuis reformationis capitibus

(1) Cf. Von der Hardt, t. II, p. VIII, col. 201.— De his omnibus vide Tschackert, *Peter von Ailli*, pp. 171 et seqq.

(2) Cf. cap. IV hujus libri, versus finem.

(3) Bulla convocationis conc. Const. apud Raynald, *Annales eccles.*, t. XXVII, p. 356 (Barri-Ducis, 1874).

(4) Mansi, *Sacr. Concil. amplissima Collectio*, t. XXVII, p. 506. — Cf. Von der Hardt, *loc. cit.*, col. 203; — Palacky, *Documenta M. J. Hus*, pp. 416 et seqq. — De istius bullæ authenticitate dubitat Lenfant ea sola ratione quod Protestantium erroribus ipse sit infectus, sed inani prorsus opera laborat, et insuper de vera concilii epocha errat. (*Histoire du Concile de Constance*, t. II, p. 99).

(5) Cf. cap. IV secundæ partis.

(6) Cf. cap. XIII ejusdem partis.

(7) In opp. Gersonii, t. II, col. 882. — Omnia propositæ reformationis capita in decursu hujus III capituli ad trutinam revocamus.

examinandis in concilio proxime futuro. Altera autem (1), postquam præsentia Ecclesiæ mala descripsit et deflevit, majora adhuc futura auguratur; media deinde exponit quibus oporteat illis mederi et his occurrere; Pontificem denique fratresque cardinales ad eorum usum vehementer hortatur.

3. — Cameracensem diœcesim bonorum omnium desideriis et votis adspirans visitavit; atque die decima octava octobris anni 1413, eucharisticum miraculum, quod in vico *Bois-Seigneur* Isaac contigisse supra diximus, sua legati auctoritate recognovit et confirmavit, Honnecurti (2) tunc degens. Anno sequenti, Germaniam totam peragravit; mense januario Tulli Leucorum erat (3), mense maio, Basileæ (4) et mense septembri, Coloniæ Agrippinæ (5), præclara fecundæ mentis documenta ubique condens, Moguntiam et Treviros adivit; immo eum usque ad Salisburgum et Pragam iter produxisse aliqui dixerunt (6).

Eodem tempore abbas monasterii canonicorum regula-

(1) *Ibid.*, col. 876. — Hæc sub nomine Petri cujusdam Bruxellensis apud Von der Hardt leguntur, t. I, P. XVII, p. 855. — Item fere loquitur Gersonius, t. II, col. 309.

(2) Antiquissimum ibi florebat monasterium O. S. B., non procul a Cameraco.

(3) « Fuit præsentata capitulo Cameracensi littera familiaritatis ac privilegii domini Reginaldi Presbyteri (Le Prestre) in ecclesia Cameracensi capellani, pro fructibus suis percipiendis, quarum tenore R[dus] in Christo Pater Dominus Cardinalis Cameracensis testificabatur ac testificatur ipsum fuisse et esse suum verum et continuum familiarem domesticum et sub data : datum Tulli XI mensis jan. anno Domini 1414. » (*Archives capitulaires de Cambrai*, Bibl. Camer., n. 948, p. 5.)

(4) Basileæ quosdam asceticos et astronomicos libellos eo anno scripsit.

(5) In hac civitate, die 24 septembris, *Elucidarium astronomicæ concordiæ cum theologica et historica veritate* composuit. (Camer. Bibl. Ms., n. 852, f. 117 et n. 828.)

(6) Dinaux, *Notice historique et littéraire*, pp. 69 et seqq. — Lenfant, *Histoire du Concile de Constance*, p. 55. — P. Tschackert, *Peter von Ailli*, p. 173.

rium Sancti Deodati in Vosago renuntiatus fuit et usque ad annum 1417 ea dignitate fulsit (1).

Interdum (30 oct. 1413), Sigismundus synodum Constantiæ (2) congregandum indicaverat pro calendis novembris anni sequentis, et Joannes Papa XXIII paulo post (9 dec.) rem confirmaverat, omnesque Ecclesiæ præsules convocaverat (3). Immo pontifices recenter dejecti, Benedictus scilicet et Gregorius, a Sigismundo invitati fuerant.

II

1. — Constantiæ tandem convenerunt, cum Joanne XXIII, præsules et principes plurimi, infinita doctorum nobiliumque multitudo (16 nov. 1414), et in ecclesia cathedrali celebrata fuit prima concilii sessio. Non aderat autem Alliacenus qui postera tantum die (17 nov.) advenit, et cum magna reverentia ab omnibus præsertim vero a cardinalibus susceptus est. In cunctis disputationibus sententiam protulit ejusque verba certe non minimam vim habuerunt.

Imprimis adversus conclusiones schedulæ Italorum de confirmando Pisano synodo stetit, asserens hanc petitionem non esse justam, sanctam, rationabilem, ex eo quod schismatici sacrum concilium Pisanum et ejus gesta jam impu-

(1) *Gall. christiana*, t. XIII, col. 1380.

(2) « O felicem, exclamat Cameracensis Cardinalis, hanc videlicet Constantiensem civitatem, meque pariter cum ea jocundæ exultationis participem, quem intra terminos commissæ mihi legationis ad partes Alamaniæ Dominus ad hoc eligere dignatus est! » (*Sermo de adventu Domini*, 1414), apud *Tractatus et Sermones*, et in opp. Gersonii, t. II, col. 918.

(3) Sigismundi edictum legitur apud Mansi, *Sacr. Concil. amplissima Collectio*, t. XXVII, p. 537 et t. XXVIII, p. I. — Cf. Von der Hardt, t. VI, p. 9.; — Raynald, 1413, 22; et *Chronic. Car. IV*, l. XXXV, t. V, p. 451.

gnarent (1). Declaravit immo Constantiensem synodum « nihil aliud esse quam continuationem Pisanæ synodi et ideo confirmatione non egere, quia si huic Italorum schedulæ attenderetur, hic actus esset damnandus et periculosus, utpote schismatis confirmativus (2). »

2. — Quod spectabat ad contendentes Pontifices, Petrus noster censuit Gregorium et Benedictum ad spontaneam cessionem blande invitandos esse, et, si consentirent, providendos fore de statu notabili et securo (3). Objectionibus sic occurrebat :

« Licet simoniace pactisare cum hæretico, sive cum catholico, non sit licitum, tamen per media licita alliciendi sunt et inducendi ad bonum pacis et concordiæ, et non solum contendentes et eorum obedientes, sed et Græci aut quicumque minus vel magis hæretici et schismatici, ut ad gremium redeant Ecclesiæ.... Priusquam procedatur de facto per viam belli, tentandæ sunt viæ rationabiles pacis. Principes, qui de veritate et justitia Pisani concilii non sunt informati, videntes hanc mansuetudinem sacri concilii, se a contendentium obedientiis abstrahent. »

Non præsentia tantum curans sed et futura, petebat insuper Alliacenus ut Joannes XXIII « in hac prima sessione offerat se voluntarium et paratum, non solum ad exstirpandum præsens schisma, sed ad providendum et statuendum remedia ne in futurum similis divisio accidat (4). » De Pisana synodo, hoc addit gravissimum : « Plura concilia *generalia* errasse leguntur non tantum in *facto*, sed etiam in *jure*, et quod magis est, in *fide* (5). » Exinde patet quam

(1) Mansi, t. XXVII, p. 541. — Von der Hardt, t, II. p. 195.

(2) *Ibid.* — Cf. Tosti, *Storia del Concilio di Costanza*, t. I. p. 164.

(3) Mansi, *loc. cit.*, p. 544. — Von der Hardt, p. 196.

(4) Mansi, *loc. cit.*, pp. 544-547. — Von der Hardt, *loc, cit.*, p. 201 et seqq. — J. B. Schwab, *Johannes Gerson*, p. 500.

(5) Mansi, *ibid.* — Von der Hardt, *ibid.*

a vero distent theologi qui Alliacenum uti infallibilitatis ecclesiasticæ præconem laudarunt (1). At postremo dicebant Itali nullius auctoritatis fore Constantiense concilium si cum Gregorio et Benedicto jam prius dejectis rursus de pace ageret, ex eo quod præsens synodus a Joanne XXIII eorum adversario fuisset congregata. Quibus respondebat :

« Præsens concilium non solum auctoritate Papæ vel Sedis Apostolicæ vocatum est, sed etiam ad instantiam Regis Romani qui censetur Ecclesiæ advocatus, cujus incumbit officio in tanta necessitate providere. »

Istiusmodi convocationem *necessitatis causa* sæpe decursu sæculorum ab imperatoribus factam fuisse probare nititur. Exposcit deinde « ut contendentium legati in concilium admittantur, a Cæsare audiantur (2), et, si sint cardinales, licet fuerint a Pontifice dejecto creati, ut honoribus debitis præveniantur (3). » Uti liquet, jam in prioribus sessionibus dogmaticos errores consiliis pacificis miscet Alliacenus, quod plus quam semel ipsi accidit. Eo etiam tempore cum multis præclaræ famæ Patribus, Ecclesiam sub unico Joannis pedo coadunare cupiebat; postea autem videns hanc unionem haud facilem, immo fore impossibilem, et animadvertens Joannis vitia, tres contendentes ad cessionem provocandos esse existimavit.

3. — Pridie Nativitatis Dominicæ anni 1414, Sigismundus, magna stipante caterva, Constantiam advenit. Post tres dies Alliacenus sermonem notissimum *de officio Imperatoris, Papæ, reliquorumque membrorum concilii Constantiensis pro emendatione Ecclesiæ* in sessione generali solem-

(1) Cf. cap. IX nostrum ubi res fusius tractatur.

(2) Mansi, 547. — Von der Hardt, t. II, p. 202 et t. IV, p. 26. — J. B. Schwab, *Johannes Gerson*, p. 500.

(3) Mansi, p. 548. — Cf. Von der Hardt, t. IV, p. 33 et seqq.

niter habuit (1). Ab hoc textu exordiens : *Erunt signa in sole, luna et stellis*, quærit quomodo verba hæc evangelica ad res conciliares pertineant, sicque declarat :

« Pro quo sciendum nobis est quod verba præmissa omnino arbitratus sum huic sermoni aptissime convenire, quod hi qui in hac synodali congregatione præsentes adsunt, debent esse velut clarissima cœli luminaria, soli, lunæ ac stellis merito comparanda.... Utinam ergo, salutifer Christe, utinam nobis in tuo salutari nomine congregatis, ita digneris præsens assistere, ut pulsis errorum tenebris et peccatorum nebulis, effici mereamur clara luminaria cœli spiritualis, id est, tuæ Ecclesiæ militantis, et in nobis reluceant læta signa salutaris consolationis (2). »

Exponit deinde quomodo sol sit papalis majestas, luna potestas imperialis, stellæ autem diversi ordines ecclesiastici. Putat auctoritatem decernendi et definiendi non esse attribuendam uni Pontifici, sed toti concilio generali, quidquid in contrarium blaterent ii « qui adulando potestati papali detrahunt auctoritati Sacri Concilii. » (3)

4. — Mense januario (1415), quum de jure voti acriter disputaretur Alliacenus et G. Philaster suffragium non episcopis et abbatibus tantum concesserunt, sed doctoribus in theologia et in utroque jure, regibus et principibus christianis vel eorum legatis, qua de re infra judicabimus (4).

In quatuor nationes divisi Patres erant, in Gallicanam scilicet, Germanicam simul et Polonicam, Italicam, Anglicanam, quibus anno sequenti quinta accessit Hispanica. Unaquæque seorsim congregabatur præsidente uno concilii

(1) De tempore hujus orationis errat Von der Hardt, t. I, p. 436, et alii cum eo. — Cf. Mansi. t. XXVIII, p. 947. — Invenitur ipsa in opp. Gersonii, t. II, col. 917.

(2) *Ibid.*

(3) *Ibid.*, ad finem.

(4) Cf. cap. X nostræ dogmaticæ partis.

Patre ad mensem electo. Rebus nationaliter ita discussis, conveniebant in generalem sessionem, in qua conciliariter solvebantur quæstiones. Ea praxis gravissima mox incommoda peperit, universalis Ecclesiæ menti regionales, ut ita dicam, passiones subrogans, merito propterea recentioribus conciliis rejecta.

5. — Sex, ni fallor, fuerunt maximi momenti causæ conciliares, quibus præcipue interfuit Cameracensis videlicet : *negotium Joannis Hussi*, *causa Joannis Parvi et Falkenbergii de tyrannicidio*, *conclusiones Matthæi Grabonis de novis religionibus*. His adjiciuntur *reformatio Ecclesiæ in capite et in membris*, *depositio Joannis XXIII et electio Martini V*, *annatarum deinde quæstio*, *cum similibus aliis*. De his singillatim ac quantum licebit, breviter et dilucide.

III

1. — Joannes Hussus, anno 1369 in Bohemia humili loco natus, et Pragensis Studii alumnus, quum in artibus et in theologia multum profecisset, hujus Universitatis rector evasit mense octobri 1402. Frequentes ad plebem habens conciones, flagranti domus Dei zelo incensus primum apparuit, sed mox errores verbo divino admiscuit, et in eis, superiorum monita spernens, pertinax remansit.

Pessima hæc hæreseos et discordiæ semina in agro jam zizaniis pleno superceciderunt. Quum enim Wicleffistæ plures (1) ibi jam prædicassent, quumque dissensiones

(1) Conradus Waldhauser, Joannes Milicz et Mathias de Ianovo. De istis Hussitarum præcursoribus cf. Palacky, *Geschichte von Boehmen*, 1845, t. III,

civiles religiosas valde auxissent, res brevi eo progressæ sunt ut Alexander V omnes Wiclefi articulos omnesque ejus libros damnare debuerit. Ast nihilominus Joannes Hussus ejusque discipulus Hieronymus de Praga doctrinas prohibitas denuo sparserunt, quarum hoc est compendium : « Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ. Papalis dignitas a Cæsare inolevit. Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus. Papa non est verus et manifestus successor apostolorum principis Petri, si vivit moribus contrariis Petro, et si quærit avaritiam, tunc est vicarius Judæ Iscarioth. Jam non est caput sanctæ militantis Ecclesiæ, quum nec sit membrum ejus (1). Nullus est dominus civilis, nullus est prælatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali (2). Ipsa Ecclesia catholica est omnium prædestinatorum universitas (3). » De necessitate unius capitis visibilis in Ecclesia, de prædestinatione, de sacerdotum erga prælatos obedientia, de censuris, multa etiam falsa et impia dictitabant Hussitæ, quorum dux a Pragensi archiepiscopo (4) et paulo post (1412) a Summo Pontifice (5) excommunicatione perculsus, Wenceslao ad-

p. 161 ; — *Documenta Mag. J. Hus vitam, doctrinam, causam in Const. concilio actam et controversias de religione in Bohemia annis 1403-1418 motas illustrantia* (Prag., 1868, gr.in-8, t. XV, p. 768). — Krummel, *Hist. reform. Bohem.*, 1866, pp. 50 ad 100 ; — Neander, *Hist. Eccles.*, t. IV, p. 288.

(1) Articuli triginta Joannis Hussi damnati a concilio Constantiensi et Martino V (1418), pp. 7, 9, 12, 13 et 20, apud Von der Hardt, t. IV. col. 408 ; — Mansi, t. XXVII, p. 748. — Cf. ipsum Hussum in libro *de Ecclesia*, c. IX, p. 262 et seqq.

(2) *Ibid.*, pr. 30 et pr. 15 Wiclefi. — Cf. Hefele, *loc. cit.*, pp. 349 et 466.

(3) *Ibid.*, pr. I. — Cf. Cappenberg, *Utrum Hussii doctrina fuerit hæretica* (1834), et Friedrich, *La doctrine de Hus* (1862), p. 13 et seqq. — Cf. ipsum Hussum, *loc. cit.*, c. XXI.

(4) *Documenta J. Hus* (Edit. Palacky), p. 397. — Hoefler, *Magister Johannes Hus* und der Abzug der deutschen Professoren und Studenten aus Prag. 1409 (1864).

(5) *Documenta*, pp. 461 et seqq.

hortante Praga discedit, in alias tamen Bohemiæ et Moraviæ regiones hæretica sua sensa sparsurus.

2. — Constantiensi autem concilio semel indicto, publice asseruit Hussus se testimonium de sua fide redditurum in conspectu synodi (1). Revera Constantiam profectus est (15 oct. 1414), et stipante amicorum turma, absque Sigismundi « salvo conductu (2) » quem postea tantum præ manibus habuit, civitatem ingressus est (3 nov.). At paulo post propter hæreseos suspicionem in custodiam traditus est.

Denuntiatæ jam fuerant ejus propositiones Parisiensi Studio, et a Gersonio cæterisque magistris subnotatæ atque rejectæ (3). In quinta vero concilii sessione, Alliacenus deputatus fuit cum Gulielmo Philastro Sancti Marci cardinali, et cum nonnullis aliis (4), ut de erroribus Joannis iterum judicaret (6 apr. 1415). Impetraverat interea Hussus ut publice et coram universa synodo, adstante ipso Sigismundo, interrogaretur ; suo quidem sensu non judicandus sed disputaturus, non reus sed accusator, non de facto hæreseos sed de ipso jure ipsaque doctrina litigaturus.

(1) *Documenta*, pp. 66, 67 et 238.

(2) *Documenta*, p. 71. — Hefele, *loc. cit.*, pp. 364 et 367. — Rayn., *Ann. eccles.*, 1414, II. — *Analecta juris pontificii*, 12e série, CII livraison, 1872, p. 6. — Affirmat J. Lenfant (*Histoire du Concile de Constance*, p. 182) et post eum Em. de Bonnechose (*J. Hus et le Concile de Constance*, 3e édit., t. I, p. 184) protestantes ambo, hunc « salvum conductum », paulo post quam a Praga discessisset, accepisse. Sed errant, nam, uti patet ex ipsis Hussi litteris et ex documentis nuperrime in lucem editis, Sigismundus « salvum conductum » dedit Spiræ die XVIIIe octobris, nec eum possidebat Joannes quum in carcerem conjectus fuit. Cæteroquin iste Sigismundi actus Hussum non poterat eximere a jurisdictione pontificali et conciliari in urbe libera Constantia, et nihil valebat nisi in iis quæ *pertinebant ad celeritatem et securitatem itineris*. Ita cadunt omnes fabulæ quas ad nos usque pertinaciter recoxerunt Protestantes.

(3) D'Argentré, *Coll. judic.*, t. I, p. II, p. 164.

(4) *Chronic. Car.* VI, l. XXVI, c. XVII, t. V, p. 604.

4. — Propter discessum Joannis XXIII res longius protractæ sunt, et mense tantum junio interrogari cæpit Hussus, qui suspectos articulos vel negavit vel variis sophismatibus explicuit, ne hæreseos insimularetur. Postridie iterum congregatum fuit tribunal coram Sigismundo, et cardinalis Cameracensis Husso quæstiones posuit. De substantiæ panis permanentia in Eucharistia interpellatus, Joannes negavit se Wiclefianum hunc impanationis errorem renovasse et cum Alliaceno de universalibus minus ad rem habuit disputationem.

In eadem sessione, quum propriam conscientiam invocaret Hussus, cardinalis ei respondit :

« Non agitur de tua conscientia, sed de factis quæ a testibus tibi opponuntur, non ex odio vel inimicitia, sicuti tu dicis, sed allegando causas (1). »

Decimas esse simpliciter fidelium eleemosynas olim dictitaverat hæresiarcha :

« At si tales sint, inquit Cameracensis, nemini imponi potest obligatio eas solvendi. »

« Omnis dives, respondit Hussus, omnia misericordiæ opera debet implere, ne in æternum damnetur, sed per hoc præceptum non huic operi character eleemosynæ tollitur. »

Murmurantibus autem pluribus hac de sententia, Joannes subito exclamavit :

« Existimabam, quod in concilio isto esset major reverentia, pietas et disciplina (2). »

Tum Alliacenus :

« Cur irasceris? Tu solus loqueris, teque omnes pacate audiunt (3). »

(1) Von der Hardt, t. IV, p. 309.

(2) *Documenta*, p. 107, ep. LXV. — *Hussii opp.*, t. I, p. 80, ep. 15. — Von der Hardt, *loc. cit.*, p. 307.

(3) *Ibid.*

Priusquam abduceretur, cardinalis Cameracensis sic eum compellavit coram Sigismundo :

« Joannes Hus, quum primum ad nos adductus esses, audivi te dicere nisi tua sponte Constantiam venire voluisses, neque Bohemiæ rex, neque Imperator, te cogere ad id potuissent. »

Cui Joannes Hus :

« Pace vestra, reverende Pater, dixerim me his verbis usum esse, quod nisi mea sponte huc venissem, tot esse in Bohemia proceres qui me summa benevolentia prosequuntur, ut facillime in occulto aliquo et tuto loco me continere potuisset, ne ego ad regis Bohemiæ et Imperatoris voluntatem huc venire coactus essem. »

Cameracensis autem, vultu præ indignatione mutato exclamavit :

« Videte, obsecro, hominis impudentiam! »

Et ad hæresiarcham :

« Tibi dico, Joannes Hus, et consulo ut, quod in carcere promisisti, sententiæ ipsius concilii te subjicias. Quod si feceris, plurimum consules et dignitati et saluti tuæ. »

Eadem fere consilia Husso proposuit Imperator; at ille respondit :

« Deum ipsum testor, Imperator clementissime, nunquam me in animum induxisse ut nimis obstinate quidquam defendam, meque huc ultro venisse eo consilio, si quis melius aliquid me doceret, quod sine ulla dubitatione meam sententiam mutare vellem. »

His dictis, apparitores eum abduxerunt (1), finemque accepit sessio illa quam fere integram referre voluimus ut in insigni hac causa Alliacenus et reus iste Joannes, quinam reapse fuerint, plena luce appareant. Postera die (8 jun.),

(1) Von der Hardt, t. IV, p. 313 et seqq. — *Documenta*, pp. 276-285. — *Corpus historicum medii ævi* a G. Eccardo (Lipsiæ, 1723), t. II, p. 1859.

convocatum denuo fuit tribunal, præsente Sigismundo, et lecti sunt triginta novem articuli Husso imputati atque ex genuinis ejus libris excerpti. Moderati admodum animi specimina præbuit Alliacenus in repetitis interrogationibus. Quumque Hussus quosdam quidem articulos fateretur esse suos, alios autem negaret, eorum textus collatus est cum libris ex quibus fuerant desumpti, unde non semel ita observabat Alliacenus :

« Ecce et hic et in aliis jam lectis articulis multo graviora in libro scripsit Joannes, quam in articulis positum est (1). »

Et concludebat :

« En viæ duæ propositæ sunt tibi ut ex his eligas unam. Aut te offeras omnino totum in potestatem et gratiam concilii, ejusdemque decretis super hac re acquiescas ; ita namque fiet ut concilium ob honorem Domini nostri Regis Romanorum nunc præsentis ac fratris ejus Bohemiæ regis, clementer acturum sit tecum. Aut si ex dictis articulis quosdam tenere ac defendere intendas ac desideres aliam audientiam, concedetur tibi quidem ; sed tunc scias hic esse magnos et illuminatos viros, qui fortissima habent adversus articulos tuos fundamenta ; et verendum est ne inde gravioribus involvaris erroribus. Id consulendo dixerim tibi, non ut judex (2). »

Joanne autem eadem fere promittente atque pridie, perrexit Cardinalis :

« Quando igitur informationi et gratiæ concilii te subjicis, hoc a doctoribus fere sexaginta... decretum et a concilio approbatum est : primum ut supplici animo te in istis articulis, qui contra te allati sunt, errasse confitearis ; deinde, ut jurejurando promittas nihil istorum te amplius sentire aut docere velle ; postremo, ut publice omnes illos articulos recantes. »

(1) Von der Hardt, p. 317. — *Documenta*, p. 285.

(2) *Ibid.*, t. I, p. 475. — Eadem fere eisdem verbis commemorantur t. IV, p. 325. — Cf. Hoefler, *Geschichtschreibe der Hussitischen Bewegung*, (Apud *Fontes rerum Austriacarum*, 1865, pp. 273-279) ; — *Documenta*, pp. 308-314.

Confirmavit Sigismundus verba Cardinalis, et Hussus postulavit licentiam uberius declarandi et propugnandi sua sensa. Abjurationis autem formulam a pluribus sibi oblatam pertinaciter recusavit, omnes sibi conjunctissimos haud secus atque adversarios audire recusans. Immo, pridie quam ad supplicium traheretur, rursum ad recantationem fuit publice invitatus. Petrus noster et Zabarella eum scilicet tunc interrogaverunt an articulos tandem abjurare decrevisset quos agnoscebat suos et qui per testes erant probati; quos vero non pro suis haberet, an eos damnare vellet cum tota Ecclesia ? Sed in suo proposito constanter perseveravit (1). Venit tandem summa dies. Adstitit sententiæ Alliacenus, et quum unicuique articulo palam promulgato respondere tentaret Joannes : « Agedum, tace modo, inquit Cardinalis, ad omnia simul porro responsurus. » Cui ille : « Prohibes me, inquit, ad singula respondere, quum universam criminum turbam meminisse nequeam (2). » Et rursus post prolatum unumquemque articulum se defendit reus, et postulavit iterum superbe ut ei formales et convincentes Scripturarum textus afferrentur. Abjurationem autem obstinatissime detrectans, sententia mortis perculsus est, omissa alia absolutionis quam judices, spe adhuc aliqua moti eum reducendi ad veritatem, parari jusserant (3). Pessimus igitur hæreticus, sæculari brachio traditus (4), igne peremptus est. (6 jul. 1415).

5. — Hac de re a Bohemis et Protestantibus vehementer fuit impetitus cardinalis Cameracensis, tum quia Imperatoris « salvus conductus » fuisset violatus, tum quia hære-

(1) Von der Hardt, t. IV, p. 326.
(2) Von der Hardt, p. 386.
(3) *Ibid.*, p. 392.
(4) Hefele, pp. 348 et 518. — Von der Hardt, t. IV, col. 432.

tici damnatio nimis severa fuisset (1). De « salvo conductu » jam animadvertimus, illum, etiamsi fuerit iis conditionibus vestitus quas dicunt adversarii, nunquam tamen potuisse Joannem eximere a judicio concilii et a pœnis ab eo infligendis. Sententia vero conformis fuit juri inde a pluribus sæculis in omni Europa vigenti (2). Nullus est historiæ peritus qui præterita tempora juxta normam sui sæculi judicet; estque axioma ab omnibus receptum : *Distingue tempora et concordabunt jura.* Miser ille ipse Hus dura utique suæ ætatis jura nec ignorabat nec abnuebat : « Si hæreseos convinci possum, inquiebat, capite plectar; si vero secus, adversarii mei ultimo supplicio deputentur (3). »

6. — Judex etiam fuit Alliacenus in causa fidei contra famosissimum Joannis discipulum Hieronymum Pragensem, qui primum (23 sept.) errores in publica concilii sessione recantavit (4), et asseruit cum synodo legitimam esse Wiclefi et Hussi damnationem. Ideo Cameracensis viam mitiorem erga eum eligendam existimabat, eum immo ab carcere educendum ipso declarans. At, quum Germani et Bohemi theologi ementitam fuisse illius abjurationem conjicerent, quumque Cardinalem aliosque judices hac in re deceptos palam asseverarent, commissarii suo muneri renuntiarunt, aliique judices (24 febr. 1416) a concilio designati sunt (5). Theologos haud errasse probavit eventus; in pristinum enim errorem relapsus Hieronymus, magis-

(1) Cf. G. Pameyer, *Pierre d'Ailly, sa vie et ses ouvrages,* (1840) p. 29; — Tschackert, *loc. cit.*, p. 225 et seqq.; — E. de Bonnechose, *loc. cit.*, t. II, p. 45.

(2) Hefele, *Histoire des Conciles,* t. X, p. 517. — Hunc hæreticos plectendi modum non repellebant ipsi Protestantes, uti satis ostendunt Calvini, Bezæ, Melanchtonii, etc.... scripta et exempla. — Hac de re cf. etiam L. Tosti, *Storia del Concilio di Costanza,* t. II, l. V, p. 64 et seqq.

(3) *Ibid.*, col. 435 et seqq.

(4) Mansi, t. XXVIII, p. 160. — Hefele, t. X, p. 539.

(5) Hoefler, *Geschichtschreiber,* t. I, p. 335 et seqq.

tri sui Joannis pervicaciam imitatus est, eodemque supplicio, die 30 maii, afflictus (1).

7. — Nobis tamen dolendum videtur Alliacenum ipsum non satis aliquando de quibusdam opinionibus abstinuisse quæ Husso et Hieronymo viam aperire potuissent; alludimus nominatim ad ejus placita de petra Ecclesiæ quæ aut Christus aut Scriptura tantum non vero Petrus sit, de Ecclesia catholica a Romana distincta, de vera Christi Ecclesia non identica ei quæ nunc exsistit, de auctoritate solius Scripturæ, independenter a Patrum et Pontificum traditione (2). Quod nempe scholasticis Navarrici Collegii ludis leviter protulerat Petrus, id, male auctum et ad hæresim usque evolutum, Hussus Pragæ primum deinde Constantiæ pertinaciter affirmavit. Nec sane dubitamus Cardinalem Cameracensem intimo secretoque cordis dolore tactum ea tandem adussisse quæ junior Navarricus adoraverat.

IV

1. — Neminem latet ducem Aurelianensem a duce Burgundiæ probrose simul atque immaniter fuisse jugulatum, anno 1407 (3). Crudelis homicida coram Rege Carolo causam dicere debuit, adjectus a Normanno quodam suo consiliario, Joanne Parvi sive *Petit*, qui hanc præsertim rationem proferre non timuit (8 mart. 1408) :

« Omnis subditus et vassalus, qui cupiditate, fraude, sorti-

(1) Von der Hardt, p. 748 et seqq.— Mansi, t. XXVII, p. 881 et seqq.— Hefele, *loc. cit.*, p. 577.

(2) Hæc omnia referemus et discutiemus infra.

(3) Cf. Monstrelet, *Chroniques*, l. I, c. XXXVI.

legiis et ingenio pravo machinatur contra salutem corporalem Domini Regis, potest occidi, utpote tyrannus, a quolibet subdito, sine quocumque mandato vel præcepto; et hoc secundum leges naturalem, moralem et divinam (1). »

At Aurelianensis ducissa, Regem et Parlamentum adversus Burgundum commovit, unde exortum est civile bellum in quo post varia discrimina Aurelianenses devicti sunt. Interea quidem decessit Joannes Parvi (5 jul. 1411), sed ejus doctrina delata est tribunali Generalis Studii, instigante nimirum Gersonio qui jam coram rege, eam acriter impugnaverat (2). Die etiam 7 octobris, Carolus rex per patentes litteras episcopo Parisiensi injunxit ut concilium congregaret ad inquirendum de erroribus in regno disseminatis (3).

2. — Synodus ea Parisiensis septem assertiones a Gersonio ex operibus Joannis excerptas primum damnavit (4), novem deinde propositiones quæ universam Joannis doctrinam complectebantur (5) abolevit « ut erroneas et multipliciter scandalosas, » atque igni solemniter tradendas jussit, die 23 februarii 1414 (6). Sententiam executioni mandari et in toto regno statim promulgari decrevit rex Carolus (7). Appellavit tamen a judicio dux Burgundiæ, tribusque cardinalibus Summus Pontifex rem totam com-

(1) *Ibid.*, c. XXXIX. — In opp. Gersonii, t. V, col. 15 et seqq. — Mansi, t. XXVIII, p. 740 et seqq. — Von der Hardt, t. IV, col. 337.

(2) In opp. Gersonii, t. IV, col. 657. — Cf. J.-B. Schwab, *Johannes Gerson*, pp. 449 et 609.

(3) Opp. Gersonii, t. V, col. 52.

(4) *Ibid.*, col. 55; t. IV, col. 669. — D'Argentré, *Coll. judic.*, t. I, pp. 185 et 191.

(5) *Ibid.*, pp. 327 et 396 — Mansi, t. XXVII, p. 879. — Hefele, t. X, p. 482. — Cf. L. Tosti, *Storia del Concilio di Costanza*, t. II, l. V, p. 32 et seqq.

(6) *Ibid.*, p. 324 et seqq. — Cf. Bulæum, *Hist. Univ. Paris.*, t. V, p. 291; — Crevier, *Histoire de l'Univers. de Paris*, t. III, p. 445; — Mansi, t. XXVIII. coll. 787 et seqq.

(7) In opp. Gersonii, t. V, pp. 332 et seqq.

misit (1); quæ quum longius protraherentur, Gersonius, causam jure suam reputans, novem Joannis assertiones (2) Constantiensi concilio detulit (7 jun. 1415); immo synodalem sententiam implorarunt Burgundi legati, Martinus scilicet Porrée, Atrebatensis episcopus, et Petrus Cauchon, vice-dominus Remensis, postea Bellovacensis nimis famosus antistes. Tunc concilium designavit Cameracensem, Zabarellam aliosque cardinales et doctores ex omnibus synodi nationibus, ut hac de re statuerent (3). Atrebatensis igitur episcopus, licet Alliacenum hac in causa suspectum haberet, utpote qui Gallicanam synodum ad Joannem Parvum damnandum vehementer impulerat, impedire tamen non valuit quominus ipse cum aliis judicibus sederet (4).

3. — De modo rei definiendæ sic censuerat Alliacenus :

« Personæ non debent tangi nec nominari, sed tantum materia exponatur secundum facti veritatem, ad evitandum scandala quæ propter expressionem nominum oriri possent (5). »

Ideo absque auctoris nomine, die 6 julii, proscripta est generalis hæc propositio :

« Quilibet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi per quemcumque vassalum suum vel subditum, etiam per insidias et blanditias vel adulationes, non obstante quocumque juramento seu confœderatione facta cum eo, non exspectata sententia vel mandato judicis cujuscumque (6). »

Jure ergo, die 11 augusti, ita scribit Cameracensis cardinalis : « Nullus particularis assertor seu defen-

(1) « Jean-sans-peur accuse devant le Pape Maistre Jehan de Jarson de publier paroles sonnans a dénigration de sa bonne fame et renommée, 9 oct. 1414. » (*Archiv. du Nord, Chambre des Comptes*, série B, t. I, p. 311.)

(2) *Ibid.*, p. 353.

(3) Von der Hardt, t. IV, p. 335.

(4) *Ibid*, p. 337. — Cf. opp. Gersonii., *ibid.*, col. 383.

(5) In opp. Gersonii, t. V, col. 353.

(6) Von der Hardt, t. IV, col. 439.

sor novem propositionum coram sancta synodo fuit specialiter vel judicialiter accusatus (1). » Et non alio sensu inhibet rex Carolus, 31 ejusdem mensis, « omnibus suis subditis... ne occasione suarum litterarum per verba, prædicationes, neque aliter, dicant aut faciant aliquid ad onus, infamiam aut dedecus sui dicti consanguinei Burgundiæ, quocumque modo sit (2). »

At ulterius procedentes Alliacenus et Gersonius formalem propositionum Joannis damnationem a concilio obtinere voluerunt. Multum et acriter coram fidei commissione disceptatum fuit. Atrebatensis episcopus eo usque processit ut affirmaret Parisiensem nullo modo potuisse olim assertionibus Joannis censuram inurere (3). Quumque iste nonnullos judices donis vel pollicitationibus seduxisset, quos Gersonius ira correptus acerbissimis convitiis omnes affecit, multis interjectis disputationibus, varii in varias abierunt sententias.

4. — Quid sentiret aperuit Cameracensis cardinalis in aula majori curiæ episcopalis (4 jan. 1416), et novem propositiones Joannis Parvi declaravit « non dogmatizandas, utpote in fide et bonis moribus erroneas (4). » Nihilominus die 15 januarii, a concilii deputatis declaratum est :

« Processus, sententias, condemnationes, cremationes, inhibitiones et executiones prædictos et prædictas, ac omnia inde secuta, fuisse et esse nullos et nulla, invalidos, invalidas et

(1) *Ibid.*, coll. 360 et 386. — Eamdem renovavit declarationem die 4 jan. 1416. *Ibid.*, col. 495, et 8 febr., coll. 510 et seqq.

(2) *Ibid.*, col. 388.

(3) Cf. opp. Gersonii, t. V, col. 361. — Huic opinioni sæpe suis sermonibus alludunt Alliacenus et Gersonius. Cf. orationes cardinalis in die Pentecostes et in medio Quadragesimæ, apud *Tractatus et sermones.* Lege insuper Gersonii concionem in die Purificationis, t. II, col. 281.

(4) *Ibid.*, col. 494. — Mansi, t. XXVIII, col. 821.

invalida, cassos, cassas et cassa, ac nullius fuisse nec existere roboris nec momenti... (1). »

Unus et sexaginta theologi sive jurisperiti judicium protulerunt, paucis cum Cameracensi cardinali renitentibus : et quidquid protestati sint rex Galliæ Studiique Generalis magistri, irrita manserunt Alliaceni et Gersonii conamina. Multa quidem dixit postea Gersonius, multa respondit Martinus Porrée, sed res ulterius non profecerunt ; et novem impugnatæ propositiones altero ictu non sunt perculsæ. Hoc unum tamen monitum volo : quum Parisiensis cancellarius coram concilio orationem haberet, die 5 maii 1416, instinctu quodam prophetico sermoni finem sic imposuit :

« Converto vocem meam ad vos, Reverende Pater ac Domine, Domine Atrebatensis, ad vos similiter, Magister Petre, vice-domine Remensis..., interrogo vos nunc aliqua; respondete, precor; immo tacentibus vobis, respondebo ipse pro vobis. Nonne diligitis *salutem temporalem simul et spiritualem* Illustrissimi Principis Domini Ducis Burgundiæ? Diligitis, scio. *Non diligitis securitatem inclytæ posteritatis suæ* in dominiis hæreditatis? Diligitis, scio... Vincat igitur vos, non ego, sed veritas, sed ratio, sed pietas, per salutem animarum vestrarum, per illam, quam vos expavescere ac refugere convenit, pœnam errantium... (2). »

Dicti veritatem facta evicerunt : post tres annos Dux Burgundiæ Joannes in ponte Monasterioli trucidatus fuit, Delphino imperante ; sic talionis pœna fuit punitus, et qui gladio ferierat gladio periit ; sic impleta fuit Gersonii prophetia, et practice condemnata doctrina quam, eheu ! Constantienses Patres plectere non ausi sunt. Politicæ

(1) Cf. opp. Gersonii, coll. 500-507. — Schwab, *Johannes Gerson*, pp. 622-638. — P. Tschackert, *Peter von Ailli*, pp. 235 et seqq.

(2) *Propositio facta coram concilio Generali Constantiensi*, in opp. Gersonii, t. II, col. 328.

enim discordiæ quæ tunc Galliam dividebant, pessimum influxum in concilii determinationes exercuerunt; licetque Alliacenus, die 11 augusti 1416, cum cardinali Philastro fuisset nominatus « generalis *Promotor* Regis Galliæ, et ejus quorumcumque in sancta synodo et Curia Romana negotiorum *gestor*, *protector* et *defensor* (1) », non adeo tamen valuit ut concilium ad ultimam sententiam adduceret.

Anno sequenti, Joannem de Falkenberg easdem assertiones ac Joannes Parvi adversus Polonum regem proferentem, regemque licite occidi posse asserentem, Cameracensis cardinalis censura profligavit (2), nationumque delegati mandaverunt ut illius liber igni traderetur (3).

Ista laus profecto Cameracensi cardinali debetur, quod sanam et probatam de tyrannicidio doctrinam coram synodo inviolabiliter et pertinaciter tenuerit; quumque sæculorum decursu quæstio rursum agitata est (4), nomina Alliaceni ac Gersonii, utpote theologicæ veritatis defensorum, semper sunt laudata (5).

(1) Opera Gersonii, t. V, col. 645. — Cf. L. Tosti, *Storia del Concilio di Costanza*, t. II, l. VI, p. 77.

(2) Opera Gersonii, coll. 670 et 1013.

(3) Von der Hardt, t. IV, p. 1091. — Hefele, *Histoire des Conciles*, t. XI, p. 68.

(4) Protestantes primum suscitarunt istiusmodi doctrinam; Cf. *Luther's Werke*, (Edit. Walsch), XXII, 2151; — Ukert, *Luther's Leben*, t. II, p. 41. — Strobel, *Miscellanea*, t. I, p. 170; — Notæ sunt lites quæ propter librum Marianæ, anno 1599, exortæ sunt, et Pascalis litteræ *Provinciales*, V, VII et XIII. — Lege etiam Leyseri *Meditationes in Pandectas*, (Lips., 1746) p. 861, de quo J.-B. Schwab, *loc. cit.*, p, 643.

(5) Hac de re tota cf. Car. Jourdain, *Index chronologicus chartarum pertin. ad hist. Univers. Paris.*, t. I, pp. 336 et seqq.

V

1. — Alia quæstio sub fine concilii Constantiensis excitata fuit a fratre Matthæo Grabone, ordinis Prædicatorum, provinciæ Saxoniæ. Nova *Fratrum Vitæ communis* institutio in Germania inferiori illi erat in petram scandali, contra quam libello multa asseruerat falsa, piarumque aurium offensiva (1). Conclusiones suas ipse synodo Constantiensi examinandas obtulit, (3 apr. 1418), sub Martino V. Erant præcipui articuli :

Omnes peccant qui simpliciter eleemosynam largiuntur propter Christum. — Abdicationes omnium propter Christum nullus facere potest, extra veras religiones manendo, sine peccato mortali; et dico veras religiones per Sedem Apostolicam approbatas. — Nullus potest paupertatis consilium meritorie observare, nisi fuerit in statu spiritualis perfectionis, sive veræ religionis. Reputantes se bene facere, assumendo paupertatem quæ est Salvatoris consilium, remanendo in statu sæculari, peccant mortaliter. — Matronæ seu mulieres, communem vitam ducentes et simul commorantes, *Beguttæ* vulgariter nuncupatæ.... æternæ damnationis sunt filiæ.... — Non licet presbyteris et clericis communem vitam ducere, nisi in religione approbata, sub pœna peccati mortalis. Excommunicati sunt, et qui illis favent consilio vel auxilio, peccant. »

2. — Quum in hac causa commissarius a Martino V institutus fuisset, Petrus ei responsum dedit, et adhortatus est primum ut omnes theologi concilio assistentes sententiam prodere possent, utpote causa fidei. Mentem deinde suam aperuit, primitivæ Ecclesiæ exemplum adducens, quum

(1) Cf. Hefele, *Histoire des Conciles*, t. XI, p. 103.

multitudo credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat (1).

« Conclusiones ergo Grabonis fundamentum habent erroneum... continent insuper magnam temeritatem, scandalum atque proterviam.... Libellus damnandus est ut erroneus, temerarius, scandalosus... et igni tradendus est. »

Gersonius et ipse interrogatus, paucis respondit *conformiter ad responsionem Reverendissimi Patris ac Domini, sui ac præceptoris præcipui, Domini cardinalis Cameracensis*, suamque deliberationem sapientissimis adornavit commentis (2). Grabon conclusiones sic damnatas laudabiliter revocavit et abjuravit (3).

3.— Feliciter etiam successit Alliaceno et Gersonio contra sectam Flagellantium agentibus. Sanctus Vincentius plurimam populorum multitudinem divinis captam illecebris post se trahebat, eos enixe concitans ut per piam et voluntariam corporis verberationem Dei misericordiam assequerentur. At brevi ejus exempla fuerunt deturpata a nonnullis qui prudentiæ metas egressi corpora crudelissime laniabant, et crimina proprio sanguine magis quam sacramentis ablui reputabant. Gersonii ad Vincentium Ferrerium reverentem epistolam probavit Alliacenus, (4) eumdem simul reverenter virum sanctum adhortans ut Constan-

(1) Act. IV, 32.

(2) In opp. Gersonii, t. II, col. 659. — Von der Hardt, t. III, p. VII, p. 92. — Cf. Rayn., anno 1414, 14, et anno 1417, 11.

(3) Cf. Gersonium, t. I, col. 467 et seqq. — Cf. etiam de hac omni re Von der Hardt, t. III, p. 106 et seqq.; — Mansi, *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio*, t. XXVIII, p. 386; — Schwab, *Johannes Gerson*, p. 763 et seqq.; — Binterim, *Deutsche Concilien*, t. VII, p. 109; — Bahring, *Thomas von Kempen* (1849), p. 157.

(4) De gestis Vincentii lege pulcherrimam Nicolai de Clamengiis epistolam CXIII ad Radulphum de Fontanis. — Cf. *Histoire des Flagellants*, a Jac. Boileau, traduite du latin par l'abbé Granet, (1732). — *Critique de l'Histoire des Flagellants*, par Thiers, (1703).

tiam veniret, sese de pluribus explicaret, et Flagellantes approbare desisteret. Respondit Vincentius auctoritatem concilii exaltando, sed coram synodo nunquam comparuit. Anno 1417, adversus Flagellantes tractatulum composuit Gersonius; (1) mox autem evanuit secta multis odiosa vel suspecta.

VI

1. — Alliacenus et multi Patres Constantienses Joannem XXIII ad cessionem dignitatis pontificiæ pro bono pacis, simul ac duos alios contendentes (2) hortati erant. Eam promisit, juravit et vovit Joannes in templo, præsente Sigismundo imperatore, anno 1415, et per Bullam confirmavit (3); at paulo post e Constantia clam aufugit (20 mart.), et Schaffusiam sub dominio Ducis Austriæ sibi suffragantis se contulit (4). Nihilominus decreverunt Patres, præsidente Petro Alliaceno, concilium legitime inchoatum nullatenus ideo dissolvi, et a magistris Parisiensibus omnino probati sunt (5).

In quarta sessione, gravem hanc declarationem emiserunt

(1) In opp. Gersonii, *ibid.*, col. 660.

(2) Cf. Von der Hardt, *loc. cit.*, t. II, coll. 196 et 237, t. IV, p. 44; — Mansi, *loc. cit.*, col. 568.

(3) Von der Hardt, t. IV, p. 53. — Mansi, *ibid.*, col. 570. — Hardouin, t. VIII, p. 240. — Dœllinger, *Documents pour servir à l'histoire du XVe et du XVIe siècle*, t. II, p. 374.

(4) Mansi, *ibid.*, col. 577. — Von der Hardt, t. II, coll. 252 et 398, t. IV, pp. 59 et 60. — Hardouin, t. VIII, p. 244.

(5) D'Argentré, t. I, p. 199. — Cf. Mansi, *loc. cit.*, t. XXVII, col. 581, et t. XXVIII, col. 21; — Von der Hardt, t. II, p. 273, t. IV, p. 124; — *Chronic. Car. VI*, l. XXXVI, c. 21.

quam postea examinabimus (1), et quæ tot et tantarum controversiarum origo fuit :

« Ipsa synodus in Spiritu Sancto congregata legitime, generale concilium faciens, Ecclesiam catholicam militantem repræsentans, potestatem a Deo immediate habet, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis etiamsi Papalis exsistat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem et extirpationem dicti schismatis, (ac generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite et in membris) (2). »

Addit concilium pœnas contra inobedientes cujuscumque sint status vel dignitatis etiam Papalis ferri posse.

Quum postea Joannes novas criminis causas prioribus jam expositis addidisset, captus fuit et in castello prope Constantiam inclusus. Contra eum Concilium peremptoriam hanc sententiam tulit (14 mai 1415) :

« Ejus ex urbe Constantia discessus illicitus, scandalosus, pacis Ecclesiæ perturbativus, schismatis propagativus, voto, promissis et sacramento quæ Deo Ecclesiæ et concilio emiserat, contrarius, est pronuntiatus. Ipse notorie schismaticus, bonorum Ecclesiasticorum dilapidator, temporalium et spiritualium rerum eversor est declaratus, atque ob scandalum Ecclesiæ datum, quum admonitus emendare se neglexisset, de Pontificatu dejiciendus, ut et de facto concilium eum dejicit, vetatque ne eum pro Pontifice agnoscant aut Papam appellent (3). »

3. — Hanc sententiam humiliter accepit Joannes. Interea (31 maii) Gregorius XII juri suo pontificali renun-

(1) Cf. cap. X hujus libri.

(2) Vide decretum, de cujus terminis acriter disputatum fuit, in opp. Gersonii, t. II, p. 231. — Cf. caput X hujus libri, et Emmanuelem Schelstraete, *Comparatio chronologica rerum ad decretum concilii Constantiensis spectantium*, apud Roccaberti, *Biblioth. pontificia*, t. XI, p. 216. — Verba parenthesi inclusa deficiunt in pluribus mss. — Cf. Mansi, *loc. cit.*; — Raynald., anno 1415, 7; — *Chronic. Car. VI*, lib. XXXVI, c. 17. — Errat de sessione Monachus Sandionysianus : non fuit tertia, sed quarta.

(3) Cf. Von der Hardt, t. IV, col. 280. Non referuntur ipsa verba sed sensus tantum. — Cf. etiam Mansi, t. XXVII, p. 715; — Hardouin, t. VIII, p. 375; — *Chronic. Car. VI*, l. XXXVI, c. 33.

tiavit (1); sed pertinax Benedictus cedere noluit, et ideo, anno 1417, in trigesima septima sessione :

« Contumax est declaratus ac damnatus ut perjurus, Ecclesiam universalem scandalizans, schismatis fautor, pacis Ecclesiæ perturbator, schismaticus, hæreticus et omni dignitate indignus, de jure quod habere poterat ad Pontificatum dejectus (2). »

Hoc idem anathema contra eum a Martino V fuit postea renovatum, anno videlicet 1419.

Tribus contendentibus ita remotis, reliquum erat ut novus eligeretur, nisi obstitissent Germani cum Sigismundo, declarantes prius de reformatione Ecclesiæ agendum esse (3). Medium terminum invenerunt Patres; præcipua nempe reformationis capita determinarunt Pontificem deinde electuri, eumque quicumque futurus esset, obligaturi adagendum de reformatione ante concilii dissolutionem.

« Ut electio firmiori auctoritate et plurium roboraretur assensu », decreverunt adhortante Alliaceno (4), et pro ea vice dumtaxat, sex episcopos e quacumque natione electos Cardinalibus, adjungendos fore. Vota autem et fiduciam omnium præsulum et populi Christiani explanebat Alliacenus :

« Utinam Sancta Mater Ecclesiæ nunc, proh dolor! acephala et apostolico pastore nostris demeritis diutius quam expediret destituta, talem servum bonum et fidelem, talem Summum

(1) Von der Hardt, t. IV, p. 341 et seqq. — Mansi, *loc. cit.*, p. 730 et seqq. — Hardouin, t. VIII, p. 384.

(2) Von der Hardt, t. IV, p. 1367.— Mansi, *loc. cit.*, p. 1140.— Tosti, *Storia del Concilio di Costanza*, t. II, p. 121. — Hardouin, t. VIII, p. 835.

(3) Lenfant, *Histoire du Concile de Constance*, p. 473. — Hefele, t. XI, p. 39. — Von der Hardt, t. IV, p. 1394. — Mansi, t. XXVIII, p. 494 et seqq. — Cf. secundam partem sermonis quem habuit Alliacenus in festo sancti Ludovici Tolosani, et non, uti plures asserunt, in die festo sancti Ludovici, regis.

(4) *Modus eligendi Summum Pontificem, Tractatus et Sermones.* — Cf. Mansi, *loc. cit.*, p. 1075.

Pontificem, servum servorum Dei, per canonicam electionem celeriter habere mereatur! O utinam talis hodie reperiatur in Ecclesia fidelis dispensator!... O felicem illum! O ter quaterque beatum qui paratus erit ecclesiasticorum mores erroresque corrigere, desolatam Ecclesiam consolari, dejectam erigere, dissipatam divisamque recolligere (1)! »

Quæ spes non delusa, immo non diu dilata fuit. Quinquaginta tres electores conclave ingressi sunt (8 nov. 1417), et paulo post (11 nov.), elegerunt Odonem de Columna romanum, cardinalem diaconum Sancti Georgii *ad velum aureum* qui Martini V nomen ob festum incidens sumpsit, quique eodem mense, diaconus, presbyter, et episcopus consecratus, postremo summus Pontifex non sine magno splendore coronatus est (21 nov.).

Cameracensem cardinalem pro seipso pontificale solium ambiisse, illudque conscendendi voluntatem diu mente agitasse nonnulli asseruerunt (2); sed eis quemadmodum certe et nobis positivæ probationes omnino desunt. Eum igitur censemus nulla alia cupidine flagravisse nisi studio sedandi protractas nimium Ecclesiæ discordias. Quod votum in omnibus rerum et temporum discriminibus servatum et quadraginta fere annis prosequutum, isti tam longæ tamque sollicitæ vitæ unitatem et indubium honorem contulit.

VII

1. — Jam anno 1415 (17 apr.), sexta sessione concilii, petierant quidam ut Summus Pontifex et cardinales a deli-

(1) *Sermo de sancto Ludovico, episcopo Tolosano,* (19 aug. 1417).

(2) Inter quos card. Hergenrœther, *Kirchenlexicon,* t. I, v° Ailly.

berationibus de Reformatione excluderentur, ne isti viderentur, judices esse in sua propria causa (1). Propositio, antecessoribus Lutheranorum omnino digna, a concilio fuit rejecta, neque ullibi eam repperire est in Alliaceni scriptis, tum iis quæ jam expendimus, tum illis tribus aliis quæ tempore concilii lucubrata sunt, quæque omnia reformationis puncta qualia ab ipso intelligebantur luculenter exponunt.

2. — Primum opus est quasi concilio præparativum cui titulus inscribitur : *Tractatus vel Capita agendorum in Concilio Generali Constantiensi de Reformatione Ecclesiæ* (2), in quo, vel ab initio, istud agendorum programma subministrat :

« Primum agendum in concilio erit *de fide*, ut extirpentur errores, si qui pullulant.... Item offeratur dicto concilio tractatulus quidam, compositus per Cancellarium Parisiensem, tractans de generalibus principiis nostræ fidei, per Facultatem Theologiæ, prius tamen examinandus, et, si opus fuerit, corrigendus, addendo vel diminuendo.... Constituantur in concilio aliquæ propositiones quæ respondeant libris Sacræ Paginæ et Juris, quibus Studia utuntur, et determinent dubia in eisdem reperta; revideanturque *Extravagantes* conditæ a temmpore Viennensis concilii. Item decisiones *Rotæ* videantur, et si opus fuerit, reformentur (3). »

3. — Durante autem Concilio, idem argumentum denuo tractavit, meliori tamen ordine et breviori stylo, in *Tractatu super reformatione Ecclesiæ*, cujus analysim instituimus.

(1) Cf. Von der Hardt, t. II, col. 285; t. IV, p. 120 et seqq.; — Mansi, t. XXVIII, p. 24.

(2) Sæpe quidem cardinali Zabarellæ tribuitur, sed styli proprietas et sententiarum series Alliacenum auctorem absque dubio renuntiant. — Cf. Von der Hardt, t. I, p. 506.

(3) Postulabat etiam ut de pœnis juris, scilicet de casibus excommunicationis, suspensionis et irregularitatis, libellus redigeretur in generali concilio, et, si qui essent onerosi et inutiles revocarentur, si qui vero necessarii, roborarentur. Quam petitionem, pluries sæculorum decursu renovatam bulla recens *Apostolicæ Sedis* adimplevit. — Apud Von der Hardt, *ibid.*

In procemio generali (1), emphatice de grassantibus malis queritur, et commemoratis S. Bernardi, B. Hildegardis atque Abbatis Joachim textibus in præcedentibus sermonibus et litteris jam relatis (2), majores prævidet lapsus, ni celeriter reformatio fiat. Primo capitulo agit de toto Ecclesiæ corpore et de conciliis tum generalibus tum particularibus. Postulaverat antea ut generale concilium semel saltem infra decennium congregaretur (3) ; nunc petit ut particulares synodi quoque saltem triennio convocentur (4). Ecclesiæ mala ex rariori conciliorum convocatione in fide et moribus orta enumerat, atque Saracenos aliosque infideles profligandos, Græcos autem Romanæ unitati reducendos, universali synodo indicit (5).

Secundo capite statum Summi Pontificis et curiæ Romanæ considerat :

« Tollendus esset ille detestabilis abusus a quo præsens

(1) In opp. Gersonii, t. II, col. 903 ; et apud Von der Hardt, t. I, p. 409.

(2) *Secundus sermo in Adventu*, seu de *Officio imperatoris, Papæ et reliquorum membrorum Concilii* (1414). *Tractatus et Sermones*, (in opp. Gersonii, t. II, col. 922). — Jam eos citarat in *Sermone de Sancto Francisco* (1382) ; eos iteravit anno 1417 in *Panegyrica oratione sancti Ludovici Tolosani*. — Cf. etiam *Epistolam ad Joannem XXIII*. in opp. Gersonii, t. II, col. 880.

(3) *Capita agendorum*, apud Von der Hardt, t. I, coll. 514 et 527. — *Statuta generalia de Eccl. reform*. Ibid., p. 583. — Cf. decretum *Frequens* a Constantiensi concilio sub Martino V editum : « Hoc edicto perpetuo sancimus, decernimus et ordinamus ut.... deinceps concilia generalia celebrentur de decennio in decennium.... » (Labbæus, *Concil*., t. XII, sess. XXXIX.) — Istiusmodi decretum neglectum esse conquestus est R. D. Maret, *Du Concile général et de la paix religieuse* (1869), t. II, p. 493 et seqq. — Hac etiam de re *postulatum* ediderunt quidam episcopi Galli in synodo Vaticana, et enixe postularunt ut œcumenica concilia sæpius celebrarentur; — Cf. Conradum Martin, *Omnium Concilii Vaticani documentorum collectio*, p. 151.

(4) In opp. Gersonii, t. II, col. 904. — *Statuta Generalia*, apud Von der Hardt, t. I, col. 631. — Cf. postulata Conciliis Trid. et Vatic. oblata.

(5) *Ibid*., col. 906. — De schismaticis græcis curarunt etiam episcopi Galli Concilii Vaticani in suo postulato. Cf. Conradum Martin, *loc. cit*., p. 164.

schisma originem traxit, scilicet quod una natio, sive regnum, aliquando ultra aliquando citra [illegible]tes, in scandalum residuæ Christianitatis, ita diu Papatum tenuit ut posset dicere : *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei* (1). »

Cardinales numero pauciores et ex nationibus omnibus assumpti esse deberent (2). Electionem Urbani VI commemorat, additque :

« Quia una causa (3) præsentis schismatis fuit, quod cardinales nimis tardaverint declarare et fideles sufficienter informare quod primam electionem fecissent vi et metu, ideo ad tollendum ne alia similis scandali detur occasio, expediens videretur arctari aliquod tempus intra quod talis exceptio metus deberet allegari, et ultra quod nec illa nec alia exceptio contra Papæ electionem posset per cardinales opponi (4). »

Attendat sedulo Romana Ecclesia gravaminibus quæ infert aliis inferioribus ecclesiis et prælatis, atque ideo « diminuantur pomposi status », simulque exactiones et scandalosa plurium beneficiorum possessio cardinalibus interdicantur (5). Excommunicationes recentioribus præsertim decretalibus latæ rariores sint, (6) statuta et canones quæ sub mortali obligant allevientur (7) ; alii demum abusus

(1) Ps. LXXXII, 13.

(2) De eadem materia cf. *Statuta generalia*, apud Von der Hardt, t. I, col. 594, et *Postulata* Concilio Trid. a rege Portugalliæ missa, apud *Analecta juris pontificii* XCIII, anno 1872, col. 47.

(3) Aliæ fuerunt, juxta Alliaceni opinionem, Romani populi seditio et ambitio papatus. In opp. Gersonii, t. II, col. 882. — Cf. *Epistolam ad Joannem XXIII* et *Capita agendorum*, apud Von der Hardt, t. I, coll. 507 et seqq.

(4) In opp. Gersonii, *loc. cit.*, col. 907. — Cf. *Statuta generalia*, apud Von der Hardt, t. I, col. 585.

(5) *Ibid.*; cf. *Capita agendorum*, col. 515 et seqq. — *De corrupto Ecclesiæ statu*, quod opus Nicolao de Clamengiis fuit sæpe attributum, c. XI, p. 11 (Edit. Lydii). — Cf. *Conc. Trid.*, sess. XXIV, *De Reform.*, c. 17.

(6) *Ibid.* — Cf. *Conc. Trid.*, sess. XXV, *De Reform.*, c. 3. Sacra Synodus hac in re episcoporum Italiæ postulata secuta est. *Analecta juris pontificii*, CXI, col. 970, jun. 1869.

(7) *Ibid.*; cf. *Capita agendorum*, col. 521 et seqq.

auferantur, ita ut cardinalium status corrigatur quidem, non vero destruatur aut debitis juribus defraudetur (1).

3. — De majoribus prælatis tertio capite scribit :

« Providendum erit ut tales eligantur qui non sint juvenes, indiscreti, aut immorigerati, aut carnales, spiritualium ignari, sed graves ætate et moribus, eminentes spirituali scientia et doctrina ; qui in rebus suis non sint strenui et in ecclesiasticis remissi, nec propria magis quam communia jura procurent ; qui angarias et impositiones, vel hujusmodi gravamina subjectis non imponant.... (2); moderato habitu et temperato victu contenti (3), etiam in mensa lectioni divinarum Scripturarum intendant. »

Disserit de episcoporum electione quæ leviter et absque diligentia confirmanda non est ; de quibusdam solummodo titulatis episcopis, mendicantibus et gyrovagis ; de perversis prælatis qui juris pœnas contemnunt, quique a conciliis ad Pontificem supremum delati, ab eo deponi vel aliter corrigendi essent (4). Restringatur excessiva antistitum pompa ; prematur furor iste qui eos in media prælia propellit ; deleatur abusus quo a suis ecclesiis plus quam tribus hebdomadis absunt (5), et quo delusi in curiis principum, in cathedris judiciorum, in cameris computorum, vitam minus ecclesiasticam degunt.

« Prælati in suis synodis, et eorum officiales in suis curiis,

(1) *Ibid.*, col. 908.

(2) *Ibid.*, col. 909. — Cf. *Conc. Trid.*, sess. VI, *De Reform.*, c. 1 ; sess. VII, c. 1. — Sess. XXII, c. 2. - Sess. XXIV, c. 1.

(3) *Ibid.*, *Conc. Trid.*, sess. II. — Sess. XXV, *De Reform.*, c. 1. — Cf. orationem Hugnoneti Metensis (4 aug. 1415), apud Walch, *Monimenta medii ævi*, t. 1, p. 207, et Hefele, *loc. cit.*, p. 535.

(4) Ita etiam *Conc. Trid.*, sess. XIII, *De Reform.*, c. 8. — Sess. XXIV, c. 5. — Cf. schema I de disciplina in Conc. Vat., apud Conradum Martin, *loc. cit.*, p. 123.

(5) Non aliter *Conc. Trid.*, *De Reform.*, sess. VI, c. 1. — Sess. XXIII, c. 1. — Cf. *Statuta generalia*, apud Von der Hardt, t. I, col. 616. — *De corrupto Ecclesiæ Statu*, c. XVII et seqq.

non ad repletionem bursarum intendant, sed ad correctionem vitiorum, emendationem morum et ædificationem animarum. Exactiones pro sigillis et litteris moderentur, pœnæ pecuniariæ vel tollantur vel temperentur, litium prolixitates rescindantur, advocatorumque et procuratorum insolentia reprimatur..... Nihil accipere liceat in distributione graduum, ordinum administratione (1), vel sacramentorum, vel sepulturarum, aut hujusmodi spiritualium et spiritualibus annexorum (2). »

Consilia sapientiam simul ac modestiam redolentia suppeditat de clericorum officio (3), de jejuniis, de cultu divino, de festis servandis (4), de usuum novitate et varietate in horis et aliis servitiis, etc... (5).

4. — Capitulo quarto de monachis et monialibus has edit sententias, hæc vota :

« Et primo videtur quod tanta religiosorum numerositas et varietas non expediat, quæ inducit ad varietatem morum, et quandoque ad contrarietatem et repugnantiam observationum, et sæpe ad singularitatem et ad superbiam et ad vanam extollentiam unius status super alium. Maxime videtur necessarium ut diminuerentur religiones Ordinum Mendicantium, quia tot sunt et in numero Conventuum et in numero suppositorum, ut eorum status sit onerosus hominibus, damnosus leprosoriis et hospitalibus, ac aliis vere pauperibus et miserabilibus indigentibus.... (6). Item providendum esset super correctione

(1) Cf. *Conc. Trid.*, sess. XXI, *De Reform.*, c. 1; —*Statuta Generalia*, apud Von der Hardt, t. I, col. 633; — N. de Clamengiis, *De Præsulibus simoniacis*, p. 160. — Die 29 dec. 1415, Cameracensis Cardinalis ad Avenionensem prælatum de hac simoniæ materia respondit, et dubia quibus viri conscientia agitabatur excussit. (Ms. in Bibl. Nat. Paris., 2692.)

(2) In opp. Gersonii, *loc. cit.*, col. 910. — Cf. Hefele, *Oratio Petri de Pulka coram concilio*, t. XI, p. 8 (6 sept. 1416).

(3) *Ibid.* — Cf. *Capita agendorum*, apud Von der Hardt, t. I, col. 513.

(4) *Ibid.* — Cf. superius dicta, p. 64.

(5) *Ibid.*

(6) Circa monasteriorum numerum eadem postulata ab Italiæ episcopis Concilio Trid. missa fuerunt. Cf. *Analecta juris pontificii*, XCI, col. 971. Quibus petitionibus non indocilem aurem præbuit synodus. Cf. sess. XXV, c. III. — Cf. etiam Tschackert, *loc. cit.*, p. 272, nota.

quæstuariorum prædicantium, sive religiosorum sæcularium, quoniam suis mendaciis maculant Ecclesiam et eam irrisibilem reddunt et officium prædicationis maxime honorandum contemptibile efficiunt (1). »

« Ne monachi claustra sua deserant nisi ratione theologici studii ; ne reditus ex bonis injustitia acquisitis a principibus sibi procurent, ne jura prælatorum, ecclesiarum et sacerdotum parochialium indebite occupent, sive in decimis, sive in aliis proventibus ecclesiasticis ; et demum ne se mediis injustis subducant ab ordinariorum subjectione (2). »

« Circa claustra Monialium quæ jam, proh! dolor, ultra quam dicere audeam, dehonestata sunt, esset correctio adhibenda (3). Et inter alias provisiones, hoc videretur, expediens ut nulla religio mulierum sustineretur, nisi tales haberent reditus unde possent sufficienter sustentari in suis domibus reclusæ sine mendicitate et discursu (4). »

5. — Capite sequenti reformationem sæcularium clericorum aggreditur :

« Providendum est ut in ecclesiasticis beneficiis, juxta eorum eminentias, ponantur personæ bene meritæ, ut non præferantur fatui et ignari scientificis et sapientibus, nec juvenes senibus, nec extranei et alieni eis qui de regione sunt..., nec potentes et nobiles pueri clericis probatis, nec advocati Sacræ Scripturæ doctoribus.... Non possint ordinarii dignitates et beneficia majora conferre nisi doctoribus in theologia vel in jure... Quæ si ita essent, digni promoverentur, multi nobiles et ingeniosi ad studium litterarum provocaren-

(1) In opp. Gersonii, t. II, col. 911. — Cf. *Conc. Trid.*, sess. V, *De Reform.*, c. II.

(2) In opp. Gersonii, col. 912. — Cf. *Conc. Trid.*, sess. VI, *De Reform.*, c. III ; sess. VII, c. XIV ; — *Statuta generalia*, Von der Hardt, t. I, coll. 620 et 621 ; — *De corrupto Ecclesiæ statu*, c. XXI et seqq.

(3) In opp. Gersonii, t. II, col. 912. — Cf. ipsum Gersonium, t. II, coll. 109 et 175.

(4) Cf. Synodi Const. Decretales de reformatione ecclesiastici status, a quodam innominato Germaniæ theologo probabiliter scriptas, apud Von der Hardt, t. I, coll 703 et seqq. — Cf. etiam *Conc. Trid.*, sess. XXV, *De Reform.*, c. V ; et postulata episcoporum Italiæ, in eodem Concilio, apud *Analecta juris pontificii, loc. cit.*, coll. 971 et 991.

tur, Universitates Studiorum florerent, et, quod valde optandum est, importunæ et violentæ preces dominorum temporalium pro indignis cessarent (1). »

De Studiorum Universitatibus, ut eum decebat, potissime curat Cameracensis Cardinalis. Expostulat ut eis invigilent docti prælati, enixeque flagitat :

« Ut gradus distribuantur dignis, sine favore aut acceptione personarum et cum rigore examinis in scientia et moribus ; ut doctrinæ utiles, resecatis superfluis et minus utilibus, legantur; et ut institutores rhetoricæ et linguarum græcæ et latinæ habeantur. »

De ecclesiasticorum vita plura addit, et fœda quorumdam damnaverat vitia, quæ jam in diœcesanis synodis rursum increpat (2). Clericorum multitudini et ignorantiæ obviandum esse asserit. De libellis populi usui destinatis, de theologiæ lectoribus qui in ecclesiis cathedralibus *Sententias* doceant vota profert, rogatque ut saltem in metropolitanis ecclesiis librariæ theologiæ dogmaticæ et moralis simul atque juris canonici instituantur; petit insuper ut subditorum correctio per appellationes non impediatur.

6. — Ultimo capitulo de laicorum ac præsertim regum et principum reformatione agit. Bona exempla isti præstent; reprimatur ars magica; fides exaltetur; justitia promoveatur. Agendi demum rationem erga Saracenos et Judæos, erga etiam principes et generalia concilia statuit, sicque opusculo finem imponit (3).

Eo non semel protestantes abusi sunt, ut Ecclesiam impeterent, et impiæ suæ reformationis necessitatem evincerent.

(1) In opp. Gersonii, col. 913.

(2) *Ibid.* — Cf. *Statuta generalia,* apud Von der Hardt, t. I, col. 635; et postulata a Gallis Concilio Trid. missa. (*Analecta juris pontificii,* XCIII, coll. 66 et 70.)

(3) In opp. Gersonii, coll. 915 et 916.

At perperam omnino. Esto enim tunc temporis plurima undique grassantia fuisse mala, in ipsa nihilominus Ecclesia manebant justæ reformationis cura et ardens studium procurandi aptissima vulneribus omnibus remedia. Ad jus antiquum et commune, uti pluries dixit Alliacenus (1), redeundum erat, quod cæteroquin Tridentinum concilium postea perfecit. Ideo non in rebellione et per rebellionem, sed in ipso jure et per ipsum jus reformatio erat pertractanda, et gloria Alliaceni in eo apprime sita est quod istiusmodi remedia indicaverit. Sunt certe in ejus tractatibus menda; sed hæc repulit Tridentina synodus, alia libenter accipiens et in usum deducens. Cur ergo Protestantes istos Alliaceni libellos in suis *Fasciculis rerum expetendarum et fugiendarum* (2) vel in *Catalogis testium veritatis* (3) inseruerunt? Cur Occamum, Baconem, Lullum, Savonarolam (4), aliosque hujus generis commemorant et uti patres ac patronos reverentur, spretis Patribus Ecclesiæ despectisque Pontificum documentis? Cur adamant Ecclesiæ matris « squalores (5) » revelare, ac si istiusmodi maculæ rebellionem legitimam fecissent?

3. — Post *Capita agendorum* et ante *Tractatum super reformatione Ecclesiæ* (1 nov. 1416) scripsit Alliacenus (1 oct.) *Tractatum de potestate ecclesiastica*. Hunc libellum vitiis in dogmatica parte maculatum (6) fusius et pressius

(1) Cf. *Capita agendorum*, apud Von der Hardt, t. I, coll. 517, 522, 524 et passim.

(2) Cf. Orthuinum Gratium, *Fasciculus rerum expetendarum et fugiendarum*. Lond. 1690, curante Ed. Brown.

(3) Cf. Flacium Illyricum, *Catalogus testium veritatis* (Lugd. 1597).

(4) Cf. Goldast, Goulard et plures alios Protestantium hæresi addictos; eos imitati sunt Jansenistæ et omnes, quotquot sunt, Gallicani.

(5) *De squaloribus Ecclesiæ Romanæ*, (Nic. Bryling).

(6) Cf. L. Tosti, *Storia del Concilio di Costanza*, t. II, *Conchiusione*, pp. 210 et seqq.

examinandi mens nobis est. Dicere sufficiat eum esse tripartitum, cujus prima pars est de origine potestatis ecclesiasticæ, altera de jure ministrorum Ecclesiæ in ecclesiastica bona, tertia de papalis potestatis plenitudine et nihilominus de ejus subditione relate ad judicia concilii generalis; quæ omnia respondent objectionibus adversariorum Cameracensis cardinalis, et nominatim Antiocheni Patriarchæ.

4. — Id Joannes depositio fecit ut vix ante mensem julium anni 1415 designata sit commissio quæ arduam reformationis quæstionem pertractaret. Tres cardinales et triginta duo Patres electi sunt qui *Generalia Statuta* ediderunt. Quantus fuerit Alliaceni in eos influxus e sola textuum inspectione patet. Opiniones ejus admittuntur fere omnes, et amplificantur. Medium iter tenetur inter Lutheranorum antecessores, Theodoricum de Niem ejusque sequaces, et eos prælatos, Italos præsertim (1), qui nullam aut fere nullam correctionem volebant.

Ex Gregorii renuntiatione et Benedicti depositione, reformatio dilationem rursum passa est (2). Plures oratores moras deplorarunt sed frustra. Post Hispanorum adjunctionem nova reformatoria commissio, curante Sigismundo (3), electa fuit (aug. 1417), quæ viginti quinque membra complectebatur, quæque nonnulla reformationis capitula denuo proposuit (4). Sed brevi dissidia efferbuerunt. De Ecclesiæ capite præsertim quæstio agitabatur. Dum plurimi cum Alliaceno catholicæ societatis constitutionem sic immutare intendebant, ut absolutam ejus monarchiam aris-

(1) Cf. Hefele, *Histoire des Conciles*, t. XI, p. 20, et Walch, *Monimenta*, t. I, 4, p. III.

(2) Hefele, *loc. cit.*, p. 36.

(3) Cf. Von der Hardt, t. IV, p. 1395.

(4) Von der Hardt, t. I, coll. 650 et seqq.

tocratia quadam temperarent per frequentiorem conciliorum convocationem (1), alii e contra antiquum ecclesiastici regiminis morem prosequendum esse censebant ita ut Papam quasi absolutum monarcham prorsus servarent. Aliqui etiam, ad extrema progredientes, cardinalium collegium aboleri cupiebant, dum Alliacenus illud tantummodo reformari proponebat (2), liberalismo cuidam moderato ita favere visus.

Nova porro exorta est dissensio quia Sigismundus cum suis Germanis reformationem ante Papæ electionem perficere intendebat, dum Cameracensis cum aliis cardinalibus et tribus nationibus (hispanica scilicet, italica et gallicana) reformationem pontificali electioni præmittendam esse putaret (3). Sententiam magna vi et eloquentia propalavit in panegyrica oratione jam commemorata (4) de S. Ludovico Tolosano (aug. 1417). Quum fortiter renuissent Germani eorumque fautores, quumque per tres menses electionem novi Pontificis pertinaciter distulissent, denuo protestati sunt cardinales cum prædictis nationibus (11 sept. 1417) contra eos qui reformationem petebant :

« Quæ causa nulla est, quoniam et fieri reformationem dictæ tres nationes et cardinales volunt et cupiunt, prout jam ad hoc suos cum cæteris nationibus deputatos dederunt, qui ad hoc agunt. Et illis agentibus potest etiam eodem tempore agi de modo electionis Summi Pontificis, prout eidem nationi (germanicæ) sæpe expositum et petitum. Præterea si reformatio fienda est de deformatis, quæ major est aut esse potest in corpore deformitas quam carere capite et acephalum esse ? Illa igitur

(1) In opp. Gersonii, t. II, col. 945.

(2) Von der Hardt, t. I, col. 418. — In opp. Gersonii, t. II, col. 907. — Hubler, *La Réforme de Constance*, 1867, p. 73.

(3) Mansi, t. XXVII, col. 1150. — Hardouin, t. VIII, p. 847. — Von der Hardt, t. I, col. 916.

(4) *Tractatus et Sermones*. — Cf. Von der Hardt, t. IV, p. 1400.

prior tanquam magis necessaria debet esse reformatio quæ corpus ipsum ad caput reformet et informet (1). »

His tandem permoti, Sigismundus et Patres in ejus castris militantes manus victas dederunt. Priusquam tamen eligeretur novus Pontifex, decreta quinque reformatoria edita sunt : 1um de celebratione generalium conciliorum a decennio in decennium, 2um de congregatione immediata synodi, si schisma oriri contingeret ita quod duo vel plures pro Summis Pontificibus se gererent ; 3um de professione quam publice facturus erat quilibet in Romanum Pontificem eligendus, 4um de translatione episcoporum sine magna et rationabili causa non facienda ; 5um de quibusdam exactionibus impediendis (2). Plura insuper reformationis capita proposita sunt post electionem Pontificis et ante synodi dissolutionem agitanda, præsertim de annatis, collatione beneficiorum, exemptionibus, commendis et dispensationibus.

VIII

1. — Martinus V jam electus sed nondum sacerdotio initiatus, cancellariæ suæ regulas omnes determinavit, sicque proprio motu quæstiones a nationibus propositas solvit, præcipue de majorum dignitatum collationibus, de exspectativis, de dispensationibus, quæ tamen decreta sequenti tantum anno publicata sunt (3).

Pergebant igitur disceptare Patres de reformatione, diversa

(1) Von der Hardt, t. I, p. 919.
(2) Hubler, *loc. cit.*, pp. 33 et seqq. — Hefele, *loc. cit.*, pp. 41 et seqq.
(3) Von der Hardt, t. I, pp. 965-991. — Hefele, *loc. cit.*, p. 52.

immo et adversa cogitantes (1). Unde Summus Pontifex duplex decretorum genus instituit, prius de punctis in quibus omnes consentiebant, posterius autem de peculiaribus cum unaquaque natione concordatis, et die 21 martii 1418, sessione XLIII, G. Philaster Sancti Marci cardinalis, septem legit generalia reformationis decreta de exemptionibus, de unionibus et fructibus percipiendis, de simonia et dispensationibus, de decimis et aliis oneribus ecclesiasticis, postremo de vita et honestate clericorum (2). Paulo post, concordata cum Germanis et Anglis sancita fuerunt; pro tribus latinis nationibus identica concordata Pontifex concessit quæ tamen Galliæ Parlamentum non recepit (3).

2. — *Capita agendorum* scribens, pro omnimoda annatarum cessatione censuerat Alliacenus, eo quod « per illas destruerentur ecclesiæ et monasteria et sequerentur animarum pericula, quia communiter prælatus excommunicaretur per illas (4). » At in concilio, quum vidit penuriam Pontificis temporali dominio fere universo tunc orbati, quumque digito quasi tetigisset illum aliter subsistere non posse, annatarum systema, uti necessarium quoddam malum, tolerandum esse judicavit, donec aliter Ecclesiæ necessitatibus provideretur (5); annatas etiam cardinalibus non denegavit. Etenim :

« Status sacri collegii dominorum cardinalium, quemadmodum status Summi Pontificis, fundatur in ecclesiastica hierarchia sub cælesti, immediate a Christo, nec humana institutione

(1) Petrus de Pulka, *Archiv. fuer Kunde oesterr. Gesch.*, t. XV, p. 57.

(2) Von der Hardt, t. IV, coll. 1533-1541. — Mansi, t. XXVII, pp. 1174-1177. — Hardouin, t. VIII, pp. 873-877. — Hefele, *loc. cit.*, p. 84.

(3) Hefele, *ibid.*, p. 100.

(4) *Capita agendorum*, apud Von der Hardt, t. I, col. 518. — Cf. postulata ab episcopis Galliæ synodo Tridentinæ proposita. *Analecta juris pontificii*, XCIII, col. 61.

(5) In opp. Gersonii, t. II, col. 948.

seu præsumptione potest destitui; cui statui qui pertinaciter derogat, censendus est juxta sacros canones hæreticus atque sacrilegus (1). Propterea iste status est dotandus et fovendus..., nec perdit jura sibi convenientia si forsan fuerint abusus aliqui personales..., et dum recipit et quærit subventiones consuetas in oblationibus, decimis et annatis, non debet eo ipso de simoniaca pravitate notari.... Facientes contra præmissa manifeste obviant institutionibus Regis Franciæ, Ecclesiæ Gallicanæ et Universitatis Parisiensis (2).... Ideo erronea, scandalosa et periculosa est una conclusio quam in materia simoniæ proposuit prælatus et doctor, videlicet quod solutio vacantiarum... est pure simoniaca (3). »

Etsi Petri opinio de cardinalium origine non sit theologice vera, conclusiones tamen jure fundantur et necessitati temporum accommodantur. Has proinde concordata cum Germanis et Latinis sanxerunt pro quinquennio (4).

Quærebatur etiam de exspectativis, id est de jure ad beneficium nondum vacans, a superioribus ecclesiasticis collato pro vacationis tempore; quæ res magnos induxerat abusus (5), quos Alliacenus sic ante Concilium sanari optaverat :

« De exspectativis detur modus per quem valeant, ita tamen ut non exhauriantur ordinariorum collatorum et præsentatorum seu electorum potestates; puta ut non valeat exspectativa de beneficio quod est solum unum collatori, ne privetur uno lumine (6). »

(1) *Ibid.*, t. II, col. 947. — Cf. apocryphum opusculum sæpissime sed perperam tributum Clamengio *De corrupto Ecclesiæ statu*, c. VII, et aliud *de Annatis non solvendis*. Inter ejus opera (edit. Lydii), p. 82. — Alliaceni opinio in eorum altero commemoratur.

(2) In opp. Gersonii, col. 947 et seqq.

(3) *Ibid.*, col. 948.

(4) Von der Hardt, t. I, col. 1062.— Mansi, t. XXVII, p. 1191.— Hardouin, t. VIII, p. 890.

(5) *Capita agendorum*, apud Von der Hardt, t. I, col. 523. — *De corrupto Ecclesiæ statu*, c, VI.

(6) *Ibid.* — Cf. dissert. Schmidt: *De eo quod circa exspectativas ad canonicatus observantiis Germaniæ justum sit*, apud Mayer, *Thes. juris eccles.*, t. I, p. 249 et seqq.

De jure suo aliquid circa eas cessit Martinus, illæque tandem in conciliis Basileensi (1) et Tridentino (2) sunt omnino suppressæ. Alliacenus autem non ambigebat « ordinationes majorum et electivarum dignitatum, et collationes aliorum beneficiorum Summo Pontifici reservari » sed abusus tollendos et excessus restringendos fore unice exoptabat (3).

3. — Obstabant autem plurimum dissentiones nationum, et præsertim illud immane bellum quo recenter Galli ab Anglis devicti fuerant Azincurti (26 oct. 1415). Odium etiam exinde magis exarsit quod Alliacenus, anno sequenti, in suo tractatu *de potestate ecclesiastica* (1 oct. 1416), scripserat, nempe :

« Anglicanam nationem facere non debere quartam partem totius Ecclesiæ militantis in generali concilio, sed reducendam ad Germanicam, ut quatuor nationes tantum semper essent in concilio (4). »

Ulterius, quum Arragones concilio interesse cœperunt, novæ exortæ sunt discordiæ cum Anglis de suprematia. Galli publice de eis conquesti sunt, (5 nov.) ; at ex parte Anglorum :

« Factus fuit magnus strepitus in ecclesia et tumultuosæ percussiones contra postes et parietes claudentes locum sessionis per Anglicos, ne audirentur proponentes ; credentes quod esset protestatio prædicta facienda pro interesse Regis Franciæ contra nationem anglicanam (5). »

Extrema tunc expertus est Petrus noster : nam, ut ipse

(1) *Conc. Basil.*, sess. XXXI, *Decretum de collatione beneficiorum.*

(2) *Conc. Trid.*, sess. XXIV, *De Reform.*, c. 19. — Cf. postulata ad ipsum Concilium a Bartholomæo de Martyribus proposita, *Analecta juris pontificii*, XCI, coll. 975 et 978.

(3) In opp. Gersonii, t. II, col. 945.

(4) *Ibid*, coll. 940 et 941. — Item, t. V, col. 692, *Responsiones cardinalis Cameracensis*, et apud Von der Hardt, t. V, p. 53.

(5) *Ibid.*, t. V, col. 694.

aliquibus nationum deputatis enarravit, « plures Anglici, contra prohibitiones publice per villam incesserunt cum armis,... convenerunt contra Gallicos, specialiter contra eumdem dominum cardinalem Cameracensem et Ambassiatores Regis (1). » Petivit Alliacenus ut provideretur ne denuo mortem minarentur, securitatem concilii perturbarent, hujusque decisionum auctoritatem enervarent. Immo 3ª martii 1417, Gallica natio Anglos solemniter confutare sategit, utpote qui post Hispanorum adventum quintam nationem in synodo constituere, et quamvis perpauci tantam potestatem quantam ipsi Galli usurpare vellent (2). Die 21ª martii, rursum hac de re dixit Cameracensis in oratione quadragesimali :

« Nihil loquimur, nisi sola veritate coacti, ad honorem christianissimi Regis Francorum,... postremo ad honorem Almæ Matris Universitatis Parisiensis et specialiter theologicæ Facultatis. Horum enim omnium honor et reverentia hic multum tangitur, et multo plus quam plures existimant, et jam hujusmodi eorum honor multum læditur et amplius lædetur (3). »

Ultima die martii, Angli jus suum vindicarunt, et Cameracensem eo præsertim increpuerunt quia « plures dissensionum, divisionumque materias, concilio generali nocivas et turbativas..., præsertim contra nationem inclytam Anglicanam (4), » injecisset. Hæc demum vicit, favente Sigismundo, et res mitigatæ sunt ; sed, in hac causa sicut et in pluribus aliis debuit Alliacenus dimicare contra Imperatorem, nationibus latinis minus æquo faventem.

Mense eodem martio exhortationem ad Patres in ecclesia Sancti Pauli habuit, de magnis kalendarii erroribus corri-

(1) *Ibid.*

(2) Apud Von der Hardt, t. V, p. 56 et seqq.

(3) *Tractatus et Sermones. — Sermo Dominicæ in medio Quadragesimæ*, circa finem.

(4) Von der Hardt, t. V, col. 77.

gendis. Jam pridem tractatum hac de materia conscripserat, et Joanni XXIII, obtulerat, anno 1412, in synodo Romana. Duobus tantummodo postea sæculis, negotium illud intricatissimum ad optatum finem pervenit (1).

4. — In ultimis sessionibus (XLIV et XLV, 19 et 22 aprilis 1418), tempus et locus futuri concilii pro reformatione Ecclesiæ celebrandi statuta sunt. Constantiense concilium, etsi non omne tulerit punctum, etsi sæpius discordiis et humanis motibus perturbatum fuerit, pacem tamen Ecclesiæ reddidit, et unicum pastorem loco trium contendentium feliciter restituit. Mortuis quippe Gregorio XII et Joanne XXIII, et Benedicto XIII pervicaci homine ab omnibus derelicto, solus super universalem Christi gregem regnavit Martinus V.

In his certe plurimam partem habuit Alliacenus, et licet nonnihil deliquerit, de Ecclesia tamen bene meritus est.

Auctoritatem, qua in synodo pollebat, ad mortem usque retinuit. Sic aliquando a Martino V rogatus de quæstione a Wratislaviensibus posita : *Utrum de censibus et redditibus aliquibus alienandis vel vendendis contractus sint liciti vel illiciti*, pro liceitate rescripsit Alliacenus cum Gersonio ; et conformis bulla, sequenti anno 1419, sex nonas Julii, episcopis Trevirensi, Lubicensi et Almitensi a Pontifice destinata est (2).

Legatus etiam tunc pro Martino V in Avenionensi comitatu exstitit, honore simul insignitus et dulci patriæ solo fruendi libertate donatus (3).

(1) Cf. caput IV hujus libri. — Cf. etiam *postulata* Concilio Trid. missa, *Analecta juris pontificii*, XCIII, col. 55.

(2) *Extrav. comm.*, l. III, tit. V, c. 4. Errat de anno Von der Hardt, *loc. cit.*, t. I, p. 479.

(3) Non tamen ad Cameracensem rediit ecclesiam, uti falso reputat Launoy. *Opp. omnia*, t. IV, p. 512.

IX

1. — Heu! quantis cladibus afflictam, quam immanibus cum Anglorum gentis præliis contritam Galliam vidit! Quanto dolore, quanta pietate, his Clamengii lamentationibus cor et vocem junxit :

« O regia gloriosa! O inclyta Franciæ domus! O lux et decus christianæ religionis! O felix hactenus patria, quæ singulariter nobilitata, viribus, armis, potentia, militia floruisti; doctrina præterea, litteris, studiis, sapientia claruisti, quæ te, quæso, in has tenebras præcipitavit insania. Quæ te tanta pressit cæcitas? Quis ita tuos devius error velavit oculos, ut sic in temetipsam desævires; te ipsam, more furiosi, tuis manibus discerperes, tuum lapsum, tuam ruinam, tuam inauditam vastitatem non timeres, non agnosceres, non perhorresceres? Super optimo rege tuo, satis superque alium de malis gravibus afflicto, super sua ingenuissima progenie, super impendente regni sui horrenda atque exitiali desolatione, nullo pietatis affectu, nulla omnino flecteris miseratione? Quis gorgoneus aspectus tuum molle ac pium pectus in hanc saxeam transformavit duritiem (1)? »

Carolus rex, insania furens et extrema fractus senectute, Anglos simul ac Burgundos sibi infensos habebat suique dominii usurpatores. Civilia ubique flagrantia bella, ubique incendia, direptiones et scelera omnia quæ publicas perturbationes comitari solent. Anno 1418, Burgundi Parisiensem civitatem occuparunt, Carolus victas dedit manus (2); Universitatis Rector ea quæ adversus Joannen Parvum patrarat

(1) *Epist. XLIII ad Joannem Gersonium,* (edit. Lydii), p. 179. — *Ibid.*, p. 154.

(2) Cf. *Ordonnances des rois de France,* t. X, p. 485, (6 oct. 1418).

recantare jussus est (1); J. Breviscoxa maluit Parisiensem episcopatum ad quem electus fuerat abnuere, quam hostili imperio subesse; et mala adeo profecerunt ut capitale esset Navarrici gymnasii sodalem se declarare. Joannes de Monsterolio, Guntherius Colli (2), aliique cardinalis Cameracensis familiarissimi gladio trucidati sunt; quos deplorans funebri rhythmo canebat fidelis Gersonius :

O quot theologi, quot pontifices periere,
Carcere quos clausos dira necat rabies (3)!

Navarræ Collegium cum universo Parisiensi Studio acerbas passum est persecutiones (4); ideoque mœstum canticum edebat Gersonius a Burgundis tunc lacessitus et Lugduni exulans sub Delphini sceptro (5) :

Palladis templum, domus, arx, asylum,
Gaudium vestrum (*Angelorum*), decor omnis orbis,
Corruerunt a scelerum ministris :
Pallada flete.

Ecce fons rivis Helicon cruentis
Manat, hinc sacræ fugiunt volatu
Præpeti Musæ, resonantque tristes :
Pallada flete....

Te quis o te, collegium celebre,
Par habens nullum, phronesi sacratum,
Aspicit, qui non miserando dicat :
Pallada flete....

Canones, Artes, medicansque Physis,
Et Sophia vultus lacrymis rigate;
Deperit vobis studiosa turba:
Pallada flete....

(1) Cf. Bulæum, *Hist. Univ. Paris.*, t. V, p. 352.

(2) Cf. A. Thomam, *De Joanne de Monsterolio vita et operibus*, p. 83.

(3) In opp. Gersonii, t. IV, col. 527.

(4) Launoy, *Opera omnia*, t. IV, *Regii Navarræ Gymn. Paris. Historia*, pp. 350 et 351.

(5) R. Thomassy, *Jean Gerson et le grand schisme d'Occident*, 2e édit., p. 284. — L'Ecuy, *Essai sur la vie de Jean Gerson*, t. II, p. 242.

Regii sceptri, rogitamus, hæres,
Clare Delphine, repares ruinas
Hosticæ cladis, miseris vel odis :
Pallada flete (1).

Etsi multa de ultimis Alliaceni annis incerta remaneant et ex indiciis tantummodo conjici possint, non dubitandum tamen est ipsum carissimo Gersonio assensisse quocum, Avenione degens, familiaritatis et epistolarum commercia servare poterat facilius.

Eo etiam tempore astrologica sua studia resumpsit. Scripserat quippe Gersonius anno 1416 *Trilogium astrologiæ theologizatæ* (2) : ad eum misit Cardinalis apologiam astrologiæ (3), ipsi dicatam. Respondit Gersonius :

« Sicut non omni spiritui credendum, sic nec omni profitenti se astronomum esse, seu astronomica judicia proferenti; sed diligenter examinandi sunt tales et eorum judicia. Qui si examen et judicium sapientium refugiunt, tanquam vehementer suspecti a prælatis et principibus repellendi sunt (4).

Rescripsit Alliacenus, anno 1419 :

« Ad tale examen vel judicium non omnes passim qui populariter sapientes vocantur admittendi sunt, sed qui sciunt et volunt sapienter decernere inter veram astronomiam et superstitiosam magicam; quod facere nequeunt qui theologiam et philosophiam pariter et astronomiam veram prorsus ignorant, vel si quid in eis sapiant, non tamen eas quantum fas honorant. Sed de iis alias latius conferre poterimus. Intendo Domino Regenti (5) scribere ut caveat a talibus superstitionibus, ad quod motus sum ego ex iis quæ nuper audivi. Opto ut in hac scriptura vos et ego pariter concurramus. Ideo rogo ut modum scribendi vitare (?) velitis, habita collatione cum magistro

(1) In opp. Gersonii, t. IV, p. 786.

(2) *Ibid.*, t. I, col. 189.

(3) Ms. in Bibl. nat. Paris., 2692, fº 145 ad 147.

(4) Ita Gersonii epistolam coarctat ipse Alliacenus in litteris ad eum missis. In opp. Gersonii, t. I, col. 226.

(5) Delphinus nempe qui postea fuit Carolus VII, die 24 jun. 1418, titulum Regentis usurpaverat.

G. Macheto (4), cui recommandari cupio, rogans ut vos et ipse me recommendetis D. archiepiscopo Lugdunensi (6); supplicando ut velit mihi providere de aliquo loco ubi possim habitare quum Dominus Regens venerit, a quo nuper litteras recepi, consolatus valde quod super morte carorum virorum tam constanter ac fideliter consolationem dederis et acceperis prout ex metris vestris cognovi (1). »

Hæc sunt novissima Alliaceni verba, et ultimum quod ab eo supersit documentum. Minuebantur quidem ei vires et potestas succurrendi ut antea malis Ecclesiæ et Galliæ. Stabat tamen, ejusque sola præsentia bonis omnibus consolationem atque spem firmam præbebat, sicuti testatur Gersonius isto dialogo quem inter Advenam et Monicum fingebat :

ADVENA.

Eheu, perurgent, Monice, Monice,
Anni nefasti, sanguinei et necis
Civilis ensis cuilibet imminet,
Qui juste vivit vera vel edocet.

MONICUS.

Non prorsus omnes mors tulit effera :
Petrus superstes, quem sapientia
Totum replevit. Cardo dedit sibi
Nomen statumque. Sufficit unicus
Carmen melodum cui resonet tuum.

Suprema tamen venit dies, Petrusque ille noster obiit Avenione (2), octavo nonas augusti, anno 1420 (3).

(4) Sodalis erat Navarricus tunc Lugduni degens ubi erat a Delphini confessionibus. Obiit anno 1448.

(6) Gulielmo de Talaru qui concilio Constantiensi cum Alliaceno adfuit, quique ad solium archiepiscopale Lugdunense anno 1415 evectus est. — Cf. *Galliam Christianam*, t. IV, p. 175.

(1) In opp. Gersonii, t. I, col. 226.

(2) Alii cum Fabricio (*Notæ* in Trithemium, 169) Alliacenum *Cameraci* decessisse autumarunt; alii cum Von der Hardt, (*loc. cit.*, p. 480), *Avesnis in Hannonia*; alii vero *in Germania inferiori*, (D. Grenier, *Analecta juris pontificii, loc. cit.*, p. 904); cf. Launoy, *loc. cit.*, p. 352. Plures tamen nobiscum *Avenionem* dixerunt. — Errat certe *Gallia Christiana* quum affirmat, (t. I, p. 780) Alliacenum Arausicanam diœcesim administrasse ab anno 1417 ad annum 1422; mendum est in hoc ultimo numero.

(3) Cf. appendicem III huic libro adnexam.

Duplex porro testamentum ejus fuit, unum speciale pro Navarrica domo, alterum generale pro familia, ecclesia et pauperibus. Navarræ missam perpetuam instituit, quæ « missa benefactorum collegii » vocata est, quam alternis vicibus a capellanis celebrare voluit, non tantum pro seipso, sed etiam pro animabus regis et ducis Aurelianensis. Finita missa, psalmus *De Profundis* cantandus erat, et hac occasione capellani tres solidos parisienses, clerici vero duodecim denarios accipiebant. Constituit pariter quatuor solemnes missas funebres celebrandas post quatuor cujusque anni tempora. Curaverat autem adhuc vivens ut indulgentiæ ab Episcopo Parisiensi concederentur omnibus qui spiritualia hæc officia peragerent (1). In gratiam antiquioris baccalarii Sententias legentis et antiquioris baccalarii formati duos parisienses solidos largitus est; eadem pecunia unum doctorem Collegii Artistarum donavit. Pro iis oneribus certos et perpetuos reliquit redditus, quorum excessum, si quis foret, pro Collegii libraria, simul ac pro ornamentis et luminariis cappellæ assignavit. At exardescentibus undique bellis, major reddituum pars amissa est, ita ut testamenti executores paulo post (18 apr. 1429) decreverint collegium pro ratione tantum fructuum realiter perceptorum ad illa officia teneri (2).

Altero testamento jubet Petrus corpus suum Cameraci humari, quod revera factum est die 6 augusti, anno 1422, in Ecclesia cathedrali, pone majus altare; trecentas vero missas statim pro se, pro parentibus et benefactoribus celebrari decernit ipso loco dormitionis suæ.

Orat autem ut solemnes exsequiæ ei concedantur in eccle-

(1) Bibl. Nat. Paris. Ms. D. Gillesson, (Ms. fr. 19842, fº 361). Hanc notitiam a R. D. Morel parocho in Chevrières accepi.

(2) Textus invenitur apud Launoy, *Opp. omnia* t. IV, *Regii Nav. Gymn. Paris. Historia*, p. 532.

siis Parisiensi, Suessionensi, Noviomensi, et in sacra regalis palatii Cappella. Item mandat fieri in diversis Compendiensis urbis ecclesiis, in sacello Regalis Loci (Royal-lieu) prope Compendium, et in omnibus ecclesiis Cameraci. Varia legata in favorem commensalium, consanguineorum, pauperum Cameraci et Compendii condit, neque nosocomiorum, leprosiarum et ecclesiarum obliviscitur; vult tamen « quod de libris et tractatibus quos edidit taliter disponatur ut valeant publicari (1). » Residua sua bona in tres partes dividit, quarum prima fundationi anniversariorum in diversis locis (2) inserviet, secunda pauperibus puellis præsertim de familia sua dotandis, tertia autem relinquitur (3) hæredibus suis et testamenti executoribus (4).

3. — In sacello Navarricæ domus, cujus Petrus ab Alliaco fundator alter æstimatus est, positum est marmor imaginem ejus purpura cardinalitia induti referens simulque ejus beneficia hoc epigrammate testans : « MEMORIÆ REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS DOMINI PETRI DE ALLIACO, TITULI QUONDAM S. CHRYSOGONI CARDINALIS PRESBYTERI, CAMERACENSIS EPISCOPI, HUJUS PRIDEM DOMUS PRÆCEPTORIS SEU MAGISTRI AC BENEFACTORIS AMPLISSIMI, CUJUS GESTA ATQUE LEGATA IN LITTERIS SUPER HIS CONFECTIS ATQUE TABELLIS SUPPOSITIS CONTINENTUR (5). »

(1) Dolent Von der Hardt, (*Rerum Conc. œcum. Constant.* t. I, p. 485) et doctissimus L. Moreri (*Dict. Hist.*, 8ᵃ edit., 1698), Alliaceni opera non esse coadunata et eorum plura in pulvere bibliothecarum semisepulta adhuc jacere. Utinam ultimo Alliaceni morientis voto sæculum nostrum obsecundet!

(2) Ecclesiæ Aniciensis legavit 400 multones aureos qui soluti sunt die 19 aug. 1421. Cf. *Galliam christianam,* t. II, col. 730.

(3) Istud testamentum in Bibl. reginæ Christinæ Romæ latitans, (n. 1694, fº 165), nuper ediderunt *Analecta juris pontificii*, oct. 1876, col. 913.

(4) Executores fuerunt Radulphus Presbyteri, Petrus Presbyteri, Nicolaus Labende, Michael Le Charron, Joannes Calvi, Petrus Berbiette, Petrus Politte et Arnulphus Logier.

(5) Cf. Launoy, *Opp. omnia*, t. IV, *Regii Navarræ Gymn. Paris. Historia*, p. 355. — Von der Hardt, *loc. cit.*, t. I, p. 480.

Leonini et obscuriores versus adjecti sunt isti, cum *symbolo* quo ipse Cardinalis utebatur : « *Veritas vincit.* »

Funera quæ captat, hinc felix, urbs Cameraci!
Munera contrectat ejus venerandi Alliaci
Hæc Domus; in qua auctus et tanto est schemate fultus,
Ut Studii clarus claros superaret; adeptus
Ecclesiæ gradibus apicem, usque ad cardinalatus.
Queis non ingratus larga attulit, ut legis intus,
Exemplo exemplum dans, ædem augereque templum.
Quem jam cum sanctis ideo, Deus, adjice cœlis.

Amen.

Qui legis, hic claude, discedens claudere gaude :
Quo sis continuo, stem quoque perpetuo.

Veritas vincit (1).

Compendii in ecclesia Sancti Antonii ubi baptisma susceperat, effigies ejus inter parentes stantis et cardinalitio habitu decorati posita est. Monumentum injuria temporum solo æquatum, restituerunt ante paucos annos viri, tum pietate et scientia, tum civitatis amore, conspicui (2).

Haud minori zelo Cameracenses sui præsulis memoriam servarunt. Duo enim epitaphia ei dicarunt quorum prius hujusmodi erat :

MAGISTER PETRUS DE ALLIACO, DOCTOR THEOLOGUS, APUD COMPENDIUM HUMILI LOCO NATUS, PER VARIOS GRADUS CONSCENDENS, PRIMUM PARISIENSIS ACADEMIÆ CANCELLARIUS, ET JOHANNIS GERSON SIMILITER CANCELLARII MAGISTER; ITEM CAPPELLÆ PALATII REGII THESAURARIUS, DEINDE CAMERACENSIS ECCLESIÆ MAJOR ARCHIDIACONUS FACTUS EST, ET SUSCEPTUS XXVII MAII MCCCXCI; MOXQUE A PONTIFICE MAXIMO BENEDICTO XIII AD ANICIENSEM

(1) Cf. Launoy, *loc. cit.*, p. 355. — Von der Hardt, *loc. cit.*, p. 481. — Duobus ultimis versibus nimium perplexis sed ætati apprime consonis monetur lector ut hanc *clausulam* epigrammati subjungat: « Oro, o Alliacene, te continuo fore in cœlis et me quoque ibi perpetuo mansurum. »

(2) Inter eos eminet R. D. Lecot, olim Sancti Antonii parochus, nunc vero Divionensis Antistes designatus.

EPISCOPATUM PROMOTUS, ET POST SESQUIANNUM AD CAMERACENSEM ECCLESIAM JAM SEPTEM MENSIBUS AB ANDREÆ DE LUXEMBURGO DECESSU VACANTEM TRANSLATUS, INITIO MENSIS (1) ANNO MCCCXCVII (2) ABSENS PER PROCURATORES POSSESSIONEM ADEPTUS. IPSE SEQUENTI MENSE AUGUSTO AD EAM VENIT, ILLIQUE PRÆFUIT ANNIS FERE XIV. DEMUM A JOHANNE XXIII, PONTIFICE MAXIMO, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ PRESBYTER CARDINALIS TITULI S. CHRYSOGONI CREATUS EST, MENSE MAIO MCCCCXI (3). IN GERMANIA INFERIORI PRO SEDE APOSTOLICA LEGATIONE FUNGENS MORITUR X OCTOB. MCCCCXXV (4). EXUVIÆ CORPORIS SEQUENTI MENSE JULIO (5) CAMERACUM DEPORTANTUR RETRO MAJUS ALTARE, ET IBI CONDUNTUR (6).

Alterum Alliaceni epitaphium fuit tale :

Mors rapuit Petrum, petram subiit putre corpus :
Sed Petram Christum spiritus ipse petit.
Quisquis ades, precibus fer opem, semperque memento
Quod præter mores omnia morte cadant :
Nam quid amor regum, quid opes, quid gloria durent,
Aspicis : hæc aderant nunc mihi, nunc abeunt. (7)

Non tamen soli mores, solæ virtutes, morti eripiuntur. *Scripta manent,* uti fert vulgi proverbium ; manentque alia laudi sui auctoris et bono Ecclesiæ; manent alia opprobrio erroris et veritatis triumpho; illud utrumque ostendet nostri libri altera pars.

(1) *Junii.*

(2) Errat hujus epitaphii quisquis sit auctor: legendum est MCCCXCVI.

(3) Novum adversus historiam peccatum est: die sexta junii 1411 cardinalis creatus est Alliacenus.

(4) Triplex denuo mendum : nec in Germania e vivis ereptus est, nec anno 1425, nec die 10 octobris.

(5) Iterum fallitur auctor, nam sexta die mensis aug. 1422 depositum fuit cardinalis corpus in cathedrali ecclesia. (Cf. appendicem III, huic libro adnexam). Hoc epitaphium diu post Alliaceni mortem certe fuit lucubratum.

(6) Von der Hardt, *loc. cit.*, t. I, p. 481.

(7) Dinaux, *Notice hist. et litt.*, p. 86; — Von der Hardt, *loc. cit.*, p. 482.

PARS SECUNDA

Petri de Alliaco Doctrina

Petri opera, multa quidem nimis, — desiderantur enim sæpe in eis accuratior methodus et verior scientia, — istas ad classes reduci possunt : ipse ut philosophus primum et physicus, deinde ut theologus, tum privatus, tum publicus, et tandem ut orator, ut Scripturarum expositor, ut auctor asceticus et mysticus, spectari debet. Talem igitur ordinem secuti, Cameracensis doctrinas plurimis capitibus examinabimus.

CAPUT PRIMUM

Alliacenus psychologus atque ethicus

Non sine consilio ab operibus philosophicis incipimus. Sunt enim Petri nostri juveniles lucubrationes, dum Parisiis studeret. In iis etiam radices et jam incrementa quædam repperiuntur opinionum quas toto decursu vitæ defendit.

Non integram ejus philosophiæ summam hic quærat bene-

volus lector, sed specimina tantum graviorum et utiliorum rerum quas primum in psychologiæ ac ethices ambitu posteris reliquit.

I

Quum D. Thoma quæreretur quis esset optimus studendi modus, respondit : « Exercere se in uno Doctore præcipue. » Hoc adagium laudibus extollit Gersonius, simulque dolet quod proficuam hanc viam plures non prosequantur (1). Nonnulli quidem eo tempore magistrum unicum eligebant, sed magistrum erroris, uti Alliacenus Gulielmum Occam, quem *venerabilem inceptorem* plerique tunc vocabant. Quis ille fuerit, quo subtili ingenio inter Fratres Minores primum emicuerit, quibus circumstantiis adversus Summum Pontificem causam Ludovici Bavarici propugnaverit, historicorum est dicere. Suffecerit nobis commemorare eum *nominalismo* favisse, de regimine Ecclesiæ simul ac de principum potestate falsissima plura docuisse et nihilominus apud magistros Parisienses ante et post mortem plurimam auctoritatem habuisse. Jam superius notavimus Alliacenum adhuc alumnum vel juniorem baccalarium epitomen *Dialogorum* ejus conscripsisse (2). Singularis illius viri etsi non omnes opiniones tenuerit, ei tamen ardentiori et obsequenti nimis zelo adhæsit, unde tantam in scepticismum propensionem animo concepit. Revera, si universales conceptus nihil aliud sint quam mera absque fundamento in re nomina, si

(1) Cf. Gersonium, *Epistola Lugdunum missa cuidam Fratri Minori*, t. I, col. 117.

(2) *Abbrevatio dialogorum Occam*, Ms. in Bibl. nat., 14579, f. 88. — Cf. nostram primam partem, p. 10.

præterea cognitio rerum subjectiva tantum sit et non objectiva, omnis certitudo et scientia ruit, unde consequitur de omnibus immo et de ipsa d[illegible]one dubitatio (1). Ab isto tamen gurgite salvatur Alliac[illegible]us cum aliis Nominalibus multis per suam catholicam fidem; et severius quam par est illum increpavit recentior quidam philosophus eum in scepticismum et in sensualismum esse lapsum declarans (2).

Si nimium Occami placitis indulsit Petrus noster, antiquorum tamen auctoritati fere nihil in re philosophica concedit, licet in scientiarum physicarum provincia eos ardentiori studio prosequatur (3). De philosophis enim dicit :

« Pauca demonstraverunt evidenter ; multa etiam posuerunt sine magna probatione miscendo se opinionibus vulgi et legibus.... (4). Ante ortum philosophorum magnorum fuerunt patriarchæ, et cultus Dei fuit revelatus hominibus, et ideo philosophi hoc sciverunt et tamen quidam eum non coluerunt (5). »

Aristotelem ipsum non sine restrictione colit; et fatetur illum :

« In pluribus turpissime errasse et in aliquibus sibi ipsi contradixisse.... (6). In ejus doctrina nullæ vel paucæ sunt rationes evidenter demonstrativæ.... Ejus philosophia magis dici debet opinio quam scientia, et ideo valde sunt reprehen-

(1) Cf. postea, pp. 160 et seqq.

(2) « Il est facile de voir qu'encore que soumis à l'autorité de l'Eglise et à celle d'Aristote l'allure du nominalisme avait une liberté qui dut plus tard porter ses fruits. Qu'un prélat du XVe siècle ait pu être à moitié sceptique et presque sensualiste sans cesser d'être orthodoxe, c'est un fait qui constate une distinction singulière entre le philosophe et le théologien; distinction qu'il n'est pas facile d'admettre dans toutes les questions, mais qui fut, à plus d'une époque, une sauvegarde pour l'indépendance de la pensée. » — *Dictionnaire des sciences philosophiques de Franck*, art. *Ailly*, par H. Bouchitté, p. 18.

(3) Cf. infra caput III et IV.

(4) *In Sent.*, q. II, a. 2, f. LXV, verso.

(5) *Ibid.*

(6) *In Sent.*, q. XI, a. 1, f. CLVII, verso.

sibiles qui nimis tenaciter adhærent auctoritati Aristotelis (1)... De anima intellectiva humana, ac de his quæ tangunt sectas et religiones hominum, Aristoteles communiter obscure et ambigue loquitur.... (2). »

Si autem Senecam existimatione et honore majori honestare videatur, ratio illi non est ex philosophia desumpta, sed ex relationibus quas inter celebrem Stoïcum et Paulum apostolum exstitisse autumat (3).

Cæteros magni nominis scriptores tum paganos tum christianos, qua ingenii libertate sequatur aut deserat, ex inferius dicendis patebit.

II

Discipulus adhuc in Studio Parisiensi, suum *De Anima* tractatum composuit, non, ut ipse libenter fatetur, ad *provectorum eruditionem, sed ad sui ipsius instructionem, ex probabilioribus sapientum sententiis* (4), candide etiam postulans

(1) *In Sent.*, q. III, a. 3, f. LXXXIII, verso.

(2) *De anima*, c. VI.— Hinc patet quantum a veritate aberrent recentiores philosophastri et critici qui omnes medii ævi magistros ferrea Aristotelis virga contritos fuisse autumant, ita ut semper juraverint in verba magistri, et nulla cogitandi libertate fruiti sint nisi ut dicerent : *Magister dixit.*

(3) « Seneca, Paulum sequi cupiens, post eum clamitat, dicens : *O mi Paule charissime, optarem ejus esse loci apud meos, qualis tu es apud christianos!* » *Recommendatio Scripturæ*, in opp. Gersonii, t. I, p. 606; Item, *in Sermone de Sancto Dominico, Tractatus et Sermones.* — Alliacenum ex S. Hieronymo hunc textum deprompsisse probabile est. (*De script. ecclesiasticis*, XII). Hæc opinio de relationibus Paulum inter et Senecam inde a sæculo IV in Ecclesia viguit. Sed epistolæ quibus alludit Alliacenus evidenter apocryphæ sunt. Hac de re cf. de Maistre, *Soirées*, 8e entretien ; — Ozanam, *Dante et la philosophie catholique au XIIIe siècle*, Préface; —Fleury, *Sénèque et S. Paul*, 1854; — Ch. Aubertin, *Etude sur les rapports de S. Paul et de Sénèque*, 1857 ; — Fr. de Champagny, *Les Césars*, t. IV, p. 313.

(4) In prologo. Ad hunc libellum remittit *Speculum considerationis*, p. III, 6.

si quæ bona scripserit Deo gratias referri, sibique dari veniam de erratis (1).

Hoc opusculum quindecim capita complectitur, integramque tradit philosophiæ provinciam quæ postea apud Goclenium (2) *psychologia*, apud nonnullos autem melius *anthropologia* vocata fuit. Generatim opiniones Aristotelis Περὶ ψυχῆς tuetur; exemplis a Philosopho propositis sæpissime utitur; Platonem vero pluries increpat et redarguit. Avicennæ auctoritatem aliquando in medium profert, et Eustratii, quem errans Eustercium appellat, commenta in Aristotelem commemorat (3).

Munus enim hunc libellum Aristotelis explanandi magistris incumbebat, audire vero debebant licentiæ candidati in Facultate Artium (4).

Inter plures ejusdem generis commentarios in librum Aristotelis a variis Studii Parisiensis scriptoribus relictos opus Alliaceni ordine ac methodo eminet, generalem conspectum præstans totius scientiæ psychologicæ ejus ætatis, et schema præbens accidentium et potentiarum animæ.

Diversas et quandoque inter se adversas opiniones proponit ibi Petrus, propriam sententiam sæpius omittens. Multa quidem falsa vel incompleta de naturalibus scientiis tradit ; multa quæ vel antiquata vel mirabilia nobis jam

(1) *De Anima*, XV.

(2) Corbachii in Germania natus est anno 1547; Universitatis Marpurgiensis eximius fuit professor, † 1623. Ejus præcipuum opus pro titulo habet Ψυχολογία, *hoc est de hominis perfectione, animo, et imprimis ortu, commentationes ac disputationes.*

(3) *De Anima*, XIV. — Eustratius fuit episcopus Nicænus mediante XII sæculo. Commentarius ei attributus jam Alberto Magno notus erat (Cf. Alberti Magni Opp. edit. Jammy, t. III, p. 167), et a Divo Thoma laudatur, (*II Sent.*, Dist. IX, a. 8). Immo ab ipsa Christina de Pisan citatur, (*Livre des fais et bonnes mœurs du roi Charles V*, ch. LXIV).

(4) Ch. Thurot, *De l'organisation de l'enseignement de l'Université de Paris au moyen âge*, p. 51.

videntur. Sic, influxum cœli in motionem habituum admittit (1), et spontaneam generationem ex putrefactione (2). Sic etiam organum sensus communis reponit in corde, organum imaginativæ in tribus anterioris partis cerebri ventriculis; organum phantasiæ in secunda parte mediæ cellulæ cerebri; organum memorativæ in posteriori parte ejusdem (3).

Quosdam errores superstitione plenos « et voluntarie dictos potius quam ratione probatos » redarguit Alliacenus; irridet et impugnat theoriam asserentem « animam vegetativam in plantis, sensitivam in brutis, rationalem in hominibus uniri corporibus diversimode secundum diversas lucis essentias, » et indicat lucem siderei cœli quæ disponit ad susceptionem animæ vegetativæ, cristallini ad susceptionem sensitivæ et empyræi ad susceptionem intellectivæ (4), prudentior certe et sapientior hac in re quam multi sequioris etiam ætatis, uti fuere Keplerus, Kircherus et Fr. Baco.

Ast in errorem prorsus gravem incidit, dum quæstionem distinctionis inter animam et ejus facultates tractat.

(1) *De anima*, XV, 3a pars.

(2) *Ibid.*, II, 4a pars. — Huic opinioni non repugnat D. Thomas; eam admisit ipse Buffon et amplexi sunt plures ætatis nostræ viri, uti Pouchet et Musset in Gallia, Tiedemann et Burdach in Germania, Montegazza in Italia; sed illius inanitatem argumentis et experimentis probarunt A. Béchamp, Coste, Lemaire, Pasteur, etc.

(3) *Ibid.*, IV, *De interioribus sensibus generaliter*. — Ita fere locuti sunt etiam Gulielmus a Conchis (*Philos. secunda*, ms. lat. Bibl. nation., 6588), et Joannes Sarisberiensis, (*Metalogicus*, l. IV, XVII); quibus anteiverat Rogerius Baco, (*Opus Majus*, 257-261). Animadvertere juvat hoc problema non tantum veterum philosophorum mentem occupasse, sed etiam nunc a pluribus medicinæ peritis indagari. — Cf. *Revue des questions scientifiques*, *Des localisations cérébrales*, a Dre H. Desplats, Univ. cathol. Insulensis magistro (jul. 1878); *L'écorce grise du cerveau*, a Dre Cuylits (*ibid.*, apr. 1880); *La dualité cérébrale*, a Dre X. Francotte (*ibid.*, jul. 1884). — Cf. etiam *Etude générale de localisation dans les centres nerveux* (1880), a Dre Duret in prædicta Universitate professore.

(4) *De anima*, I.

Jam Roscelino et antiquis Nominalibus exprobraverat Anselmus quod facultates ab ipsa animæ substantia non distinguerent (1), eorum nihilominus doctrinam in scholis vulgaverat Gulielmus Occam (2), quem ita sequitur Alliacenus :

« Dicendum est quod anima est *potentia* quia est principium activum sive passivum suæ operationis. Ipsius autem animæ multiplex est potentia.... Loquendo igitur de potentia principali et essentiali, anima est unica potentia, nec est verum de virtute sermonis quod in homine sint plures potentiæ, sed ad istum sensum dicitur quod anima est potens exercere plures *operationes* et secundum illas supponunt pro ea plura nomina (3). »

Et iterum :

« Unde licet de anima rationali plura nomina dicantur, ingenium, memoria, voluntas, liberum arbitrium, tamen hæc nomina non dicunt aliquam distinctionem in essentia animæ, sed differunt ratione, quia ipsa dicitur intellectus in quantum apprehendit, ratio in quantum discernit, ingenium in quantum investigat, memoria in quantum conservat, voluntas in quantum appetit, liberum arbitrium in quantum eligit (4).... »

Insuper :

« Potentiæ animæ principales sunt in ea *identice*, hoc est, sunt *idem* cum ea (5). »

Eodem sensu postea loquetur in *Quæstionibus in Sententias* disserens de imagine Trinitatis in creaturis :

« Potest assignari imago in ipsis potentiis, non quod sint realiter distinctæ, sed per hunc modum quia eadem substantia animæ dicitur memoria, intellectus et voluntas (6). »

(1) *De fide Trinitatis*, cap. II; apud Migne, *Patr. lat.*, CLVIII, col. 265.

(2) Cf. d'Argentré, *Coll. jud.*, t. I, p. I, p. 338.

(3) *De anima*, I, 3a pars.

(4) *De anima*, VI. — Item, *In 1um Sent.*, q. IV, a. I, ad finem. — Cf. Henricum Gandavensem, qui eamdem profitetur sententiam. (*Quodlibet*, III, q. 14.) — Cf. etiam Scotum, *in II Sent.*, Dist. XVI, quæstio unica.

(5) *De anima*, VIII.

(6) *Quæst. in Sent.*, q. IV, a. 1, f. LXXXVII.

Et de sacramentali charactere agens :

« Character, sicut est in anima, ita est in qualibet ejus potentia, quia idem est (1). »

Concludit ergo animam nullo modo differre a potentiis suis, ipsam immediatum esse principium operationum, et distinctionem admissam ab aliis scholasticis esse *merum flatum vocis*.

Si hæc affirmaret de Deo, concederemus utique :

« *Deus namque hoc est quod habet*, ait Gregorius Magnus ; æternitatem quippe habet, sed ipse est æternitas. Lucem habet, sed lux sua ipse est. Charitatem habet et ipse est charitas sua (2).

Sed de creaturis aliter oportet sentiamus. Fatemur quidem libentissime « non esse multiplicanda entia sine necessitate ; » necessitas autem hic omnino adest (3).

Actus enim animæ ita inter se sunt diversi ut ad commune principium immediatum vel ad communem facultatem seu potentiam sint irreductibiles. Immo principium unde oriuntur quandoque in actu est, quandoque in potentia tantum ; essentia autem semper manet eadem. Non admissa igitur distinctione reali potentias inter et essentiam, de una et eadem re enuntianda forent prædicata incohærentia, aut etiam contradicentia sibi invicem.

Optime novimus Nominales, Cartesianorum antesigna-

(1) *In IV. lib. Sent.*, q. III, a. 1, f. CCXLI.

(2) *Mor.*, XVI, 43; apud Migne, *Patr. lat.*, LXXV, col. 1147. — Cf. Alliaceni, *Quæst. in I Sent.*, q. VI, f. CXIII. « Voluntas divina et divinus intellectus seu ratio sunt omnibus modis idem tam formaliter quam realiter, nec distinguuntur inter se aliqualiter. » — *Principium in II Sent.*, f. XV, et *Principium in IV Sent.*, f. XXXIII. (Edit. Joh. Petit, studio J. M. Virturiacensis, Parisiis s. l. et a.) — Item « Nulla distinctio est concedenda alia a personali. » *Ibid.*

(3) Eo axiomate sæpissime abutuntur Nominales et præsertim G. Occam, qua de re cf. Leibnitium, *De Stilo philos. Nizolii*, XXVIII. — Cf. etiam Alliacenum, *Quæst. in Sent.*, l. IV, q. I, a. I, f. CCXXV.

nos (1), explodere realem dictinctionem inter substantiam et accidens. Ast novimus etiam, et catholica quidem fide, in justificatione gratiam animæ infundi, simulque alia dona supernaturalia ac permanentia (2). Novimus ea nasci, augeri, amitti quibus certe nequit esse obnoxia substantia animæ (3). Novimus in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento totam substantiam panis et vini in corpus et sanguinem Christi converti, « manentibus dumtaxat speciebus panis et vini (4). » quarum nihilominus pergimus experiri connaturales in sensus nostros et in mundum corporeum operationes. Nominale somnium ergo respuimus etiam quatenus theologi Christiani, et quid valuerint Occam ejusque sequacium *dictata* et *reportata* satis superque intelligimus.

III

Eodem tempore quo Aristotelis libros *de Anima* commentariis exornabat, eximium Boetii opusculum *de Consolatione philosophiæ* pari studio cohonestavit Alliacenus (5).

(1) Cf. Cartesium, *Des passions de l'âme*, 1re partie, XVII et passim.

(2) *Conc. Trid.*, sess. VI.

(3) Suarez, *Metaph.*, Disp. XVI. sect. I. — Greg. a Val., *In 1am partem*.

(4) *Conc. Trid.*, sess. XIII, can. 2. — *De his omnibus* cf. D. Thomam *S. Theol.*, I P., q. LIV, a. 1; q. LXXV, a. 1; *De anima*, a. 12.

(5) Scribit Hauréau : « Launoy, (*Regii Navarræ Gymn. Paris. Historia*, p. III, l. II) attribue à d'Ailly un commentaire sur la *Consolation* de Boèce, dont il donne les premiers mots. C'est une fausse indication. L'ouvrage désigné par Launoy se trouve dans le nº 14580 de la Bibliothèque Nationale provenant de Saint-Victor. C'est un traité sur le bonheur considéré comme le but de la vie : ce n'est pas un commentaire sur la *Consolation*. » *Op. cit.*, t. II, p. 455. Alliaceni liber est revera de felicitate, sed inscribitur : *Super librum Boetii de consolatione*. Methodum et ordinem Boetii prosequitur, ejus opiniones sæpissime laudat, et uti verus tertii et quarti libri *de Consolatione* commentarius considerari potest.

Severinum Boetium, clarissimum Theodorici ministrum, philosophum simul ac theologum, a rege in durum carcerem, eo solum crimine quod christianæ fidei ac patriæ commodis inserviret, conjectum fuisse neminem latet.

Ab omnibus derelictus, « senectute inopina et malis properata (1) » oppressus, ad Patrem totius consolationis confugit, et aureum opusculum *de Philosophiæ Consolatione* scripsit. Vitam sapientis in aula et in muneribus publicis egerat; mortem martyris, imperante iniquissimo et hæretico rege, subiit, et uti sanctus ab immemorabili tempore in Ecclesia Papiensi colitur (2).

Aliquam similitudinem Alliaceni et Boetii quidam fingunt; illumque censent in castro Luparæo (1408) inclusum, ærumnis ac dolore confectum, *Commentarium* in Boetium solatii causa scripsisse (3). Jam facti falsitatem ostendimus (4), sed præterquam textus commentarii huic somnio repugnet, clare apparet junioris auctoris fœtus.

Reverendissimos Fratres, Magistros ac Dominos carissimos alloquitur Petrus et exordio utitur nimis emphatico :

« Mihi ardua scandere volenti, opusque ultra vires meas agere præsumenti, ad modum aquarum multarum cogitationes affluunt, unde perplexitatum inundationes confluunt, quæ, ad instar navis sine remigio in profundis pelagi gurgitibus titu-

(1) Venit enim properata malis inopina senectus,
Et dolor ætatem jussit inesse suam;
Intempestivi funduntur vertice cani,
Et tremit effœto corpore laxa cutis.
De Consol. philos., lib. I, metr. I, 9.

(2) Aliqui tamen contendunt Boetium ethnicum fuisse. Ita Obbarius, Victor Le Clerc, Car. Jourdain, Judicis de Mirandol, Paulinus Paris, et apud Germanos Ritter, Baur, Nitzschius; at, præter historiæ testimonia, Boetii lingua prorsus est christiana, et ne hilum quidem in ejus operibus invenitur gentilitatem redolens. — Cf. eruditam dissertationem L. C. Bourquard, *De Severino Boetio, Christiano viro*, 1877.

(3) Cf. D. Grenier, *Analecta juris pontificii*, 1876, p. 909.

(4) Cf. nostram primam partem, p. 73.

bantis, hinc inde me meique vigoris penuriam inter varios animi motus fluctuare compellunt.... Considerans me juvenem et indoctum coram vobis patribus meis et elegantis sapientiæ viris (1).... »

Commentarium deinde morale potius quam litterarium vel grammaticale instituit, cujus analysim afferre liceat :

« Reverendissimi Patres et Magistri ac Domini carissimi, sicut ex testimoniis sapientium potest luculenter apparere, inter cætera hominum bona tria sunt præcipua per quæ tanquam per media ad finem beatitudinis possumus pervenire, scilicet *bona operatio politice regulata, vera contemplatio mirifice illustrata, et sancta conversatio heroice consummata.* »

In his omnibus philosophia est magistra falli nescia.

Etenim philosophica disciplina *effectum* dirigit per practicam politicam operationem ad finem, *affectum* dirigit per cœlicam mirificam contemplationem beatitudinis, *defectum* corrigit per ethicam heroicam conversationem qua ad beatitudinem nititur pervenire. Immo philosophia est *via* rectissima qua mens dirigitur, *scala* altissima qua mens erigitur, *schola* sanctissima qua mens corrigitur.

Hanc ultimam tantum assertionem demonstrat Alliacenus, sententias referens plurium philosophorum qui vitæ castitatem pluris fecerunt quam vanam scientiæ famam. Ita deinde pergit :

« Nunc vero, Reverendissimi Domini, juxta sententiam thematis præassumpti et materiam tactam in deductione ejusdem, moveo unum dubium sub tali titulo quæstionis : « *Utrum aliquis philosophus, per inquisitionem philosophicam in naturali lumine, ad veram humanæ beatitudinis notitiam valeat pervenire ?* »

(1) Ms. in Bibl. nat. Parisiensi, 3122, 14579 et 14580. — Nunquam typis mandatum fuit illus opus quod amicitiæ docti J. Garçon in scientiis licentiati debemus.

Enuntiatis nonnullis objectionibus, ponit in Deo quærendam esse veram felicitatem.

« Quidam enim illam posuerunt in bonis *temporalibus*. Ab invicem separantur, nam quidam dixerunt eam esse in divitiis affluentibus, alii vero in potentiis et honoribus; quidam autem, sicut Epicurus et sui sequaces, posuerunt felicitatem in bonis *corporalibus*, scilicet in deliciis et voluptatibus (1).

Alii tandem eam esse putaverunt in bonis *spiritualibus*, scilicet in veris studiis, vel in bono exercito, vel in separatis ideis.

« Omnes autem istæ opiniones, quamvis aliquæ plus et aliquæ minus videntur veram felicitatem umbratice somniare, tamen titubant atque a veritate deviant et discrepant, vel saltem imperfecte et insufficienter de veritate loquuntur (2). »

Inde octo articulos statuit : in primo prolixius thesim suam de vera felicitatis essentia explanat, in sequentibus opiniones falsas confutat, in ultimo agit de modo ponendi suam beatitudinem in Deo, tertium Boetii librum ita commentans totum.

Quæstionem alteram subdit Alliacenus : « *Utrum cum æterna et immutabili Dei præscientia omnium futurorum stet aliquid simpliciter contingens venire* ? (3) » Cui sex articulis respondet, Boetium sequens (4), et successive docens 1° quomodo Deus sit vel esse possit auctor peccati seu deformitatis; 2° utrum omnia quæ fuerint disponantur per seriem fatalem necessitatis; 3° quis sit modus cognoscendi divinæ simplicitatis; 4° quænam sint a casu vel fortuna in rebus causatis; 5° quid habeat veritatis quæstio proposita; 6° de humana voluntate et de modo libertatis (5).

(1) Cf. *Ethic.*, V et Boetii *de Consol. phil.*, III, 2.
(2) Ms. Bibl. nat. Paris., 14579, f. 124.
(3) *Ibid.*, f. 150.
(4) *De Consol. phil.*, l IV, Prosa I, p. 786.
(5) Ex eodem ms.

Hæc omnia quidem pulcherrime a Boetio discussa fuerant (1), et certe minori arte deteriorique stylo ab Allliaceno tractantur, non tamen absque ampla satis eruditione (2) et absqne magna illa subtilitate qua delectabantur ejus coævi (3).

(1) *De Consol. phil.*, l. IV et V; apud Migne, *loc. cit.*, p. 786 et seqq.

(2) Sæpissime refert opiniones et decisiones Aristotelis, Platonis, Occami, Alani ab Insulis, Augustini et Origenis, Senecæ et Horatii. Arabes etiam auctores uti Albumazar, Algazel, Averrhoem et Avicennam commemorat.

(3) Eodem tempore plurimæ fuerunt versiones librorum Boetii, sed tres præsertim memorari debent, una quæ est Fratris *Renaut de Louens;* alia celebri *Joanni Magdunensi* attributa; tertia autem cujus *Carolus Aureliensis* æstimatus est auctor fuisse, sed perperam. Carolo hoc opusculum adscribunt Buchon, Paulinus Paris, Kervyn de Lettenhove, sed eorum errorem ex manuscriptis apprime demonstravit eruditissimus vir Leopoldus Delisle (*Bibl. de l'école des Chartes,* 1873, t. XXXIX, p. 25).

CAPUT SECUNDUM

Alliacenus logicus et metaphysicus

Quæ ad sublimiorem logicæ partem, criticam nempe aut realem dictam, in Alliaceni operibus pertinent, quæ etiam de metaphysica rationali scripsit incipimus explanare et judicare.

I

Famosissimum logices et metaphysices problema unde *Nominales* titulum sibi sumpserunt, problema, inquam de *Universalibus* et eorum realitate, intimis totius philosophiæ visceribus tam innexum ut omnis fere scientia ab illus solutione pendeat (1), suis *Quæstionibus in Sententias*, primo præsertim libro, agitat Alliacenus (2).

(1) « Toute doctrine philosophique a pour base et pour sommet une déclaration sur la nature des universaux. Il ne faut donc pas s'étonner si les deux écoles entre lesquelles se partagent la plupart des philosophes et que l'on a de nos jours nommées l'école de l'idéalisme critique et l'école de l'idéalisme transcendental, ont été fondées sous d'autres noms au moyen âge. » B. Hauréau, *Histoire de la philosophie scolastique*, première partie, p. 59. — Cf. etiam V. Cousin, *Introd. aux ouvrages inéd. d'Abailard*, p. 68.

(2) « Quoique la réforme de 1366 eût interdit de traiter dans les leçons sur les Sentences de questions de logique et de métaphysique, la philosophie tenait dans ces écoles beaucoup plus de place que la théologie. C'était

Jam diversimode fuerat soluta quæstio a Platone et Aristotele, et suscitata iterum potius quam enodata a Porphyrio rem cunctante non explicante, his verbis :

« Mox de generibus et speciebus, illud quidem sive subsistant, sive in solis nudis intellectibus posita sint;... utrum separata a sensibus an in sensibilibus posita et circa hæc consistentia dicere, recusabo : altissimum enim negotium est hujusmodi et majoris egens inquisitionis (1). »

Litem scholæ medii ævi definiendam sibi proposuerunt, et de ea acriter simul ac diu dimicaverunt. Genera essent res vere et per se subsistentes, juxta *Reales absolutos*. In solis nudis intellectibus essent posita, atque flatus vocis, tituli sine re et pura nomina, juxta *Nominales* (2). Non subsisterent in se neque tantum in intellectu, sed in hoc cum fundamento in re, juxta S. Thomam *omnesque Reales mitigatos*. Ipsa sunt veræ essentiæ immutabiles, a sensibus separatæ, ante et extra res ab æterno subsistentes, aiunt *Reales absoluti*. Ipsa sunt a sensibus separata, affirmant *Nominales omnes*. « Si universale quoad naturam est in singularibus, quoad intentionem universalitatis est in intellectu, inquit *Angelicus* (3).

le premier livre de l'ouvrage de Pierre Lombard, le plus métaphysique de tous, qui fournissait le plus de questions; les trois autres livres, plus particulièrement théologiques, étaient à peine traités. » Ch. Thurot, *De l'organisation de l'enseignement*, p. 147. — Cf. Gersonium, *Epistola de reformatione theologiæ*, (in opp., t. I, col. 123.) — Quod prævalerent nimis metaphysicæ quæstiones in theologia pluries conquesti sunt Legati Pontificii, sed frustra. — Cf. d'Argentré, *Coll. judic.*, t. I, p. I, p. 159. — Bulæum, *Hist. Univ. Paris.*, t. VI, 227. — Hujusmodi querimonias moverat jam Rogerius Baco : « Philosophia dominatur in usu theologorum, et theologia est pure philosophica. » (*Opus minus*, juxta ms. Oxoniense, Bodl. 1819, rectius Digby, 218.)

(1) *Introd. ad logicam Arist.* a Boetio translata.

(2) « Sunt tamen... dicentes quod in solis intellectibus sunt illa (genera) quoad nos, quæ utrum sint et quomodo se habeant, solus scit intellectus. » Albertus Magnus, *Liber de prædicabilibus*, t. II, 2. »

(3) *S. Theol.*, I, p. 9, LXXXV, a 2, ad secundum. *In I Sent.*, Dist. V, q. II, ad primum, *De Potentia*, q. IX, 9. — Cf. etiam Albertum Magnum, *De prædicabilibus*, tr. II, c. 3.

Nominalium sententiam sequitur Alliacenus, post magistrum Gulielmum Occam qui, « hanc materiam valde pulchre determinavit (1). »

« *Ideæ solum sunt singularium.* Patet quia sola singularia sunt ad extra producibilia, et nulla alia. Et si Plato aliter senserit (2), non est in hoc sequendus, nec in hoc eum approbat Augustinus. »

« *Ideæ non sunt universalium.* Patet quia *nulla* sunt, nisi ponatur quod universalia sint quædam res in anima simpliciter existentes, rebus extra communes et per prædicationem universales (3). »

« Concedentes aliquod unum esse plura individua unius generis vel speciei *non sunt digni vocari philosophi* (4). »

Recte quidem judicasset, si contra Realistas absolutos hæc protulisset. At vero nobis errare videtur ab Angelici Doctoris ita prorsus discedendo. Thomas enim evolvens illud axioma Alberti : « Non est universale, nisi dum

(1) *Quæst. in I Sent.*, q. VI, a. 3, f, CXIII.

(2) An revera ipse Plato realem extra Deum existentiam ideis et archetypis attribuerit, hodie adhuc controvertitur. Affirmat Aristoteles cum pluribus Ecclesiæ Patribus et ipso D. Thoma (*De subst. separatis*, II), ita diebus nostris T. H. Martin (*Etude sur le Timée*, p. 16). Negant Platonici commentatores, Plutarchus, Alcinous cum Alexandrinis, Plotinus, Porphyrius, Jamblicus, Proclus, sæculo xv cardinalis Bessario, Picus a Mirandula, et recentius Thomassinus *Dogm. theol.*, edit. Venet., 1750, t. II, l. III, capp. 11 et 12 ; A. Fouillée, *La Philosophie de Platon*, t. I, p. 475. — Cf. Hauréau, *Histoire de la philosophie scolastisque*, 1re partie, p. 64.

(3) *Quæst. in Sent.*, f. CXIV verso.

(4) *Ibid.*, q. V, a. 2, f. XCIX. — Sat intempestivo modo eamdem questionem Husso proposuit Alliacenus quum hæreticum interrogaret : « Joannes Hus, inquit, *ponisne universalia a parte rei?* »

Hoc cum Joannes affirmasset, quia et Sanctus Anselmus et alii ponerent, perrexit Cardinalis : « Sequitur ergo quod, facta consecratione, remaneat substantia panis materialis. Idque sic probo : quia, facta consecratione, dum panis mutatur et transubstantiatur in corpus Christi, ut jam dicis, vel manet ibi *substantia communissima* (universale) panis materialis vel non ; si manet, tum habetur propositum. Sin minus, tum sequitur quod ad desitionem *singularis* desineret etiam ipsum *universale.* » Cf. Von der Hardt, t. IV, pp. 308 et 481.

intelligitur (1), » clarissime ostendit intellectui humano vim abstractivam inesse qua, relictis individuantibus notis, elementum jam certo pluribus individuis commune percipit, quod universale jure vocatur (2).

« Ipsa natura, ait Angelicus Doctor, habet esse in intellectu abstractum ab omnibus individualibus, et habet rationem uniformem ad omnia individua, quæ sunt extra animam ; prout essentialiter est imago omnium, et inducens in cognitionem omnium, in quantum sunt homines, et ex hoc quod talem rationem habet ad omnia individua, intellectus adinvenit rationem speciei (3). »

« Humanitas est aliquid in re, non tamen ibi habet rationem universalis ; cum non sit extra animam aliqna humanitas multis communis ; sed secundum quod accipitur ab intellectu, adjungitur ei, per operationem intellectus, intentio, secundum quam dicitur species (4). »

Singulare, igitur, eo ipso quod est singulare, *dividitur* omnibus aliis ; dum vero, quatenus universale cogitatur, *multiplicatur* in omnibus suis inferioribus. Sicque concipitur ut *unum versus alia*, unum simul et multiplex, utpote quid commune vel communicabile pluribus per identitatem.

Nominales autem mentali illi operationi quæ est fundamentum scientiæ, metaphysicæque præcipuum instrumentum, *abstractioni* scilicet, ab individualibus notis theoretice renun-

(1) *Metaph.*, tit. V, tr. VI, cap. 7.

(2) *S. Theol.*, I P.. q. LXXXV, a. 2, ad 2um. — 1a 2æ, q. XXIX, a. 6. — *In Sent.*, D. XIX, q. V, a. 1. — *Ibid.*, q. XXXIII, a. 1, ad 3um. — *Cont. Gent.* I, 65. — *De Pot.*, q. VII, 9. — *De anima*, II, a. 12. — Non absimili modo rem explicat Gersonius alias fidelis Alliaceni discipulus, qui hac in re a doctrina magistri se retrahit. — Cf. ejus tractatum *de potestate ecclesiastica et de origine juris*, t. II, col. 235.

(3) Opusc. XXX, *De ente et assentia*, c. IV. — *In Sent. II, Dist.* XXIV, q. 2, 4, 6. — *De anima*, in lib. II, Lect. 12. — *S. Theol.*, I P.,q XIII, a 9 ; q. LXXV, a 2. *De Ver.*, I. q. II, 13, etc. — Cf. Kleutgen, *La philosophie scolastique*, Diss. II, ch. 3.

(4) In libro I *Sent.*, *Dist.* XIX, q. 5, a. 1. — Cf. *De ente et essentia*, IV, princ. 4.

tiant, ipsoque facto, *scientiam* ipsam denegare videntur (1): non enim est singularium et fluentium scientia, sed universalium et fixorum (2); ita ut, absque notionibus universalibus quæ res omnes singulares sub generibus et speciebus concludunt, jam dissoluta et tumultuaria rerum illarum tractatio evadat.

II

Nec universales tantum notiones a Nominalibus impetebantur, sed etiam singularium certitudo et veritas. Etenim juxta eorum duces, præsertim Gulielmum Occam (3), Gabrielem Biel (4), Jacobum Duacensem (5), repræsentatio rei interna, non vero res ipsa externa et sensibilis, est objectum proprium intellectus, terminans immediate actum intelligendi. Unde nil mirum si Alliacenus pluribus locis de realitate objecti exterioris et de perfecta æquatione rei et intellectus dubitat.

« Simpliciter et absolute, ait, nullum extrinsecum a nobis sensibile evidenter cognoscitur esse, ut puta quod albedo est, quod nigredo est, quod homo est, quod homo est alius asino, et sic de similibus. Probatur primo quia stat sine contradictione apparere et assentire sic esse, et tamen sic non esse....

Destructo quolibet sensibili extrinseco, Deus potest conservare in anima sensationem (6). »

(1) Cf. Leibnitium, *De Stilo philosophico Nizolii*, 32.
(2) Cf. Arist., *Metaphys.*, l. X, cap. I et passim.
(3) Occam, *Logica;* rarissimum illud opus in Bibl. nat. Paris. adire curavimus.
(4) G. Biel, *In lib. I, Sent.*, Dist. II, 9, 4.
(5) De eo cf. *Histoire litt. de la France*, t. XXVII, p. 156.
(6) *Quæst. in I lib. Sent.*, q. I, a. I, f. XXXVI, verso. — Rectiorem tamen sententiam tenet in tractatu *de Anima*, XI, 4ª parte.

Et pluries affirmat evidentiam simpliciter absolutam non haberi de extrinseco sensibili (1).

Cognitioni ergo quæ fit per sensus non eamdem tribuit certitudinem atque conscientiæ, aut primis principiis objective sumptis, aut immediatis eorum consectariis. Prior illa est certitudo conditionata et secundum quid, posterior vero absoluta.

Quomodo jam vitare possit Petrus noster scepticismum Huetii et Malebranchii particularem, vel etiam universalem et transcendentalem alium Kantii, ego certe nullus video (2). Universalia pro fictionibus habet, singularia physica pro dubiis tantum realitatibus mediate solum cognitis. In mediis igitur larvis procedit atque

Frustra ferro diverberat umbras (3).

III

Sed gravior exstat in Alliaceni philosophia defectus,

(1) Cf. *Quæst. in Sent., ibid.*

(2) Audiatur hac in re Nominalium sectator Malebranchius : « Perpétuelles illusions de la part des objets sensibles : tout nous trompe, tout nous empoisonne, tout ne parle à l'âme que par le corps. » (5e *entretien sur la métaphysique.* — Item, *De la recherche de la vérité,* l. I, ch. 10.) « On ne connaît les corps que par révélation. » (6e *entretien.*) Audiantur etiam Emmanuelis Kantii verba : « Toutes nos intuitions ne sont que des représentations des phénomènes ; les choses que nous percevons ne sont pas en elles-mêmes telles que nous les percevons ; leurs rapports ne sont pas essentiellement non plus ce qu'ils nous paraissent être ; et si nous faisions abstraction de notre sujet ou même de la qualité subjective des sens en général, c'en serait fait de toute propriété, de tout rapport des objets dans l'espace et le temps, de l'espace et du temps eux-mêmes, car rien de tout cela ne peut exister en soi comme phénomène, mais seulement en nous. Nous ne connaissons que notre manière de les percevoir, qui est tout à fait à notre esprit, ce qui ne doit pas être nécessairement celle de notre être, quoique, à la vérité, elle soit celle de chacun de nous. » (*Critique de la raison pure,* par Emm. Kant, 1re partie, sect. II.)

(3) Virg., *Æneid.*, VI.

pejus adhuc veræ scientiæ detrimentum afferens, opinio scilicet quam de philosophica causæ notione defendit.

« Nulla, ait, causa secunda sic est proprie causa alicujus effectus, nec aliquis effectus sic ex natura rei sequitur ex aliqua causa secunda quod causa necessario inferat effectum, vel quod effectus necessario præsupponat illam causam; immo effectus pure contingenter sequitur ex secunda, et secunda causa pure contingenter antecedit effectum suum (1). »

Jucundum quidem nobis esset benignam interpretationem subdere huic doctrinæ quam tradit ubi agit de causalitate sacramentorum. Obstat vero theoria ejus integra, *Occasionalismo* Malebranchii prævia, quæ hujusmodi est: Deus omnia in homine operatur, quia Deo convenit perfectissimus agendi modus, et perfectius est edere effectum se solo quam adminiculo alterius. Res aliæ infra Deum nihil prorsus agunt. Ad earum præsentiam Deus effecta omnia, quæ ab eis oriri videntur, solus patrat; ipsa sunt meræ occasiones. Nullus est intrinsecus nexus inter sic dictam causam et effectum : illa contingenter antecedit, iste contingenter sequitur. Est simplex temporis successio, non vero unius ab altera dependentia (2).

Adeo autem vesana et abnormis est hujusmodi sententia ut merito stultitiæ nomine signata fuerit ab Angelico (3), utque fautores ejus vel *sensu* vel *pœna* indigere pronuntiaverit multo prius Aristoteles (4). Omnes quippe eam sciunt testimonio ipsorum sensuum repugnare, sapientiam et boni-

(1) *Quæst. in Sent.*, lib. IV, q. I, f. CCXXVI.

(2) Gabriel Biel qui in hoc Gulielmi Occam et Alliaceni vestigia se premere fatetur talem profert definitionem causæ : « Causa est ad cujus esse sequitur aliud; id est, causa est res qua posita in esse aliqua alia res ponitur in esse. Addendum est : et qua non posita aliud non ponitur eo modo quo ponitur. » *In IV Sent.*, Dist. I, q. I, a. 1 et 2. Quæ definitio etiam cum additamento non sufficit, quia realis processio effectus a causa non exprimitur.

(3) D. Thomas, *In II Sent.*, Dist. I, q. I, a. 4.

(4) *Top.*, l. I, c. 9.

tatem Dei lædere, justæ creaturarum dignitati contradicere, certitudini demum scientiæ nostræ obesse quatenus juxta D. Thomam, « subtrahitur nobis omnis cognitio scientiæ naturalis in qua præcipue demonstrationes per effectum sumuntur (1), » et consequenter minuitur, si non omnino tollitur argumentandi necessaria illa methodus qua ex creaturis visibilibus ad invisibilem eorum Creatorem ascendimus.

Non tamen ultimus philosophorum Alliacenus in lethales has theorias abivit. Nomina proferre sufficiat Arnoldi Geulincx, Antwerpiani, in sua *Ethica* (2), et Nicolai Malebranchii in *Inquisitione veritatis* (3). Quos pejori quidem mente pejoribusque argumentis secuti sunt Lockius et Humius (4), nostrique sic dicti *Positivistæ* (5).

(1) *Contra Gent.*, l. III, q. 69. — Cf. *S. Theol.*, I P., q. CXV, a. 1.

(2) Γνῶθι σεαύτον sive *Ethica* (in-12, Lugd. Batavorum, 1675).

(3) « Il y a bien des raisons qui m'empêchent d'attribuer aux causes *secondes* ou *naturelles* une force, une puissance, une efficace pour produire quoi que ce soit. Mais la principale est que cette opinion ne me paraît même pas concevable. Quelque effort que je fasse pour la comprendre, je ne puis trouver en moi l'idée qui me représente ce que peut être la force ou la puissance qu'on attribue aux créatures. Et je ne crois même pas faire de jugement téméraire d'assurer que ceux qui soutiennent que les créatures ont en elles-mêmes de la force et de la puissance avancent ce qu'ils ne conçoivent point clairement. » (*De la recherche de la vérité*, 15ᵉ éclaircissement.)

(4) Locke, *Essai sur l'entendement humain*, l. II. c. 26. — Hume, *Essais philosophiques*, Essai VII.

(5) « La philosophie présente trois phases essentielles qui correspondent à trois phases successives de la *civilisation*; elle est progressivement *théologique*, *métaphysique* et *positive*.... Dans la troisième phase, on renonce à la recherche de l'absolu, c'est-à-dire des causes premières et des causes finales, recherche désormais reconnue inaccessible et bonne à occuper l'enfance du genre humain, et l'on s'applique uniquement à la recherche des lois et des conditions.... La recherche des causes génératrices, premières et finales, est absolument inaccessible à notre intelligence. » (Robin et Littré, *Dict. de médecine*, verbis *philosophie, loi.*) — « La théorie des causes n'est d'aucune utilité scientifique. » (Liard, *La Science positive et la Métaphysique*, p. 271.) — Cf. etiam H. Taine quum disserit de natura rationis explicativæ vel medii explicativi, *De l'intelligence*, t. II, p. 505 et seqq. Stuart Mill, *La philosophie de Hamilton*, (1869), p. 338.

IV

Perniciosam etiam et prorsus erroneam doctrinam tradidit Alliacenus de philosophica methodo, et de relationibus theologiam inter et philosophiam vigentibus. Ut methodi defectum clarius percipiamus, in exemplum adducimus theoriam illius de anima intellectiva, cujus tres primum allegat definitiones ; unam scilicet Alexandri Aphrodisiæ quæ sic se habet :

« Anima est forma naturalis, generabilis et corruptibilis, educta de potentia materiæ divisibilis et extensa; »

Aliam deinde Commentatoris, id est, Averrhois :

« Est forma ingenerabilis et incorruptibilis, non educta de potentia materiæ nec externa; est unica in omnibus hominibus, cuilibet eorum indistanter assistens, sed nulli tamen inhærens (1) ; »

Tertiam demum quam protulit Concilium Viennense sub Clemente V (1312), quæque, a Concilio Lateranensi V sub Leone X renovata (2), nuperrime a Pio IX adversus Guntherum denuo sancita est (3) :

« Anima rationalis est vera et per se atque immediata corporis forma. »

Et nihilominus audet scribere Petrus : « Prima opinio superius dicta, circumscripta fide et sequendo apparentiam rationis, inter omnes probabilior videretur (4). »

(1) Cf. D. Thomam, *De unitate intellectus adversus Averrhoem.*

(2) « Anima vere, per se et essentialiter humani corporis forma existit. » (Anno 1513.)

(3) 15 jun. 1857.

(4) *De anima,* c. VI.

Concedit igitur non modo distinctionem realem dari inter cognitionem naturalem et scientiam supernaturalem fidei, quod quidem concedere debemus omnes; sed possibilem quoque, immo et realem oppositionem seu conflictum fatetur inter illas, ita ut sententia ab Ecclesia jure merito damnata, simplici tamen rationi probabilior maneat. Quo non duceret talis methodus?

Aliud exemplum suppeditemus hujus contradictionis ab Alliaceno admissæ inter veritatem revelatam et veritatem rationalem. De sanctissimo Eucharistiæ sacramento, eamdem doctrinam quam postea Lutherus et ex eo Pusey accepit et quam *impanationem* dicunt, eam scilicet non ut *multo probabiliorem*, quemadmodum mentitur Lutherus (1), sed *ut valde possibilem* quod jam certe nimium est, profert; putatque hanc opinionem esse liberam, quasi nihil de hac materia unquam Ecclesia decrevisset (2). Attamen in *Concilio Lateranensi IV*, adversus Albigenses sancitum erat Christi corpus et sanguinem sub speciebus panis et vini veraciter contineri, transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem, potestate divina (3). Et jam teste

(1) Ecce propria Lutheri verba: « Dedit mihi quondam, quum adhuc theologiam scholasticam haurirem, occasionem cogitandi D. Cardinalis Cameracensis, *libro Sententiarum IV*, acutissime disputans, *multo probabilius* esse et minus superfluorum miraculorum poni, si in altari verus panis verumque vinum, non autem sola accidentia esse adstruerentur, nisi Ecclesia determinasset contrarium. Postea videns quæ esset Ecclesia quæ hoc determinasset, nempe Thomistica, hoc est Aristotelica, audacior factus sum. » *De captivitate Babyl.*, cit. apud Tschackert, *Peter von Ailli*, p. 321.

(2) Hoc tamen addit Alliacenus noster: « Quarta opinio et communior est quod substantia panis non remanet, sed simpliciter desinit esse.... Licet ita esse non sequatur evidenter ex Scriptura, nec etiam videre meo ex determinatione Ecclesiæ; quia tamen magis favet ei et communi opinioni Sanctorum et Doctorum, ideo teneo eam. » *In IV Sent.*, q. VI, a. 2, f. CCLXV, verso. — Cf. Vasquez, *Disp.* CXXX, c. V, n. 47.

(3) Cap. I, *Firmiter*, anno 1215. — Non ergo decretum *Ecclesiæ Thomisticæ* est adscribendum, ut denuo mentitur Lutherus. Vide supra.

confessione fidei Michaelis Paleologi : « Ecclesia credit et docet quod in sacramento panis vere transsubstantiatur (ἀληθῶς μετουσιοῦται) in corpus, et vinum in sanguinem Domini nostri Jesu Christi (1). »

Equidem dogmaticæ illæ definitiones quas Petrus certo cognovit, non tanta claritate fulgent quam Tridentinæ ; at certe sufficiebant ad genuinum Ecclesiæ sensum aperiendum, ad fidem declarandam, ad theologum convincendum. Sed juxta Nominales retinenda erat pessima distinctio duplicis ordinis veritatum, quorum alius e revelationis fonte decurrit, alius autem a ratione pura dimanat, uterque verus, ita ut verum vero opponatur (2). Rationalis igitur affirmatio poterat esse probabilior quam contradictoria de fide, et theologice falsa philosophice vera, aut saltem verisimilis, manebat (3). Quid aliud, quæso, famosum illud *sic et non* Abælardi ? Quid aliud futura erat identitas contrariorum Hegelii ? Duplex scientiæ ordo, duplex humanus intellectus, et cuncta dubia.

Jam ostenderant D. Thomas et Bonaventura (4) philosophiam esse theologiæ fidelissimam ancillam, opem perpetuo et humiliter ei præstantem, et vicissim ejus multiplici beneficio ab erroribus liberatam, illustratam, perfectam atque

(1) Anno 1267 sub Clementi IV proposita, et anno 1274 Gregorio X oblata in Concilio Lugdunensi II. — Cf. Em. Card. Franzelin, *Tractatus de SS. Eucharistiæ sacramento et sacrif.*, th. XIV.

(2) Eamdem opinionem imputat B. Haureau (*Hist. de la phil. scol.*, seconde partie, t. II, p. 434) celeberrimo illi Roberto Holkot, cujus nominales opiniones sæpius amplexus est Alliacenus. Sed contradictoriam omnino sententiam meo quidem sensu, exponit iste doctor in *comm. I libr. Sent.*, q. I, 13.

(3) « Sic definitiones Ecclesiæ subterfugiebat, ait Dr Tschackert, et in campum apertum liberi examinis remanebat. Est quidam liberalismus philosophicus. » *Peter von Ailli*, p. 308.

(4) *S. Theol.*, I Pars, q. V, a. 5, ad 2um. — S. Bonaventura, *Breviloquium*, Prol. — Cf. Pium IX, *Brev. 30 mart. et 15 jun.* 1857 *de doctrina et libris Guntheri.*

confirmatam (1). Jam Gregorius IX ad Magistros Parisienses vehementissimam scripserat epistolam quæ submissionem philosophiæ erga fidem et theologiam docuerat (2). Jam Stephanus Parisiensis episcopus, nefarios errores a Bento in Universitate disseminatos damnaverat, ac præsertim censuras gravissimas inusserat opinioni asserenti quædam « esse nota et vera secundum philosophiam, sed non secundum fidem catholicam, quasi sint duæ veritates contrariæ, et quasi contra veritatem Sacræ Scripturæ sit veritas in dictis gentilium damnatorum (3). » Jam articulus erat Parisiis condemnatus, qui declarabat creationem esse impossibilem secundum philosophiam, possibilem autem secundum fidem, et Alliacenus ipse hanc damnationem approbare non dubitabat (4).

Sed quidquid illi magni doctores tradiderint, quidquid ipse Gersonius, Alliaceni discipulus et familiaris, eis opposuerit « qui se dici philosophos volunt et non sunt, quoniam, dum a religione secernere putant philosophiam, utramque perdunt (5), » funesta illius erroris semina in Parisiensi Studio perstiterunt usquedum ultimas sequelas eruerint Neo-Platonici illi qui litterarum renovationem, vel futuram paraverunt vel jam natam adjuvarunt (6), quique Protestantium hæresim ab incunabulis foverunt.

Logica enim necessitas intellectum humanum induxit

(1) Ita, post Syllabum Pii IX, Vaticâna Synodus in Const. *Dei Filius*, IV.

(2) Nonis julii 1223, *Tacti dolore cordis intrinsecus*, apud d'Argentré, *Coll. judic.*, t. I, col. 137.

(3) Anno 1227.

(4) *Principium in I Sent.*, f. IV, verso.

(5) *Sermo II in omn. Sanctis*, t. III, col. 1517; — Cf. Joannem de Goch, virum cæteroquin satis heteroclitam, *De libertate christiana*, l. I.

(6) Cf. Petrum Pomponatium, *De immortalitate animæ*. Ibi admittit pari consensu animam esse immortalem juxta Evangelium et mortalem secundum Aristotelem.

ut postquam subordinationem philosophiæ erga theologiam negasset, eas æquales esse æstimaret, eas deinde ab invicem dissentire et discedere juberet, ac demum ancillæ suaderet rebellionem erga dominam, sicque divortium rationis a fide perficeret. Nullus ideo est philosophus, ex iis qui inde a sæculo XV contra theologiam surrexerunt, qui Petro de Alliaco magnam non adscripserit ingenii libertatem et independentiam, magnam intellectus energiam et audaciam, cæterasque ejusdem generis virtutes quibus certo ipse carere maluisset, si laudes et laudatores potuisset prævidere.

CAPUT TERTIUM

Alliaceni Cosmographia et Geographia

Quæstio jam tractanda non ea tantum est quæ curiosos moveat sed quæ placeat etiam doctis : verus cosmographicæ et geographicæ scientiæ status, ineunte xv° sæculo, ex Alliaceni scriptis definiendus est. Quæ fuerint ejus opiniones, quorum vestigia presserit, in quos errores lapsus sit, quemnam in posteros et præsertim in Christophorum Columbum habuerit influxum, detegere possumus ex duobus præsertim operibus quæ de cosmographia reliquit et quæ sunt *Imago mundi* (1) et *Epilogus mappæ mundi*.

Imago mundi sexaginta capitibus absolvitur; agit de mundo et partibus ejus generatim, de circulis cœli imaginatis, de cursu solis et de quatuor elementis, de quantitate et divisione totius terræ secundum astronomos seu astrologos et secundum cosmographos; deinde de variis populis speciatim, de insulis, de maribus, de lacis et fluminibus, denique de ventis et eorum distinctione.

Epilogus mappæ mundi explicat divisionem cœli in novem sphæras, effectus et magnitudinem planetarum, theoriam zodiaci : tractat insuper de anno, die et horis; de figura terræ et ejus divisione; de mari, aere, igne et ventis; de

(1) Jam sub hoc titulo confectus fuerat liber Honorati Augustodunensis, qui, pluries transcriptus sæculo duodecimo, multum in scholis profuit, quique etiam de cosmographia, geographia et astronomia sapienter disputat.

inæqualitate dierum, de climatibus et de umbrarum varietate. Nonnullas majoris momenti opiniones aut quæstiones recenter agitatas examinare satis sit.

Terram esse sphæricam Alliacenus cum omnibus fere Patribus affirmat; nemo enim Lactantium (1), Cosmam Indicopleusten (2), Severianum Gabalorum episcopum (3) sequebatur iis sæculis quæ falso multi reputant densissimis tenebris obvoluta et erroribus scientificis repleta fuisse.

Mare quidem non universam terram modo cujusdam zonæ circumdat, sed majorem tantum ejus partem (4).

Si interrogetur « *de quantitate terræ habitabilis,* » respondet :

« Intelligendum est quod habitatio duplex consideratur, uno modo respectu cœli, scilicet quantum propter solem potest habitari, quantum non; alio modo consideratur respectu aquæ, scilicet quantum aqua impediat....

» Aristoteles (5) vult quod plus habitetur quam quarta pars terræ, et Averrhoes hoc confirmat. Et dicit Aristoteles *quod mare parvum est inter finem Hispaniæ a parte Occidentis et inter principium Indiæ a parte Orientis.* Et non loquuntur de Hispania anteriori quæ nunc Hispania communiter nominatur, sed de Hispania ulteriori quæ nunc Africa dicitur, de qua certi auctores loquuntur, uti Plinius, Orosius, et Isidorus. Insuper Seneca (6) dicit *quod mare est navigabile in paucis diebus, si ventus sit conveniens.* Et Plinius docet (7) quod navigatum est a sinu Arabico usque ad Gades, non multum

(1) *Div. instit.*, l. III, c. XXIV.

(2) *Topographia christiana,* apud Montfaucon : *Nova collectio Patrum,* t. II. — Item apud Migne, *Patr. gr.*, LXXX.

(3) Migne, *Patr. gr.*, t. LVI, p. 429. — Cf. Vigouroux, *Cosmographie des Pères*, II, p. 50.

(4) *Epilogus mappæ mundi,* Ms. Bibl. Cameracensis, 826, f° 64.

(5) *De cœlo,* l. II, c. XIV, n. 14-15.

(6) Lib. I, *Quæst. naturalium.*

(7) Lib. II *Histor. natur.*, c. LXVII. — Item *Imago mundi*, LI.

magno tempore. Unde concludunt aliqui apparenter quod mare non est tantum quod non possit cooperire tres quartas terræ. Accedit adhuc auctoritas Esdræ, libro IV, dicentis quod sex partes terræ sunt habitatæ et septima est cooperta aquis : cujus auctoritatem libri sacri habuerunt in reverentia et veritates sacras per eum confirmarunt (1). »

Quam falsæ sint istæ conjecturæ nemo non videt. Attamen opiniones illæ quas (2) primus tradidit Aristoteles, quasque post eum geographi omnes tum Græci tum Arabes, universaque scholasticorum turma tenuerunt (3) non paululum stimularunt Columbum ut in magno consilio perseveraret novamque terram adiret.

De Antipodum quæstione, ecce quid sentiat Alliacenus :

« Non est accessus inter nos et eos quia oporteret transire per torridam zonam et specialiter sub tropicis. Secundum istam opinionem, illa gens non habuisset notitiam prædicationis Christi et Apostolorum, contra illud : In omnem terram exivit sonus eorum. Ideo eam reprobat Augustinus (4). Secundum alios, illa plaga majori pro parte cooperta est aquis (5). »

(1) *Imago mundi*, VIII. *De quantitate terræ habitabilis*. — Alexander de Humboldt observat hunc Petri Alliaceni textum desumi fere litteraliter eximio Rogerii Baconis libro cui titulus : *Opus majus* : Rogerium vocat de Humboldt « la plus grande apparition du moyen âge. » (*Cosmos*, t. II, 2 p. 6e sect.) — Cf. Emile Charles, *Roger Bacon*, p. 267.

(2) Cf. Vivien de Saint-Martin, *Histoire de la Géographie*, p. 117.

(3) Cf. ex. gr. D. Thomam, in lib. II *de cœlo et mundo*, lectione XXVIII. Non tamen meruerunt Patres insectationes Joannis Antonii Letronne (*Revue des Deux Mondes*, 1re partie, 1834, pp. 602-632) aliorumque minus ipso doctorum. — Cf. Draper, *Histoire des conflits de la science et de la religion*, 1875, pp. 47 et 110.

(4) *De civit. Dei*, XVI, 9. « Quod vero et antipodas esse fabulantur, id est, homines a contraria parte terræ, ubi sol oritur quando occidit nobis, adversa pedibus nostra calcare vestigia, nulla ratione credendum est. » — Cf. Lactantium, *loc. cit.* — Famosa decisio Zachariæ Papæ contra Virgilium episcopum, in errore facti fundamentum habuit. — Contra Augustinum opinati sunt Vener. Beda, *De ratione temporum*, c. XXXIV, Gulielmus a Conchis, *Philosophia mundi*, l. II, c. 2. (Migne, *Patr. lat.*, CLXXII, col. 87.) — Divus Thomas, *In lib. II Meteor.*, lect. IX. — Cf. Plinium, *loc. cit.*, II, 67 ; et Platonem in *Timæo*.

(5) *Imago mundi*, VII, *De varietate opinionum circa habitationem terræ*, Ms. Bibl. Cameracensis, 826 et 852.

Pluribus autem suo more relatis opinionibus, post nonnullos dubitat Petrus utrum facultas detur ad antipodas illos perveniendi.

Multa novit quæ recenter inventa sæpe creduntur. Juxta eum, centrum Africæ a plurimis incolis habitatur (1), fretumque Hispaniam inter et Africam primitus non exstabat, sed apertum est post multa tantum sæcula. Isthmum nunc Suezii vocatum, perforatum fuisse a regibus Ægypti affirmat (2). Profunditatem maris æstimat esse quatuordecim milliariorum, et circuitum terræ 15,750 leucis mensurat (3).

Ubi « de parte barbarica » Europæ disputat, ita Germaniam, Galliam et Belgium describit :

« Germania est terra dives artium, ac populis numerosis et immanibus. Inde et propter fœcunditatem gignendorum populorum Germania dicta est (4). Gallia a candore populi nominata est. Gala enim græce lac dicitur.... Regio gleba uber ac pabulosa et ad usum animalium apta; fluminibus quoque et fontibus irrigua.... Gallia autem Belgica a civitate quæ Belgis dicitur vocata est.... Orosius et alii cosmographi nihil pene locuti sunt de Franciæ regno in Galliis constituto, quod omnium regnorum Europæ nunc maximum est ; nihil de præcipua civitate Parisiis, quæ est velut quædam mundi lucerna et maximum tam divinarum quam humanarum Studium litterarum ; nihil de regione Lotharingorum, Leodiensium, Hannonensium, Cameracensium, Brabantinorum, Flamingorum et aliorum plurimorum in quibus sunt urbes et oppida, populique numerosi et multis bonis ac divitiis copiosi (5). »

Aristotelis (6) præsertim ac Plinii (7) vestigia premit.

(1) *Imago mundi*, LI.
(2) *Imago mundi*, LI.
(3) *Epilogus mappæ mundi*, passim.
(4) *Imago mundi*, XXVI. — Cf. Isidorum, *Etymol.*, IX. 2, XIV. 4.
(5) *Ibid.*, XXX.
(6) *De cœlo*, l. II, XIV.
(7) *Hist. natur.*, ll. II et VII.

Solinum (1), quem Plinii simiam vocarunt sæpe refert, necnon et Ptolomæum (2), Senecam (3), Paulum Orosium (4), Isidorum Hispalensem (5), maxime vero Rogerium Baconem (6), quem *doctorem mirabilem* omnes coævi nuncuparunt. Commentatores Arabes et imprimis Averrhoem novit et commemorat. Non tamen aniles fabulas, et Arabum mendacia devorat. Alto premit silentio, mare tenebrosum, monstra quæ aditum alterius hemispheræ præpediunt (7), aliaque id genus mira. Sed viatorum testimonia ore vel scripto prolata ignorat aut despicit. Anno tamen 1410 quo jam episcopus scribebat, Genuenses et Dieppenses nautæ mare Oceanum usque ad Senegalem fluvium cui *aurei fluminis* dederant nomen, lustrarant, insulas Canarias, Açoreas, et Cycladas circa Maderam optime noverant. Orientem cruciati milites aut peregrini illustraverant. Juvant etiam nunc relationes *Ascelini* dominicani, *Joannis de Plan-Carpin* franciscani, præsertim *Gulielmi de Ruysbroeck* (Rubruquis) cordigeri (8), *Marci Poli*, et tot filiorum S. Francisci qui in Tartaria,

(1) *De Memorabilibus mundi*, (an. 230 post Christum).

(2) *Hyphegeses Geographiæ*.

(3) *Quæstiones naturales*, passim.

(4) *Historiæ adversus paganos* libri VII. — In mss. Alliaceni opus Orosii vocatur *Ormista vel Ormesta*. *Principium in cursum Bibliæ*, in opp. Gersonii, t. I, col. 612. Quid hoc nomen significet inter peritos disputatur, et adhuc sub judice lis est. Aliqui tamen opinantur hanc insolitam inscriptionem esse abbreviationem istorum verborum *Orosii mundi historia*, vel *Orosii mæsta*, vel usurpatur pro *Orchesta* seu scena, vel denique sumitur pro miseria mundi. — Cf. Didot, *Nouvelle biblioth. générale*, t. XXXVIII; — Havercamp, apud Migne, *Patr. lat.*, t. XXXI, col. 642. — Cf. etiam Fabricium, *Bibl. lat.*, t. V, p. 168; — Du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ latinitatis*, (Edit. Didot, 1842), t. III, p. 697.

(5) *Etymologiæ*, XI et XIII. — Non agitur autem hic de Isidoro de Charax (3e sæculo ante J.-C.) uti plures censuerunt. Cf. Mangeart, *Catalogue de la bibl. de Valenciennes*, no 331.

(6) *Opus majus*.

(7) Cf. Roselly de Lorgues, *Christophe Colomb*, l. 1er, c. III.

(8) Istos tamen commemorare non ambigit Rogerius Baco (Cf. Emile Charles, *op. cit.*, p. 332).

Mongolia, et in omnibus orientalibus plagis fidei semina ab antiquo sparserunt (1). Hos si audivisset Petrus, fabulas respuisset a Plinio derivatas quibus nimis revera indulget, uti quando scribit capitulo XVI *Imaginis mundi* :

» In India, sunt *Pygmæi* duorum cubitorum homines quibus bellum est contra grues, qui tertio anno pariunt, octavo senescunt. Sunt ibi *Macrobii* duodecim cubitorum longi qui bellant contra griffos et corpora leonum habent... Sunt ibi quædam hominum monstra, ut qui adversas habent plantas et octonos in pedibus digitos. Alii qui canina capita habent, quibus vestis est pellis pecudum et vox latratus canum..... Sunt quoque ibi monoculi qui et *Charismasi* vocantur, et *Cænopes*, qui et *Cyclopes* vocantur, qui uno tantum fulti pede auram cursu vincunt, et in terra positi umbram sibi, planta pedis erecta, faciunt. Alii quoque sine capite, quibus oculi sunt in humeris ; pro naso et ore duo foramina habent in pectore (2). In India sunt montes aurei, quos adire propter dracones et griffos et immensorum hominum monstra, impossibile est (3)... In medio Judææ est Hierosolyma, quasi umbilicus totius regionis, ut de terra Judææ possit intelligi : *Operatus est salutem in medio terræ* (4)..... De ortu vero Nili ex Paradiso Scriptura testis est quæ hunc inter quatuor Paradisi flumina commemorat. Sed ubi in nostram habitationem erumpat a diversis diversimode existimatur (5). »

Mentionem tantum injiciamus opusculi quod scripsit

(1) Cf. epistolam Alexandri IV anno 1258 Viterbii scriptam Fratribus Minoribus proficiscentibus in terram Saracenorum, Cumanorum, Æthiopum, Syrorum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Moscelinorum, Tartarorum, aliarumque infidelium nationum Orientis. — Ap. Bonelli, *Prodromus ad opera omnia S. Bonaventuræ*, l. I, c. VI, 27.

(2) Cf. Plinium, *Hist. natur.*, l. VII, 16 et 23, et J. Solinum, *De memor. mundi*, c. LXV. — Cf. etiam Tertullianum, *Apolog.*; — Isidorum, *Etymol.*, l. XI, c. III, apud Migne, *Patr. lat.*, LXXXII ; — Augustinum, qui tamen addit : « Omnia genera hominum quæ dicuntur esse credere non est necesse. » *De Civit. Dei*, XVI, 8.

(3) *Imago mundi*, XV.

(4) *Ibid.*, XXV. — Non illas omnes nugas admisit Bartholomæus Anglicus seu de Glanvilla cujus opus *De proprietatibus rerum* tam sæpe medio ævo editum est, cujusque auctoritas tam sæpe in medium prolata fuit.

(5) *Imago mundi*, LV.

Alliacenus *Super libros meteorologicorum* Aristotelis, sæpissime recusum et magna olim in scholis auctoritate potitum. Tractatus est physices, in Aristotele non in experientia fundatus, de omni re scibili disserens, exempli gratia, de tribus indigestionis et digestionis speciebus, de cœlesti arcu, de flamine et flammis, de duro et molli, de altitudine montis Caucasi, etc. Si eum audias, credas aera in tres partes dividi, supremam nempe, mediam et infimam.

« Prima pars et tertia sunt in motu, secunda autem in continua quiete sive tranquillitate et sic efficitur frigida. Cur? Respondet Petrus de Alphernia (1), dicens istam regionem fieri frigidam a stellis ; quam causam non approbo, nam secundum Aristotelem stellæ sunt effectivæ caloris (2). »

Sphæricum opusculum Joannis de Sacro-Bosco (3), quod præ manibus omnium alumnorum erat, commentariis etiam auxit Petrus, et quatuordecim quæstionibus illustravit, in quibus easdem scientiæ dotes, eadem vitia reperies. De eo dictum crederes quod lepide simul et acute scribebat multo recentius Caramuel, vir cæteroquin singularis : « Cognosco, inquit, homines eruditos, qui non audebunt dicere solem esse lucidum, nivem albam, picem nigram, ignem calidum, nisi alicujus veteris philosophi testimonio juventur. Quod legerunt exscribunt, quod audiverunt, repetunt; vellent loqui cæcis, ut potius asseclas quam contradictores haberent.

(1) Petrus ille, O. P., antea Canonicus Eccl. Parisiensis, † 1304 circiter, auctor est tractatus in quatuor libros Meteorologicorum et supplementi commentarii S. Thomæ in *lib. III de cœlo et mundo.* (*Hist. litt. de la France*, t. XXV, p. 104.) — Cf. Hauréau, *Hist. de la phil. scol.*, seconde partie, t. II, p. 156.

(2) Cf. Aristotelem, *Meteorol.*, I, 3.

(3) Iste Joannes, Anglus, Parisiensis Doctor, opiniones Ptolomæi, Thebithi, Alphragani, breviter contraxerat. — Cf. tractatum *de l'Espere* quem gallice scripsit Nicolaus Oresmius, olim Navarricus sodalis, Lexoviensis episcopus, et qui in Bibl. nation. ms. asservatur (Fonds français, 7065 et 7487). De eo lege Fr. Meunier : *Essai sur la vie et les ouvrages de Nicole Oresme* (1857), p. 58.

Nulla fides vestrum oculis est debita : plena
Verbis sed nostris est adhibenda fides.

» Acquiescunt huic præcepto plurimi quibus condoleo, rapiuntur a torrente veterum et torrente ipsi suo juniores rapiunt (1). »

Labores tamen Alliaceni nostri in hac provincia, quantumvis exigui et incompleti fuerint, maximam utilitatem reipublicæ christianæ totique orbi attulerunt. *Imago mundi* rotunditatem terræ, exsistentiam Antipodum, possibilitatem transfretandi ab Hispania in India, cœteraque ejusmodi asserens, certissime sub oculis Christophori Columbi erat, dum iter magnum illud quo mundus veluti duplicatus est meditabatur. Rem evincit ipsum volumen in Bibliotheca Columbina Hispalensi asservatum, et notulis ipsa Christophori manu descriptis decoratum (2). Testes etiam sunt nonnullæ Columbi epistolæ ad reges et principes directæ, quibus Alliaceni auctoritate utitur ejusque verba refert. Factum insuper narrat eruditissimus vir Roselly de Lorgues, qui gloriæ hispanici herois tantopere profuit (3).

Alliacenum præterea, vestigiis Plinii (4) insistentem, Vasco de Gama ducem exstitisse, etsi non ausim affirmare, probabiliter saltem opinari liceat, simul atque ipsi gratulari pro tantis ingenii et studii sui fructibus.

(1) *Theologia moralis fundamentalis*, Fundamentum X, (Francofurti, 1652), p. 98.

(2) Id nobis testari dignatus est R. Fernandus Arboli Bibliothecæ capitularis Hispalensis custos, qui Columbi notulas in Alliacenum nobis etiam transmisit. Ex libris Fernandi, secundi Columbi filii, olim fuerant. — Cf. *Etud. relig.*, *De l'influence de la religion dans les découvertes du XVe siècle*, (an. 1876).

(3) « Entre tous les livres, l'Image du monde, l'*Imago mundi* du Cardinal Pierre d'Ailly paraît seul avoir acquis sur l'esprit de Colomb un crédit auquel le rang ecclésiastique et l'orthodoxie de l'auteur n'eurent pas moins de part que sa science. » *Christophe Colomb*, par Roselly de Lorgues, l. 1er, c. VII.

(4) *Hist. natur.*, t. II, c. 7.

CAPUT QUARTUM

Alliaceni astrologia

Venio nunc ad materiam gravissimam ob quam superstitionis aut erroris reus olim (1) et temporibus etiam nostris habitus est Alliacenus. Agitur scilicet de Astrologia vel astronomia, nam ii termini tunc erant synonymi, cui plurimum incubuit, et quæ nobis revera videtur fuisse 1° partim *superstitio*, 2° partim *scientia falsa*, 3° partim *scientia vera*. Superstitioni autem generaliter repugnat Doctor noster, scientiæ falsæ nimium quandoque favet, sed etiam sinceræ scientiæ studet, nonnullasque rectas conclusiones, quibus posteriora sæcula annuerunt, primus ponit, enormia quædam sui temporis errata feliciter vitans.

I

« Ideo veneranda est astronomiæ scientia quæ cœlorum mensuras, eorumque motus, influentias et virtutes considerat, ac per hoc ad contemplandam Dei gloriam ejusque gloriosam

(1) Immo magiæ accusationem tulerunt plures adversus Alliacenum, præsertim nonnulli Cappellæ regiæ Canonici qui, jubentibus superioribus, thesaurario suo Petro nostro veniam petere coacti sunt. D. Greuler, *Analecta juris pontificii*, 1876, p. 906.

sapientiam et potentiam mentes hominum sursum levat (1). Sed sunt nonnulli superstitiosi astrologi qui hanc scientiam, quantum in se est, Christi fidelibus contemptibilem reddunt, quia ejus limitibus non contenti, dum astronomiæ potestati plus quam ei debitum est attribuunt, indebite Dei potentiæ fideique christianæ detrahunt (2). »

Sic describit Alliacenus illegitimum simul ac legitimum scopum hujus scientiæ, cujus tanta fuit illis sæculis auctoritas, quæque maxima plurium peritorum absumpsit studia (3). Homo enim, quæ futura sunt prænoscere cupiens, astra libenter, somnia et auguria, quæcumque fingi possunt, interrogat.

Joannes Sarisberiensis, sæculo XII°, tanquam veram agnoverat et veluti bonam laudaverat quamdam astrologiæ speciem, his verbis :

« Est Astrologia nobilis et gloriosa scientia, secundum clientelam suam, si intra moderationis metas se exhibeat ; quas si immoderate excedat, non tam philosophiæ species quam impietatis discipula est (4). »

(1) Cf. sermonem die omnium Sanctorum, Constantiæ, anno 1416, ab Alliaceno habitum, apud Tschackert, *op. cit.*, *Appendix*, p. 48.

(2) Locum in editione Dupinii corruptum (t. I, p. 778) juxta ms. Bibl. Cameracensis restituimus. Sic fere Gersonius in *trilogio astrologiæ theologizatæ, Proœmium*, t. I, p. 189.

(3)
Ki astronomie saurait bien
Raison saurait en toute rien (chose).
Diex fit toutes riens par raison,
Ki cascune dona son nom.
Par ceste fu premiers enquise
Toute autre science et aprise
Et decres et divinites
Par quoi toute Crestientes
Est convertie a droite foi
De servir Dieu le vrai roi.

Gautier de Metz, 1245. Apud Lebœuf, *Dissert. sur l'hist. eccl. et civile de Paris*, t. II.

(4) *Polycraticus*, lib. II. — Cf. *De falsis prophetis*, in opp. Gersonii, t. I, col. 703 ; Nic. Oresmium, *Traité contre les divinations et contre l'Astrologie judiciaire*, ms. in Bibl. nat., 1907 ; Gersonium, *Trilogium astrologiæ theologizatæ*, opp. t. I, col. 189.

Sed eos limites sæpissime violatos fuisse, præsertim a sectatoribus astrologiæ *judiciariæ*, historia tota medii ævi demonstrat. Unde hæc Alliaceni querela :

« Quidam astronomicis libris superstitiones exsecrabiles artis magicæ miscuerunt (1).

» Alii tantam potestatem astris concedunt ut *sine Dei voluntate* decernant quid agamus vel quid bonorum habeamus malorumve patiamur. Alii sunt qui positionem stellarum quodam modo decernentium qualis quisque sit, et quid ei proveniat boni quidve mali accidat, *ex Dei voluntate suspendunt*, id est dependere asserunt... tunc stellæ haberent voluntatem, vel arbitrium voluntatis, quia veluti suo decreto nostris agendis legem imponerent (2). »

Nec minus impugnat sententiam *Genethliacorum* qui, quomodo astra posita fuerint in die nativitatis cujusquam spectantes, ex diverso situ diversa prænuntiant, et secreta fata a consideratione natalium describunt (3). Refellit sententiam seu potius hæresim, quæ creationem rationabilium animarum ab astris pendere, earumque mores a stellis infallibiliter et directe gubernari docet (4), humanam libertatem ita destruens.

Casuales seu fortuitos eventus, futuraque hominis opera certo posse per astrologiam præcognosci negat, *Planetariorum* opiniones detegit, deridet, et quatenus fidei oppositas vehementer impetit. Tales astrologos inter falsos prophetas

(1) *Vigintiloquium de concordia astronomicæ veritatis cum theologia*, II. (Ms. Bibl. Cameracensis, n. 828 et 852.) — Cf. Gersonium, t. I, col. 210.

(2) *De falsis prophetis*, in opp. Gersonii, t. I, col. 589. — Cf. ipsum Gersonium, *loc. cit.*, col. 190; *Recherches sur l'état des lettres, des sciences et des arts en France sous Charles VI et Charles VII*, par l'abbé comte de Guasco, 1746. (*Collection des meilleures notices*, par C. Leber, t. XV, p. 209.)

(3) Cf. orationem Joannis Lensæi, Belliolani, sacræ theologiæ Lovanii professoris, contra Genethliacorum superstitionem, (Lovanii, 1579).

(4) *De falsis prophetis*, in opp. Gersonii, t. I, col. 596. — Cf. Gersonium, t. I, col. 190; Augustinum, *De Civit. Dei*, l. V et seqq.

recenset, declaratque eorum scientiam nihil esse nisi vanitatem et insaniam falsam. Pariter condemnat :

« Scholam phantasticam Mathematicorum, qui dicentes se esse sapientes stulti facti sunt (1).... In primo hujus scholæ ingressu quosdam reperio sibi nomen Mathesis usurpantes indebite, quorum infamia tota fere Mathematicorum schola infamis redditur et suspecta (2)... Deo enim claudente nemo aperit, et sane frustra sudatur divinitus obserata humanitus reserare (3). »

Ne unquam astra et astrologos interrogent sedulo deterret :

« Reges et alios in apice libertatis constitutos; nam tales non debent esse otiosi in contemplatione scientiarum speculativarum, sed negotiosi in regimine rerum politicarum. Noxia curiositate solliciti non nitantur ergo vanis artibus occulta perquirere et investigare futura (4). »

Quum tunc temporis in aulis omnibus et in ipso regum

(1) *Principium in cursum Bibliæ*, in opp. Gersonii, t. I, coll. 612 et seqq.

(2) *Ibid.*, col. 613.

(3) *Ibid.*, col. 614.

Idem observabat Alliaceni coævus Eustacius Deschamps :

« Homs de ses maulx ne se puet excuser,
Quant Dieu lui a tele grace donnée
Qu'a son vouloir puet de franchise user
Contre tout sort et toute destinée.
Et ja soit ce que creature née
Soit encline par constellacion
A bien ou mal, franche discrecion
Pour résister et fuir sa fortune
Le doit mouvoir, car franche éleccion
Dieu donne a chascun a chascune.. »

(Balade CCLXXXIX, t. II, p. 144. Edit. Queux de Saint-Hilaire, 1880.)

(4) *De falsis prophetis*, in opp. Gersonii, t. I, coll. 592, 602 et 790. — *Altera apologetica defensio astronomicæ veritatis*, Ms. Bibl. Cameracensis, n° 828, p. 99; n° 852, f° CXIX. — Cf. Nic. Oresmium, *loc. cit.*, et ipsum Gersonium, t. I, col. 191, prop. 4; et col. 197, prop. 25. — Raymundus Lullus, ineunte sæculo XIV, de astrologia scripsit ut ab ea reges et nobiles arceret. (*Histoire litt. de la France*, t. XXIV, p. 309.) — Eodem sensu ante ipsum regem jam prædicaverat Alliacenus (*Imago mundi*, p. 142), et fere eadem circa vitæ finem ad Gersonium scripsit. (Cf. nostram primam partem, p. 137.)

Galliæ palatio vigerent astrologorum principia et dicta (1), quumque libri astrologici Ptolomæi, Albumazaris, Haly, Avicennæ et Averrhois apud christianos et in ipso Parisiensi Studio tolerarentur, rem non inutilem, non ignavam agebat Alliacenus ista dum scriberet : ab erroribus sæpe damnatis (2) liber ipse, et nullum reprehensioni dans locum, nisi forte quibusdam nimium ambiguis expressionibus quas aut parum cavere debuit, aut nos ipsi, post quinque jam sæcula minus intelligimus.

II

Falsæ tamen scientiæ erratis assensit et indulsit Petrus. Modus quo influxum siderum in homines privatos ac in generales sectas explicabant Astrologi, nostram utique admirationem movet. Cœlum enim pro suo arbitrio dividebant in duodecim partes, totidem Zodiaci signis respondentes, quas *domos* dicebant. De his ita habet Alliacenus :

« Primam dabant Saturno, secundam Jovi et sic ulterius juxta ordinem planetarum... Ptolomæus, Albumazar, Archabucius, et alii omnes assignaverunt istis domibus proprietates suas, quarum prima est domus vitæ, secunda domus substantiæ,

(1) Thomas de Pisan Caroli V erat astrologus cui, inquit Christina ejus filia, debuit rex omnes victorias quibus imperium suum decoravit. (*Vision de Christine*, cf. *Livre des fais et bonnes mœurs du sage roi Charles V*, l. III, 11.) — Trecentos astrologiæ libros in sua bibliotheca possidebat Carolus. (Van Praet, *Catalogue de Gilles Mallet.*)

(2) Cf. *Leonis Papæ epistolam 15 dogmaticam ad Turribium Asturicensem episcopum de erroribus Priscillianistarum*, nn. 11 et 14; — *Professionem fidei Concilii Hispaniarum et Lusitaniæ plenarii Toleti*, a. 447 habiti, n. 15. — D'Argentré, t. I, pp. 252 et 324. — Cf. etiam determinationem Facultatis Theologiæ apud Gersonium, t. I, col. 218; — item apud Bulæum, *Hist. Univ. Paris.*, t. IV, p. 864. — Cf. tandem Decretum, II, causa XXVI, 3 et 4; ubi astrologia tamquam superstitiosa damnatur.

et sic de cæteris, juxta suas proprietates et dispositiones naturales (1). »

Si quis ergo cupiebat astra consulere de sorte alicujus privati vel de futura regnorum fortuna, dispositionem stellarum in diversis *domibus* considerabat, earum descriptionem seu *thema* statuebat; *domum* præcipuam et sidus in ea præeminens inquirebat; et quomodo ejus influxus a vicinis astris modificaretur diligenter librabat. Deinde, juxta diversas significationes gratuito sideribus attributas, *judicium* proferebat de vita vel morte, de beatitudine vel infelicitate futura, unde nomen astrologiæ *judiciariæ* acceptum fuit. Quum istius artis regulæ nutantes et prorsus variæ essent, astrologorum judicia sibi contradicebant invicem, neque in alio consonabant quam in obscuritate et ridicula solemnitate.

Non eo usque processit Alliacenus, sed, uti pluries fatetur :

« Inter duas extremas opiniones, quarum una astronomicam potestatem nimium videtur extollere, alia vero nimium deprimere, mediam tenere viam melius existimo, prout declaravi plenius in tractatu *de legibus et sectis contra superstitiosos astronomos* (2), et in quibusdam tractatulis *de concordia theologiæ et astronomicæ veritatis* (3). De his vero nunc ista sufficiant. Nam, licet astronomica judicia non prorsus contemnenda videantur, tamen in his quæ fidei sunt, in quantum omnino naturalem rationem excedunt, non tam utiliter quam curiose tractantur (4). »

(1) *De legibus et sectis*, c. II; in opp. Gersonii, t. I, col. 781.

(2) *Ibid.*, col. 780.

(3) *Apologetica defensio astronomicæ veritatis adversus opinionem Henrici de Hassia*, ms. Bibl. Cameracensis, n° 828, f. 89 et 852, f. 116, verso.

(4) *Sermo in die sanctorum*, (an. 1416); ms. in Bibl. Vindobonensi, publicatus a P. Tschackert, *Peter von Ailli, Appendix*, p. 44. — Cf. *Alteram apologeticam defensionem*, ms. in Bibl. nat. Paris., n°s 14579 et 14580, f° 100.

Duplex adversariorum genus, ut vides, impugnabat Alliacenus; eos qui astrologiam omnibus scientiis prævalere dictitabant, eos deinde qui illam floccifaciebant et deridebant. Cuidam Anglo, quem Rogerium Baconem putamus, et qui post Arabes nimium astrologiæ tribuebat, contradicit aperte (1). Attamen simul Henricum de Hassia (2) et Nicolaum Oresmium (3) reprehendit, eo quod non satis eidem concedant. Henricus enim, in sermone de Nativitate B. Mariæ, influxum siderum in hominum nativitatem uti superstitionem impugnare ausus fuerat. Nicolaus vero plures scripserat tractatus adversus astrorum judicia (4). Henricum igitur, « licet venerandæ memoriæ sit doctor, » increpare

(1) *De legibus et sectis contra superstitiosos astronomos*, II et VII. — « Au xve siècle, un docteur vénéré, Pierre d'Ailly, compose à ce sujet un livre tout entier, qui débute par l'exposition de deux doctrines opposées; l'une est celle de Guillaume d'Auvergne, qui condamne énergiquement cet abus de l'astrologie; l'autre est celle d'un docteur anglais, dont Pierre d'Ailly n'ose pas dire le nom, homme suspect, dont il ne parle qu'avec une sorte de terreur et de répugnance, et contre lequel il s'élève avec mépris. Cet auteur si décrié, cet impie qui a osé soutenir de pareils blasphèmes, cet Anglais dont les opinions sont exposées dans les termes mêmes dont il s'était servi, c'est notre docteur, c'est Roger Bacon. Ainsi, pour un scolastique du xve siècle, esprit du reste éclairé et indépendant, le premier auteur de cette pensée qui trouble encore la science et inquiète l'Eglise, ce n'est pas Albumazar, ce ne sont pas les Arabes; non, c'est l'audacieux moine d'Oxford. » Ita vere quidem sed emphatice nimis Emilius Charles, *Roger Bacon*, p. 49. — Cf. hac de re C. Narbey, *Le moine Roger Bacon* (*Revue des questions historiques*, t. XXXV, 1884, p. 158).

(2) *Apologetica defensio astronomicæ veritatis*, loc. cit. — Henricus ille de Hassia cognomento de Langenstein, magister in theologia, fuit Vice-Cancellarius Parisiensis, et docuit Viennæ in Austria ab anno 1384 ad 1397, quo diem obiit supremum.

(3) *Altera apologetica defensio*, ibid.

(4) Nic. Oresmius, Navarricus sodalis, † 1382. Cf. ejus *Tractatus de divinationibus contra judiciarios astronomos et principes in talibus se occupantes*, (Ms. in Bibl. nation., fonds latin, 100 et 111); *de uniformitate et difformitate intentionum* (ibid., 100, 111 et 7371); *de proportionibus proportionum* (ibid., 7371); *de proportione motuum cœlestium* (ibid., 7378); *utrum res futuræ per astrologiam possint præsciri?* (ibid., 439); *traité contre les divinations et l'astrologie judiciaire* (ibid., fonds français, 1907). — De his omnibus cf. Francis Meunier, *Essai sur la vie et les ouvrages de Nicole Oresme*, pp. 30 et 48, et Carolum Jourdain, *Revue des questions historiques*, 1875, p. 136.

non ambigit Alliacenus. Affirmaverat scilicet ille notum esse christianis omnibus B. Mariam nullatenus gubernatam fuisse ordine planetarum, neque Jovem noni mensis rectorem, ut aiebant, hujus virginis natalibus præfuisse. « Ista omnia, respondet Alliacenus, facilius est dicere quam deducere. » Etsi pariter Nicolaus « eximius sit magister, » male dubitavit de judiciorum astrologicorum auctoritate et utilitate ; et si quæ .sint in eis contradictiones, artis difficultatem unice ostendunt. Ptolomæum autem (1), Augustinum (2) et D. Thomam (3) prosequens, Petrus noster influxum astrorum in voluntatem et actus humanos admittit, quatenus ipsa agendo in vires sensitivas, producunt dispositionem remotam et contingentem, non vero directam et necessariam qua nec aufertur nec læditur humana libertas.

« Astra enim imprimunt in corpora, et plures sunt qui tales impetus naturales sequuntur; pauciores autem, id est soli sapientes, qui occasiones male agendi et naturales impetus non consequuntur (4). »

Ulterius procedens, licet astrologicis judiciis non repugnet (5), licet hac stellarum scientia disciplinas alias et præsertim sacram theologiam multum juvari posse declaret, ingenue tamen fatetur, nonnullas istarum prædictionum generaliter tantum, at non distincte et specialiter factas fuisse (6).

(1) *Centilogium de falsis prophetis,* in opp. Gersonii, t. I, col. 592.

(2) *De Civit. Dei,* V. — *De falsis prophetis,* ibid.

(3) 2ª 2æ, q. XCV, a. 5. — Cf. *in II Sent.,* Dist. VII, XV et XXV ; — *De judiciis astrorum,* opusc. XXII.

(4) *De falsis prophetis,* in opp. Gersonii, t. I, col. 592.

(5) « Distinguere vel consignare in zodiaco divisos gradus et domos, quibus Astronomi varias attribuunt potestates seu proprias virtutes, non est penitus reprobandum. » *Altera apologetica defensio astronomicæ veritatis,* Mss. Bibl. Cameracensis, nis 828 et 852, prop. 3. — Cf. Ambrosium, *Hexaemeron,* IV.

(6) *Ibid.,* coll. 554 et 592. — *Altera apologetica defensio astronomicæ veri-*

Quid porro utilitatis in tali divinatione incerta et in genere ac in confuso tantum proposita? Quid valeant hæc judicia de futuris? Nonne cum Alliaceno concludendum est hoc modo :

« Experientia docet quod propositiones quæ in libris judicialibus sunt positæ ut plurimum fictæ sunt, et absque ratione voluntarie divinatæ, uti patet cuilibet non affectato libros hujusmodi intuenti.... Judicia Astrologorum debilissimis et frivolis persuasionibus vallata sunt, et quemadmodum pollicentibus impossibilia, ita quærentibus inutilia videntur. Nam sicut notat Ambrosius : laboriosos et patientes servitutis aiunt quos nascentes Taurus aspicit, id est qui sub signo Tauri nascuntur, quia taurus animal laboriosum est et assuetum jugo sponteneæ servituti colla submittit (1). »

Sed sibi parum constat auctor noster, de re diversis temporibus diversa proferens, et tanta obscuritate ut ex hoc duplici capite molestias multas legentibus afferat. Immo, jam episcopus, non veretur ita scribere :

« Quum omne verum omni vero consonet, necesse est veram astronomiæ scientiam veræ theologiæ concordare. Licet multi in astrologia decepti fuerint, eorum errores non solum a sacris theologis, sed a veris astronomis fuerunt reprobati. Theologis omnino utile est astrologiam studiosius indagare; et inter varias utilitates, una esset theologicis prophetiis astronomica judicia respectu quorumdam futurorum eventuum coaptare (2). »

Figura quippe cœli liber est quidam naturalis ipsa Dei

tatis. Prop. I. Ms. Cameracensis Bibl., nis 828 et 852. — « Ces doctrines qui excitent notre pitié sont générales au XIIIe siècle. Albert n'en fut pas exempt. Saint Thomas ne fait qu'exprimer des réserves sans nier la science. Guillaume d'Auvergne le plus résolu de tous, restreint les jugements astrologiques, mais ne les supprime pas. » (Emile Charles, *op. cit.*, p. 47.)

(1) *De falsis prophetis*, *op. cit.*, col. 595. — Cf. Ambrosium, *Hexaemeron*, IV, Apud Migne, *Patr. lat.*, t. XIV, col. 195, n. 15. — Adversus Priscillianistas lege Gregorium Magnum, *Homil. X in Evang.*; apud Migne, *Patr. lat.*, LXXVI, col. 1110.

(2) *Vigintiloquium de concordia astronomicæ veritatis cum theologia*, (ms. Bibl. Cameracensis, nis 828 et 852).

manu scriptus, in quo « tanquam litteras seu quasi scripturas legibiles fecit Creator cœlestia luminaria, ut sint in signa et tempora (1). » Ac proinde « omnes leges et sectæ, sicut secta Mahometi vel sectæ Idololatriæ aut aliæ hujusmodi cœlesti dispositioni naturaliter subsunt (2). » Quod asserit non tantum de sectis « quæ humana adinventione seu diabolica suggestione introductæ sunt, » sed etiam de lege christiana, quoad illa quæ naturalia sunt vel naturaliter fiunt. Præcipui ergo eventus qui contingunt in mundo pendent a conjunctionibus quæ in cœlis fiunt, et unaquæque natio sub proprio Zodiaci signo movetur; ita Gallia est sub signo Cancri (3). Quum Saturni et Jovis fit conjunctio maxima in capite Arietis, tunc, inquit, « si eorum tempora notaverimus et ad ea historias applicemus, inveniemus profecto circa hujusmodi annos magnas et mirandas mutationes in hoc sæculo evenisse (4). » Pergit autem hoc modo : « In omnibus nongentis sexaginta annis, fit amborum maxima conjunctio, et significat super mutationes imperiorum et regnorum (5). »

(1) *De legibus et sectis contra superstitiosos astronomos*, in opp. Gersonii, t. I, coll. 790 et seqq. — Item *Sermo in die omnium Sanctorum*, apud Tschackert, *op. cit.*, *Appendix*, p. 43.

(2) « Ce fut, en effet, une des rêveries de l'astrologie arabe de faire dépendre, entre autres choses, les religions et leurs sectes des conjonctions des planètes. Le premier auteur où l'on trouve cette étrange idée est Albumazar, l'un des astronomes arabes les plus familiers à Bacon. Dans un traité intitulé : *Le livre des grandes conjonctions*, l'astronome consacre toute la première partie à développer cette thèse, que des conjonctions des planètes dépend l'apparition des prophètes et des religions. Toutes les lois, *leges*, (c'est le mot d'Averroès pour désigner les religions,) sont comme des résultats nécessaires de ces phénomènes astronomiques. La loi chrétienne, pour ne parler que de celle-là, dépend de la conjonction de Jupiter avec Mercure; les autres, y compris celle de Mahomet, sont attachées à d'autres conjonctions. » Emile Charles, *op. cit.*, p. 47.

(3) *De concordantia discordantium astronomorum*, quod opusculum cum *Imagine mundi* olim typis mandatum fuit. (s. l. et a.)

(4) *Vigintiloquium*, XV.

(5) *De legibus et sectis contra superstitiosos astronomos*, loc. cit., col. 784.

Ultimam istam assertionem, meliori quo potest modo, defendit sequenti suo opere, sexaginta et quatuor capitulis constanti et inscripto : *De concordia astronomicæ veritatis et narrationis historicæ*. Septem præteritas conjunctiones examinat, et quidquid inter duas immediate sibi succedentes insigne et memorabile contigit ad illarum primam refert. Et quia tali annorum decursu gestum semper est quidquam mirabile, concludit tandem maximas illas conjunctiones non sine maxima rerum inferiorum mutatione contingere. « Hæc totius libri summa, hic ordo, hoc fundamentum ! » ait Picus de Mirandula Alliacenum hac in re vehementer increpans (1).

De octava conjunctione quæ nondum visa erat, quæque post quinque tantum sæcula exspectabatur, stupenti revera modo sic divinatur Petrus :

« Jam vero de octava maxima conjunctione loquamur quam futuram esse dicimus, si Deus voluerit, anno a Christi incarnatione 1692 vel circiter, et post illam erit complementum decem revolutionum Saturnalium, anno Christi 1789. »

Et post aliam annorum supputationem ejusdemque epochæ determinationem, addit :

« His itaque præsuppositis, si mundus usque ad illa tempora duraverit, quod Deus solus novit, multæ tunc et magnæ et mirabiles alterationes mundi et mutationes futuræ sunt, maxime circa leges et sectas (2). »

— *De concordia astronomicæ veritatis et narrationis historicæ*, c. I. (Ms. in Bibl. Cameracensi, n^is 828 et 852.) — Ista lex jam a Rogerio Bacone post Albumazar fuerat posita, *Le moine Roger Bacon*, par C. Narbey (*Revue des questions historiques*, t. XXXV, p. 149).

(1) Picus de Mirandula, *Disputationes adversus astrologiam divinatricem*, lib. V, c. 9. « Alliaceni librum ita a capite totum retexemus, ut a prima illa quam notat quam conjunctione ad postremam usque decurrentes, de cœlestibus pariter et terrenis, nihil ab eo sanum aut veritati proximum dictum ostendamus. » — *Ibid.*, l. II, c. 2. Graviter errat Bodinus, quum asserit Picum vestigiis Alliaceni hac in re constanter inhærere. (Cf. P. Bayle, *Dict. critique*, art. *d'Ailly*.)

(2) *Concordia astronomiæ cum historica narratione*, c. LX; — Ms. Bibl. Cameracensis, n° 828, p. 52 et n° 852, p. 90 verso; — Ms. Bibl. nat. Pari-

Prædictionem fuisse veram nemo diffitebitur, et propter insolentiam fere incredibilem facti illam propriis verbis referre voluimus.

Indiguit tamen correctione et retractatione circa hanc materiam Alliacenus. Plura enim, ut ingenue confitetur, de conjunctionibus illis præteritis « non assertive sed recitative » dixerat; et diligentiori tandem examine perspexit allegationibus istis non inesse veritatem, plurimaque facta ab annis sub quibus designata erant multum distare (1). Tertium ideo lucubravit opusculum quadraginta capitulorum, videlicet : *Elucidarium astronomicæ concordiæ cum theologia et historica veritate*, quod ita incipit :

« Mihi diligentius scrutanti clarius innotuit veritas super aliquibus quæ scripsimus in tractatu primo et secundo. Nec vereor fateri in re tam ardua me tibi aliqua minus perfecte, minusque complete scripsisse quæ hic opus est elucidare et perfectius explicare (2). »

Sub fine, juxta eosdem auctores eosdemque astrologiæ regulas, de Antichristo prophetat :

« Antichristus nascetur, ascendente Capricorno in gloria Martis et domo Saturni. Horum namque naturas pessimas conjunctas possidebit et proprietates...; a Marte discordiam..... a Saturno avaritiam mutuabitur. Mundus finiet sub Marte et Saturno, quia per ista sidera homo senescit, etc..... (3). »

Hoc Antichristi tempus celeberrima etiam oratione infe-

siensis, n° 3123; — Bibl. Valencenensis, n° 331. — Cf. etiam editionem *Imaginis mundi*, Lovanii factam a Joanne de Westphalia, quam in Bibl. Duacensi, n° 77, videre est. Prophetia tamen illa in ms. Bibl. Bruxellensis (n° 21198) non invenitur. — Errat A. Dinaux quum scribit : « Par un hasard singulier, P. d'Ailly conclut de ses observations astrologiques que l'Antechrist devait venir en 1789. » Non agitur hic de Antechristo ut ex textibus manuscriptis patet. Cf. *Notice hist. et litt.*, p. 70.

(1) Cf. notulas quæ in Mss. Bibl. Cameracensis, n° 828 et Bruxellensis, n° 21198, reperiuntur.

(2) His astronomicis opusculis addidit etiam libellum de *Concordantia discordantium astronomorum*, ms. in Bibl. Cameracensi, n° 828.

(3) *Elucidarium*, c. XXXIII.

rius nobis adnotanda indicavit, illius adventum instare declarans propter imminentes persecutiones et præsertim propter crudelem schismatis occidentalis seditionem :

« Timendum est ne juxta prophetiam beati Cyrilli et sententiam abbatis Joachim de Flora (1) in commentis ejusdem, ipsa sit illa horrenda divisio et persecutio schismatica per quam Antichristi sæva persecutio celeriter est futura. His ergo periculis admoniti, timeamus, fratres charissimi (2). »

Hujusmodi prædictiones naturali mentis humanæ robori pervias esse ita pertinaciter credebat ut diluvium ex regulis astronomicis a viro sancto Noe prævideri potuisse, Incarnationem Magis naturaliter innotuisse (3), astronomos etiam per librum cœlorum de futura gloria notitiam habuisse asserere non timeret (4).

Haud absque jure mirati sunt plures coævi Cameracensem episcopum in iis confingendis tantum operæ et temporis profudisse (5). Nos quoque miramur eum in ipsis suis ser-

(1) Alio loco de eodem Joachim mentionem injicit : « Scio quod si Ecclesia vellet revolvere textum sacrum et prophetias sacras atque prophetias Sibyllæ, Merlini, Aquillæ et Joachim.... atque juberet considerari vias astronomiæ, inveniretur sufficiens suspicio, vel magis certitudo de tempore Antichristi. » *De legibus et sectis contra superst. astr.*, in opp. Gersonii, t. I, col. 785. — Cf. cap. XI hujus libri.

(2) *Sermo tertius in adventu Domini, Tractatus et Sermones*, 1490. Contrariam tamen opinionem in *Sermone de Sancto Dominico* proferre videtur. (*Ibid.*, versus voluminis finem.)

(3) *Hexaemeron*, vel *Quæstiones in Genesim XXX*. — Cf. Sixtum Senensem O. P. *Bibliotheca Sancta*, lib. V, annot. LXXXI et lib. VI, annot. X; — Paulum Semproniensem qui in tractatu de Paschatis celebratione Alliacenum laudat quod mirabiliter de stella Magorum scripserit; — Albumazar, *Majus introd.*, VI; — Albertum Magnum (vel alium incertum auctorem), *Speculum*; J. Brucker, *Historia critica philosophiæ*, t. III, p. 858.

(4) Cf. *Sermonem in die omnium Sanctorum*, apud Tschackert, *op. cit.*, *Appendix*, p. 43.

(5) « Scimus autem quosdam nobis objecisse, quia professionem et similiter ætatem magis decuisset circa theologica quam circa illa mathematica studia occupari. Quibus pro nostra excusatione respondemus quia illis non sic intemperate vacavimus quin etiam plura de materia præsentis schismatis et unionis et reformationis, multosque tractatus utiliores theologicos scriberemus. » *Elucidarium*, ms. in Bibl. Cameracensi, n° 828, f. 146.

monibus quæ ad solam ædificationem spectare debuissent Astrologorum theorias proposuisse, omniaque cœli astra, varias siderum significationes, et Arabum divinorum, puta Alkokodeni, Avimogaris et Alfragani somnia, inter laudes B. Mariæ vel sanctæ matris Ecclesiæ adduxisse (1). Ast non diebus solum nostris aut illis concionatores sacri in abusus plurimos præcipites lapsi sunt.

III

Veram Astronomiam, nobilem illam antiqui *quadrivii* (2) partem, coluit etiam Alliacenus, et præclara in eam habuit merita, non tantum ostendens quid ipsa utilitatis afferat, ad cognoscendum et magnificandum Deum cujus cœli gloriam enarrant, ad humanam scientiam validius atque amplius promovendam (3), ad multos denique vitæ civilis usus, sed descendens etiam ad particulares et technicas quæstiones quarum unam aut alteram indicare fas sit. In opusculo *de vero cyclo lunari* doctrinam Arabum astronomorum cum Kalendario Romano comparat, et affirmat per illius cycli artificium, lunæ cursum verius et facilius cognosci quam per cyclum decennovalem seu numerum aureum. Id autem sex

(1) Cf. ex. gr. *Sermonem in die omnium sanctorum*, apud Tschackert, *Peter von Ailli, Appendix*, p. 43. — Cf. etiam nostrum capitulum XI.

(2) Divisionem scientiarum in *Trivium et Quadrivium* Martiano Capellæ tribuit Bartholomæus Hauréau (*Histoire de la philosophie scolastique*, première partie, p. 25); eam S. Augustino asserit Brucker (*Historia critica philosophiæ*, t. III, p. 957). Nobis illius auctor videtur Clemens Alexandrinus (*Strom.*, VI, 10 et 1, 5, 9). — Cf. R. D. Freppel, *Clément d'Alexandrie*, c. XVI, p. 327.

(3) *De legibus et sectis*, VIII; in opp. Gersonii, t. I, col. 792.

fundamentalibus conclusionibus, declarationibus, tabulis astronomicis demonstrat.

Auctores Arabes multum legerat, eorumque systemata mire exponit et elucidat. Abrachis (1), Albategni, Alpetragium, Archabucium, Arzachel, Albumazar, Alfarabi, Alfraganum, Thebith et præsertim Avicennem et Maimonidem commemorat et laudat. Inter catholicos Gerlandi et Lincolniensis operibus potissime studuit. Astronomicas Alphonsi regis Castellæ tabulas quandoque corrigit vel complet (2). Rogerii Baconis placita sæpe refert, sed non ejus nomen (3). Magnam vero quæstionem *de reformatione Kalendarii* toties agitatam accuratissime tractavit. Quem aureum libellum, Cameraci exaratum, Romæ obtulit Joanni Papæ XXIII, his verbis :

« Nuper, Beatissime Pater, antequam Vestra Sublimitas me servorum suorum infimum in Cardinalem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ nominaret, tractatulum de correctione Kalendarii composueram Vestræ Beatitudini præsentandum, ut de ejus mandato, examinata prius materia, per peritos astronomos postea in generali Concilio proxime celebrando, ad honorem Dei et Ecclesiæ vestrique nominis famam perpetuam, super

(1) Est nomen arabicum Hipparchi, etiam apud Rogerium Baconem, *Computus rerum naturalium* (*Royal library*, 7, F, VIII. f. 99 et seqq.)

(2) *Tractatus contra astronomos*, in opp. Gersonii, t. I, col. 800.

(3) « Bacon avait écrit sur l'arithmétique, sur la géométrie, l'astronomie et la musique, considérées sous le rapport théorique et pratique, et commenté Euclide, comme tous les mathématiciens de son temps. Il est donc difficile d'apprécier sa science en géométrie et en arithmétique ; toutefois, son livre se distingue par une critique éclairée, par des discussions exactes, des définitions précises, que Pierre d'Ailly lui empruntera mot à mot sans le nommer. Il reprend au besoin Euclide, lui reproche des omissions, le complète, fait peu de cas de Jourdain le Forestier ; et quand on le compare à son compatriote Sacrobosco, qui fut commenté jusqu'au XIVe siècle, on reste convaincu qu'il a raison de s'estimer au-dessus de ses contemporains. Les Arabes surtout lui ont appris l'algèbre naissante, l'astronomie, et les noms des Musulmans espagnols emplissent ses œuvres. Quand il n'aurait à revendiquer que cette grande idée d'asseoir les sciences physiques sur la base des mathématiques, il serait en ce genre le premier homme de son siècle. » Emile Charles, *Roger Bacon*, p. 265.

hoc utilis adhibeatur provisio; quæ, apostolica et synodali auctoritate firmata, tandem post ecclesiasticam unionem, Dei favente gratia, vestra diligentia procurandam, universaliter observetur. Igitur hoc opusculum filiali devotione oblatum dignetur Sanctitas Vestra paterna benignitate suscipere. Quam conservet Altissimus ad regimen et reformationem Ecclesiæ suæ sanctæ (1). »

Opus laudavit Pontifex, sed vetuit edi publice ad finem usque schismatis. Joanne autem XXIII sede pontificali dejecto, Alliacenus rem suam libere produxit, ope et scientia Huberti de Hautschilt abbatis Quercetani (2) adjutus; et mense martio anni 1417, in ecclesia Sancti Pauli, coram synodo magna Constantiensi integrum tractatum perlegit. Celeberrimam de Paschatis tempore quæstionem historice primum sed breviter enarrat, tresque præcipuos Juliani Kalendarii errores detegit. Jam vero :

« Quia Ecclesia Dei *multos habet christianos in astronomia peritos*, debet diligentiam adhibere ut sua synodali auctoritate prædicti errores, tam manifesti et palpabiles, et tam horribiliter scandalizantes, omnesque defectus Kalendarii corrigantur (3). »

Quanta in his fuerit Petri scientia, quantas sibi exinde laudes promeruerit, quidam Studii Insulensis magister, vere *Christianus in astronomia peritus*, amicissime mihi dignatus est declarare nota gallica quam hic subjectam reperire gaudebit lector (4).

(1) Ms. Bibl. Cameracensis, n° 852, p. 38.

(2) Cf. in hunc Hubertum vel Lubrechtum de Hanschilt vel de Hauscilt, abbatem in Eeckout (Quercetum) prope Brugas, *Galliam Christianam*, t. V, p. 280; et « *Biographie nationale publiée par l'Académie royale de Belgique,* » t, VIII, 3me fasc., col. 781. Hubertus aderat ipsi concilio Constantiensi.

(3) *De correctione Kalendarii*, cap. VI. Apud Von der Hardt, *Rerum Conc. œcum. Const.*, t. III, col. 87. — Cf. etiam *Tractatum contra astronomos;* in opp. Gersonii, t. I, col. 799 et seqq.

(4) L'objectif du cardinal P. d'Ailly était de rétablir la fête de Pâques en son vrai lieu.

Le Concile de Nicée avait ordonné qu'on célébrerait cette fête le premier

Verumtamen, hæc optata reformatio, quam ante Alliacenum jam promoverant Albategni et Rogerius

dimanche qui suivrait le quatorzième jour de la lune, (c'est-à-dire la pleine lune), après l'équinoxe du printemps. Pour que cette décision du Concile fût applicable dans la suite, il eût fallu que l'équinoxe ne s'écartât guère du 21 mars; il était nécessaire d'établir de plus la corrélation exacte entre l'année tropique et la révolution synodique de la lune. Or, ces deux conditions étaient loin d'être remplies, et un grand désordre régnait alors dans le calendrier religieux.

D'Ailly analyse très bien les causes de ce fait : il en relève trois principales :

1° César avait admis que le soleil emploie exactement 365 jours un quart pour faire sa révolution annuelle : en réalité, l'année tropique est plus courte. En 1417, elle était d'environ 365 jours 48 minutes 48,8 secondes, car on sait qu'elle est fonction du temps et, par suite, de la variation de la précession annuelle ; l'erreur était donc de 11 minutes 11 secondes. D'Ailly estime cette erreur à 11 minutes exactes : il était très près de la vérité.

2° Les Pères du Concile de Nicée croyaient que les équinoxes tombent le même jour de l'année. C'était inexact par suite même du calendrier Julien : en 1417, l'équinoxe avait lieu le 11 mars. L'erreur était manifeste : d'Ailly y insiste peu.

3° On admettait l'exactitude du cycle de Méton, d'après lequel les nouvelles lunes reviennent au même jour tous les 19 ans : il fallait encore renoncer à l'application de cette règle si simple, attendu que 19 années tropiques équivalent à 6939,602 jours, tandis que 235 lunaisons font 6939,691 jours.

L'erreur exacte est donc, par cycle, de 9 centièmes de jour, soit de près de 2 heures 8 secondes. D'Ailly fixe la durée du cycle lunaire à 19 ans plus une heure 40 minutes. On ne peut qu'admirer l'approximation de son calcul. Il faut observer que, dans le comput admis par ses contemporains, la nouvelle lune vraie prend un jour de retard tous les 304 ans.

Quelle réforme propose-t-il pour remédier au mal ?

Il demande avant tout qu'on omette un jour bissextile tous les 134 ans ; puis, il est d'avis de supprimer un jour tous les 304 ans pour remédier à l'anticipation des nouvelles lunes du calendrier. Ces deux réformes sont incompatibles, il le constate : mais on pourrait corriger tout d'abord l'erreur accumulée depuis la réforme Julienne et établir un mode particulier d'intercalation courante pour faire correspondre les lunaisons astronomiques avec celles de l'Eglise.

Grégoire XIII et Lilio ont fait mieux, il faut le reconnaître : la suppression du jour intercalaire dans trois années séculaires sur quatre est une règle plus claire que celle du cardinal d'Ailly ; de plus, l'introduction des épactes dans le calendrier a empêché désormais l'accumulation des erreurs. Toutefois il est intéressant de rapprocher les résultats de la réforme proposée par d'Ailly de ceux de la réforme appliquée par le pape, 165 ans plus tard. L'année Grégorienne est trop longue encore de 20 secondes, et vers l'an 5600 cette erreur sera sensible, car elle atteindra un jour : l'année de Pierre d'Ailly était trop longue de 24 secondes, et il eût fallu aviser à une correction dès l'an 5000 !

Cette comparaison fera ressortir, mieux que ne pourrait le faire tout autre

Baco (1), dilata est propter dissidia, bella, totque alia his temporibus undique grassantia mala. Concilium Basileense, hortante Nicolao de Cusa, rem quidem probavit, sed ad effectum non perduxit. Nihil pariter Tridentinum de ea decrevit : ast tandem Gregorius XIII, juvantibus Clavio et Lilio, plaudentibusque Universitatibus cunctis, Kalendarium correxit feliciter (2), quod ideo Gregorianum jure dictum est, Alliacenum autem etiam dicendum, si vota et studia effectibus æquiparari possent.

argument, la grande valeur du travail présenté par le cardinal d'Ailly aux Pères du Concile de Constance. Son nom doit être cité avec honneur à côté de ceux de saint Hippolyte, du cardinal Cusa et du pape Grégoire XIII. Si, en 1417, l'Eglise n'avait pas été déchirée par le schisme, il est fort probable que le cardinal d'Ailly eût été le réformateur du Calendrier.

(1) Cf. Em. Charles, *Roger Bacon*, p. 270; — C. Narbey, *Le moine Roger Bacon, loc., cit.*, p. 150.

(2) Bulla *Inter gravissimas*, 24 febr. 1582.

CAPUT QUINTUM

Alliaceni Theologia

Inter disciplinas quibus totum se dedit Alliacenus, sacra Theologia infinito pene gradu eminet. Quomodo ejus naturam et methodum intellexerit et exposuerit, quibusve circa tantum objectum erroribus laboraverit dicamus.

I

Tractatu secundo *adversus Cancellarium Parisiensem* (1), suam de essentia theologiæ sententiam profert.

Theologia subjective sumpta est *habitus acquisitus simul ac donum Dei gratuitum,* seu *quædam fides acquisita.* Inde natura et gratia, ingenium humanum et fides divina ad illam efformandam ac enutriendam amice conjurant.

Acquiritur sane quoad partem suam veluti materialem, labore videlicet intellectuali illo multiplici ac pene infinito quem theologus suscipere tenetur. At vero simul est donum Dei supernaturale et gratuitum, quoad partem sui formalem, seu quoad principium intrinsecum et elicitivum cujuslibet conclusionis theologicæ proprie dictæ; unde eam vocat

(1) In opp. Gersonii, t. I, col. 746.

Petrus *donum Dei gratuitum* et *quamdam fidem*, eo nempe quia ad modum virtutis infusæ et analogice cum ipsa fide supernaturali divinitus nobis instillatur.

Fides autem ipsa consequenter apparet necessaria omnino conditio ut quis possit theologus evadere; adeoque theologia specifice dicta nequit obtineri ab infideli, « loquendo de infideli simpliciter qui nulli parti Scripturæ fidem daret, qualis esset purus gentilis vel paganus (1). » Intellectus enim veritatum non sufficit, sed requiritur mentis adhæsio formaliter supernaturalis quæ a solo catholico præstatur.

Præter elementum illud cœleste quod in theologia primas partes habet, fidei virtutem et habitum theologicum supernaturaliter infusum dico, aliud est humanum ac subordinatum de quo ita sermonem facit Alliacenus :

« Scientia etiam a vero theologo requiritur, non tamen illa eximia eruditio quæ sciat omnem Scripturæ Sacræ sensum, sed sufficit scire de principalioribus, et maxime litteralem... et scire aliqua exponere, defendere et cum omni veritate concordare; unde esse theologum suscipit majus et minus (2). »

Munus theologiæ proprium et fructus quos ipsa ferre potest ita deinde describuntur :

« Vocatur discursus proprie theologicus qui constat ex dictis seu propositionibus in Sacra Scriptura contentis, vel ex his, vel saltem ex altero hujusmodi sequentibus : et principia theologiæ sic sumptæ sunt sacri Canones, id est divinæ Scripturæ veritates. Conclusiones theologicæ dicuntur omnes veritates non secundum se formaliter in Sacra Scriptura contentæ, sed ex contentis in ipsa de necessitate sequentes, et non aliæ (3).....

(1) *Ibid.*, col. 746. — Item *Quæst. I^a in I libro Sent.*, art. III, f. XLIX (Edit. Jehan Petit).

(2) *Quæst. in Sent.*, q. I, a. 3, f. XLIX, verso.

(3) *Tractatus II adversus Cancellarium Parisiensem*, col. 746. — Item *Quæst. in Sent.*, f. L.

Inde theologia per discursum theologicum naturaliter acquisita non est *scientia proprie dicta*, sed est in animo fidelis quædam cognitio adhæsiva.... Non est adhæsio cum formidine, sed est quædam fides firma sive credulitas cum certitudine.... In eodem subjecto et respectu ejusdem objecti non est naturaliter compossibilis scientiæ vel opinioni, scilicet actus actui, vel habitus habitui (1). »

Theologiam non esse proprie dictam scientiam utique concederemus, si scientiæ nomine naturalis tantum cognitio cum evidentia immediata aut mediata et utraque intrinseca designetur. At vero hanc significationis restrictionem admittere non videmur nobismetipsis ullatenus cogi.

Quod vero dicit de impossibilitate conjungendi actum aut habitum theologicum cum actu aut habitu sive scientiæ sive opinionis, certum quidem esset si de mixtione nescio quam ageretur, unde resultaret actus simul theologicus et scientificus, vel habitus simul infusus et acquisitus; si autem hypothesis illa cœteroquin a nemine defensa excludatur, jam putamus associationem fidei aut theologiæ supernaturalis cum scientia naturali factum esse prorsus indubium et ipsa auctoritate Ecclesiæ confirmatum.

Faciliori et jucundiori certe modo, si minor esset in eo emphasis, theologiæ naturam, fontes, et sublimitatem jam antea descripserat Petrus, suo videlicet *Principio in cursum Bibliæ* (2) ad exercitium scholæ et coram magistris publice declamato (3). Pro textu assumit illud Marci :

« Quænam doctrina hæc nova? »

(1) *Quæst. in Sent.*, l. I, q. I, a. 1, f. LIII et LIV.

(2) « Avant de commencer leur cours, les *Baccalarii Biblici* (chargés de cours sur la Bible) devaient faire une leçon solennelle, appelée *principium*, entre l'Exaltation de la Sainte-Croix (14 septembre) et la Saint-Denis (9 octobre), et deux conférences ou un sermon et une conférence (*collatio*). » — Ch. Thurot, *De l'organisation de l'enseignement dans l'Université de Paris*, p. 140.

(3) Cf. *Quæst. in Sent.*, sub fine, f. CCLXXIII, et opp. Gersonii, t. I, col. 610.

Et post exordium solemne sic respondet :

« Cum ad solvendam tam arduam quæstionem minime sufficiam, aliorum consulam Facultates. Considero igitur quod inter plurimas et quasi innumerabiles quæstiones, quatuor sunt præcipua quæstionum genera in diversis scholis et doctoribus variis perquirenda. Nam primo, quædam sunt quæstiones subtiles et studiosæ. Secundo, quædam sunt quæstiones difficiles et curiosæ. Tertio, quædam sunt quæstiones civiles et contentiosæ. Quarto, quædam sunt quæstiones utiles et virtuosæ. Primum quæstionum genus solet disputari in schola theorica Philosophorum. Secundum solet perscrutari in schola phantastica Mathematicorum. Tertium solet disceptari in schola politica Jurisperitorum. Quartum solet pertractari in schola catholica Theologorum. »

Singulas igitur adit Facultates, doctores consulens de disciplina illa nova, scilicet de lege Christi evangelica. Unaquæque scientiam suam compendiose quidem exhibet, sed nulla propositam quæstionem solvere potest; philosophi tacent, mathematici desipiunt, jurisperiti (1) causam ad theologos remittunt. Veteris idcirco sapientes Legis interrogat Alliacenus, Patriarchas primum et Prophetas. Sed *Adam* nihil de Incarnatione novit, *Noe* dolabro occupatus se excusat, *Abraham* in minandis gregibus et in fodiendis puteis excellit, ast problematis e imparem esse fatetur. *Moyses*, velata facie et libris onustus, e medio surgit : Pentateuchum sub cujus pondere sudat in medium profert, ast frustra volvit

(1) Juristas adversus theologiam superbientes detestabatur Alliacenus et omni occasione data eos insectatur « qui leges vel decretales legibus divinis anteponunt, in praxi legem prostituunt, quæstum quærunt, pacem conturbant. « *Recommendatio Scripturæ*, in opp. Gersonii, t. I, col. 614. — Cf. etiam *Invectivam Ezechielis contra pseudopastores*, (apud Tschackert, *Appendix*, p. 15); *Epistolam diaboli Leviathan*, (Ibid., p. 19); *Sermonem de Sancto Bernardo*, (*Ibid.*, p. 22); *Sermonem in medio Quadragesimæ*, (Edit. Arg. 1490); Cf. etiam opp. Gersonii, t. I, col. 655. Ei præiverant Rogerius Baco, *Opus tertium*, c. XXIV, et ipse theologus Dantes, *Parad.* IX; eos quoque imitatus est hac in re Nicolaus de Clamengiis, *Super materia Conc. Generalis*, p. 69.

atque revolvit. Responsionem denegant etiam *David* et omnes *Prophetæ*, qui, quamvis multa dicant, solutionem non afferunt. Tunc apparent *Paulus* et *Petrus* et *Johannes*, imperfectam esse Legem, perfectum autem esse Christi mandatum affirmantes ob ejus « doctrinam profundæ capacitatis, stupendæ sublimitatis, timendæ severitatis et quærendæ felicitatis. » Succedunt post eos catholici omnes Doctores, et illorum sententiæ adstipulantur. *Augustinus*, Doctor veridicus, *quasi syndicus aliorum*, verbum facit pro singulis sicque testimonium veritati perhibet :

« In hac sacra doctrina nova supereminenter continetur quidquid in aliis utiliter invenitur. Quidquid enim homo extra didicerit, si noxium est ibi damnatur, si utile est ibi invenitur; et cum ibi quisque invenerit omnia quæ utiliter alibi didicit, multo abundantius invenit ea quæ nusquam omnino alibi invenire potuit (1). »

Pulchre etiam theologiam comparat pani quo nutriantur fideles, sacerdotum cura et doctorum ope. At simul vehementer insurgit adversus corruptores tanti tamque necessarii ac dulcis illius panis :

« Sunt nonnulli qui panem istum, quantum in eis est, ad intoxicationem corrumpunt ac venenoso et pestifero doctrinæ suæ pane simplices christianos et etiam nonnunquam principes et prælatos decipiunt et seducunt.... Sed sunt et alii qui ad defensionem errorum et excusationem errantium nova dogmata confingunt, et antiqua divinaque præcepta Decalogi distorte et aliter quam Spiritus Sanctus eorum auctor intellexit, exponunt : qui sunt *stultilogiæ*, non dicam *theologiæ doctores* (2). »

(1) In opp. Gersonii, t. I, coll. 616 et seq.

(2) *Sermo in medio quadragesimæ* apud *Tractatus et Sermones*, 1490. Ad doctrinam Joannis Parvi et ejus asseclarum alludit. — Cf. Von der Hardt, *Rerum Conc. œcum. Constant.*, t. I, col. 447.

II

Baccalarii Sententiarii nomine et munere cohonestatus, *Sententias* Lombardi publice explicare cæpit juxta normam in Studio Parisiensi usitatam (1), et denuo suum theologiæ conceptum evolvere debuit concione altera solemni, seu *Principio* ingentibus verbis refertissimo, quod veluti quædam *Præfatio* erat in librum explanandum.

In tres partes, juxta morem tunc receptum, dividit suum *Principium* Alliacenus. Adducit iterum hunc textum : « Quænam doctrina hæc nova? » et « reverendos patres Magistros ac Dominos carissimos » alloquitur. *Collatio* prævia emphasim redolet :

« Qualiter enim noctua lucem intuebitur, in cujus fulgore aquilæ visus limpidissimus tenebrescit? Qualiter fontales solis radios intuebitur talpa, si in eorum aspectu linceus oculus obtundatur? Qualiter pygmea brevitas tangere sufficiet ad sublime pyramidis cacumen, ubi gigantea proceritas non attingit? Qualiter, inquam, ingenii mei moles plumbea transvolabit ad illius doctrinæ verticem cujus tanta est altitudo ut super sidera ad montem Seraphim extollatur?... Convertam me ad Deum et ejus misericordiam corde et ore his verbis suppliciter implorabo. »

Ostendit deinde venerabilem senem italica gravitate severum, sed gallica venustate serenum, qui tanquam ostiarius evangelicæ scholæ ad aperiendum piis auditoribus januas clavim præstat, ad castigandos hæreticos virgam gestat, et ad informandos scholares *Sententiarum* librum defert. Et ipse *Sententiarum Magister,* aperto libro, quadripartito vo-

(1) Cf. nostram primam partem, p. 13.

lumine quadruplicem conclusionem statuet. Per ipsum nempe « revelantur secretius velata mysteria Summæ Trinitatis, » — « declarantur subtilius creata vestigia novæ entitatis, » — « reserantur sublimius sacra commercia miræ charitatis, » — « propinantur suavius oblata remedia piæ sanitatis. » Ita singulorum Lombardi librorum materiam indicat.

Venit tunc ad principale propositum, et quæstionem proponit : *Utrum lex Christi nova sit lex perfectissima?*

Arguitur quod non, quia non est in præceptis *rectissima*, in credendis *certissima*, in meritis *gratissima* et in præmiis *justissima*. Thesim autem opponit cujus primam partem tantum primo suo principio demonstrat, tres erigens conclusiones quibus antecedunt propositiones præambulæ, quasque subsequuntur propositiones correlativæ. Deinde cum pluribus magistris disputat (1); assertiones suæ thesi contradictorias, si solidæ sint, confutat, si vero stolidæ vel leves, deridet (2).

Post aliquot menses, *principium* in secundum Sententiarum aggressus Alliacenus examinavit, eadem utique methodo, secundam partem suæ thesis, videlicet : « *utrum lex Christi sit in credendis certissima.* » Totum ordinem Sententiarum oratorio modo rursus in memoriam revocat, satagit præcipue ut verba verbis quasi demensa et paria respondeant, et voces sedulo quærit sibi correlativas eumdemque referentes in cadendo sonum (3). Decurrente disputatione,

(1) « Nunc descendo ad collationem habendam cum duobus magistris meis reverendis. » Princ. 1, *op. cit.*, f. IX.

(2) Cf. disputationem cum magistro Ægidio, in quem illudit Alliacenus sub fine quarti principii, *op. cit.*, f. XXXIII et XXXIV.

(3) Exemplum sit illud compendium libri Sententiarum quod tradit Alliacenus : « Agitur *De cognitione Dei perfecti luminis, de creatione mundi effecti germinis, de communione Verbi affecti numinis, de curatione lapsi infecti hominis.* » (*Quæst. in Sent., loc. cit.*, f. XIII). — Jam mos ille apud Doctores aurei scholasticæ sæculi invaluerat; Cf. S. Bonaventuræ *Comment. in Sent.*, Prooemium, p. 3, (Edit. 1882). — Cf. etiam supra, p. 14.

formam syllogismi severam omnimode servat. Attamen secatis resecatisque divisionibus abutitur, tenebras potius quam lumen sæpissime in mentem fundentibus, ita ut artis dialecticæ videantur corruptelæ, non vero perfectio. Eo modo tractat Alliacenus quatuordecim quæstiones primi Sententiarum, nullam secundi, unam tantum tertii, sex demum quarti.

Nonnullos alios defectus labentis scholasticæ a Petro admissos obiter indigitare præstat. Quandoque longiores syllogismos texit ut ea quæ mentis oculo prorsus obvia sunt futiliter demonstret. Objectiones sæpius inter se contradictoriæ sunt et nugatoriæ. Sit in exemplum : « 1° In baptismo plus recipit adultus quam parvulus; 2° Plus recipit parvulus quam adultus (1). » Quod etiam vitium in ipsis propositionibus admittit, verbi gratia : « 1° Charitas in infinitum potest augeri in anima; 2° Non potest in infinitum charitas augeri in anima (2). »

Persæpe etiam subtiliores et vere pueriles quæstiones agitat. Circa Incarnationem v. gr. fingit personam Verbi dimittere naturam assumptam et quæritat :

« *a.* — Utrum natura dimissa esset purus homo, et an ille homo fuerit Christus? Retento casu præmisso, utrum demonstrato filio Dei hæc sit vera : Hic est filius virginis?... Utrum iste homo dimissus sit filius virginis?... Hæc humanitas est homo et est suppositum, et non prius erat homo nec suppositum, ideo quæritur utrum hoc factum sit sine acquisitione vel deperditione alicujus positivi in ipsa... (3). *b.* — Dei Filius assumit filium Marthæ jam adultum, numquid hæc erit vera : Christus vel hic homo est filius Marthæ? *c.* — Quid etiam

(1) *Quæst. in Sent.*, l. IV, q. III, f. CCXL verso.

(2) *Ibid.*, l. I, q IX, a. 3, f. CXLVII verso. — *Ibid.*, l. IV, q. II, a. 3, f. CCXL recto; et q. IX, a. 3, f. CXLVIII.

(3) *Quæst. in Sent.*, l. III, q. I, a. I, f. CCXVIII.

si persona Verbi non dimittendo quod assumpsit, tunc assumat de novo aliquam humanitatem scilicet Petri, vel Matris suæ? *d.* — Si tres personæ divinæ assumant unam et eamdem naturam humanam, quæritur numquid est unus homo vel tres homines? *e.* — Si Christus aliquem genuerit ex femina et ipsum assumpserit, quid inde eveniet? etc.... (1). »

Fere similes agitat quæstiones de salutis certitudine (2), et de baptismo (3).

Quædam quidem Alliaceni positiones non *assertivæ*, sed mere *disputativæ* sunt, ut ipse pluries monet (4). Nihilominus istæ frivolæ fictiones et inanes distinctiones byzantinam mentem sapiunt, et a vero genuinæ scholasticæ sensu sicut a recta magnorum virorum consuetudine multum aberrant. Quod facile patebit si verba D. Thomæ in prologo *Summæ* attendantur :

« Consideravimus hujus doctrinæ novitios, in iis quæ a diversis scripta sunt, plurimum impediri, partim quidem propter multitudinem inutilium quæstionum, articulorum et argumentorum; partim etiam quia ea quæ sunt necessaria talibus ad sciendum non traduntur secundum ordinem disciplinæ, sed secundum quod requirebat librorum expositio, vel secundum quod se præbebat occasio disputandi; partim quidem quia eorumdem frequens repetitio et fastidium et confusionem generabat in animis auditorum. »

Tanta autem erat, sæculo decimo quarto exeunte, disputandi consuetudo in schola Parisiensi ut unicus docendi ac discendi modus pene haberetur. Inde factum est opiniones quandoque minus probabiles vel omnino extraordinarias (5)

(1) *Ibid.*, f. CCXIX et seqq.

(2) *Ibid.*, l. I, q. XII, a. 3.

(3) *Ibid.*, l. IV, q. II, a. 1 et 2, f. CCXXXVII et CCXXXVIII.

(4) Ita in sua Resumpta : *Utrum Petri Ecclesia rege gubernetur, et in Oratione coram Concilio Parisiensi*, 1406, apud Bourgeois du Chastenet, pp. 151 et 153.

(5) Miram, exempli gratia, audi ejus hanc opinionem : si quis credat se

in medium allatas esse quibus, si non vera scientia, ingenii saltem acies acquirebatur et sæpius ostentabatur.

Quas ab Occamo periculi plenas theorias circa naturam et methodum philosophiæ hauserat Alliacenus, easdem relate ad theologiæ naturam et evolutionem accepisse videtur (1). Traditionem in sacra scientia parum curat. Si quando Patrum et speciatim Augustini ac Anselmi auctoritatem invocat, minores textus quasi frustatim refert, sententias autem integras fere nunquam. Divi Thomæ doctrinam quasi utilem et probabilem laudat, sed ejus opiniones raro amplectitur; theologica vero ejus errata vera aut fictitia sedulo reprehendit (2). Ecclesiastica documenta vel ignorat, vel parvipendet, logicalia argumenta omnibus aliis anteferens et confusionem aliquam philosophiæ cum theologia subintroducens, quo facto Protestantium rationalismus jam præparatur. Immo, quod gravius est, fundamentalem illam distinctionem naturalis et supernaturalis ordinis alto sub silentio premit ubique.

Inauditos theologis terminos insinuare et novos moliri mavult quam antiquos declarare et perficere, Occamo etiam hac in re magis obsequens quam prudentiæ ac sanæ theologizandi methodo. Vocabula igitur venerabili traditione consecrata dedignatur, et insolita a Nominalium penu deprompta in usum frequentem deducit, prohibitionis immemor illius Paulinæ contra profanas vocum novitates latæ (3).

esse baptizatum et revera non fuerit baptismo lavatus, et si postea ordinetur, non est sacerdos, sed tamen valide consecrat « quia summus sacerdos supplet per suam gratiam. »

(1) Cf. supra, p. 144.

(2) Cf. *Apologiam Facultatis Theologiæ Parisiensis*, apud d'Argentré, *Coll. judic.*, t. I, p. I, pp. 71 et seqq.

(3) I *Tim.*, VI, 20.

Vocum porro novitas in aliam valde nociviorem trahit, qua inauditæ etiam dogmatum et fidei avitæ expositiones intruduntur, quæstiones antiquæ et majores negliguntur ac si theologia et philosophia non verum sed novum pro unico sui objecto haberent. Id vitium nunquam probavit vel solum toleravit Sedes Apostolica (1); ipsique quidam Alliaceni familiares contra illud jure ac fortitudine paribus protestati sunt (2).

(1) Cf. ex. gr. Gregorii IX epistolam ad Magistros Parisienses, jul. 1223; et Brevia Pii IX adversus Guntherum, 30 mart. et 15 jun. 1857.

(2) Cf. Gersonium, *Secunda lectio adversus vanam curiositatem*, t. I, p. 97. — Item apud Launoy, opp. omnia, t. IV, *Regii Navarræ Gymn. Paris. historia*, p. 330.

CAPUT SEXTUM

Alliacenus de Deo Uno

Præsenti capite de Deo uno seu de illa monarchiæ theologia humanæ rationi non omnino impervia agemus ; capite sequenti de Deo trino seu de illa distinctionis theologia ex sola revelatione cognoscibili ; octavo tandem de theologia morali qualis ab Alliaceno evoluta fuit.

I

In re licet dogmatica, primum voces istas : *probabilis, probabilitas,* variis sensibus ab auctore nostro accipi observandum est.

Quandoque *probabilem* censet doctrinam facili evidentique modo demonstrabilem. Hujusmodi ergo propositiones non sunt intuitive evidentes, sed deductive tantum ; non a fide procedunt, sed a ratione; at expositis earum argumentis nullus relinquitur dubitationi locus. Ita loquitur « *de legis Christi et suæ veritatis certa probabilitate* (1), » non tanquam

(1) *Principium in primum Sent.*, f. III. — Item, f. XIII verso, f. XXII et f. XXVIII verso.

de opinione, sed tanquam de veritate quæ tam evidentibus momentis fulcitur ut absolutam certitudinem gignat. Hunc cæteroquin sensum a multis ejusdem ætatis auctoribus usurpatum fuisse notum est. Aliquando autem sententiam vocat *probabilem* cui mens assensum quidem præstat, sed absque evidentia et non sine prudenti erroris formidine, qui sensus præsertim ad nos usque transiit.

Evidentiam porro cum ipsa certitudine confundit Alliacenus, utramque promiscue nominans et usurpans. Ita autem illam dividit :

« Duplex est *evidentia*; quædam est *evidentia absoluta* qualis est evidentia primi principii vel reducibilis ad eam; alia est *evidentia conditionata* qualis est evidentia nostri ingenii quæ est circa primum (1). »

Evidentia absoluta ipsi est :

« Assensus verus, sine formidine, causatus naturaliter, quo non est possibile intellectum assentire, et in sic assentiendo decipi vel errare (2). »

Evidentia autem secundum quid :

« Assensus verus, sine formidine, causatus naturaliter, quo non est possibile, stante Dei influentia generali et nullo facto miraculo, intellectum assentire, et sic assentiendo decipi vel errare (3). »

Certitudo demum est :

« Assensus verus, firmus, sine formidine (4). »

(1) *Quæst. in Sent.*, q. I, a. 1, f. XXXVI. — Descriptio hujus evidentiæ conditionatæ quam alibi « secundum quid » nominat, satis quidem obscura est, neque alium ipsi sensum adscribere possumus nisi sequentem, generali cæteroquin theoriæ auctoris conformem : Evidentia nostri ingenii *circa primum* evidentia est capacitatis illius ingenii ad assecutionem primi principii. Capacitas autem ista eatenus conditionata est et secundum quid, quatenus, jam non stante providentia generali divina aut ex miraculo ingenium nostrum posset inefficax fieri ad assecutionem ipsius primi principii.

(2) *Quæst. in Sent.*, q. I, a. 1, f. XXXVI.

(3) *Ibid.*

(4) *Ibid.*, a. 2, f. XLIII.

Ex his videtur sequi *evidentiam* semper naturaliter causari, dum *certitudo* ex naturali ratione vel ex fide supernaturali procedere potest, sicque amplioris esset ambitus; unde sequitur :

« Omnis evidentia est certitudo, tamen non e converso (1). »

Certitudinem veri nominis non esse nisi cum evidentia et propter evidentiam, non quidem semper intrinsecam et immediatam, sed quandoque etiam mediatam et intrinsecam, nemo jam tutus et sanus esse potest doctor qui non agnoscat (2); quod non agnovit Alliacenus ob falsas quas ab Occamo cæterisque Nominalibus hæreditaverat opiniones (3). Si enim confessus est fieri posse ut homo viator non solum de primo principio, sed de multis etiam aliis veritatibus habeat evidentiam *absolutam*, sive notitiam simpliciter evidentem (4), viatori tamen eidem homini denegavit, uti jam diximus (5), possibilitatem aliquid sensibile et sibi extrinsecum evidenter cognoscendi, nisi evidentia *secundum quid* et *conditionata* (6), quæ non est vera et sinceri nominis evidentia.

II

Has porro distinctiones seu potius confusiones applicat deinde præcipuis quæstionibus theologiæ *unitatis* seu *mo-*

(1) *Ibid.*, f. XLII.

(2) Cf. hac de re Em. Card. Franzelin, *De habitudine rationis humanæ ad divinam fidem* in tractatu *De divina traditione et scriptura*, pp. 575 et seqq., ed. 1875.

(3) Vide supra, p. 160.

(4) *Quæst. in Sent.*, q. I, a. 1, f. XXXVI, verso.

(5) Supra, p. 161.

(6) *Quæst. in Sent.*, ibid.

narchiæ, nempe : *An Dei existentia sit evidens?* — *An ejus unitas sit evidens?* — *Utrum Deus cognoscat alia a se?* — *An sit evidenter notum Deum esse fruitionis objectum?*

Primæ quæstioni ita respondet Alliacenus :

« Licet propositio : *Deus est*, non sit nobis evidens aut evidenter demonstrabilis, tamen est naturaliter probabilis.... Nam ex nullis apparentibus naturaliter potest concludi Deum esse evidenter (1). »

Argumenta commemorat quæ ad demonstrandam Dei existentiam communiter afferuntur, sed non concedit ea esse prorsus demonstrativa et evidentia. Cum magistro Occamo et aliis pluribus, non antecessoribus solum et coævis, sed posterioribus etiam philosophis, bene rejicit argumentum

« Venerabilis Anselmi, quia rationes suæ non sunt demonstrabiles, immo pure sophisticæ et peccantes in logica, propter cujus defectum iste devotus homo, non solum in hoc loco, sed in aliis passibus sæpe deceptus fuit (2). »

Sed in his omnibus ipsemet Alliacenus decipitur; nam si existentia Dei (3) neque est evidens per intuitionem, neque per demonstrationem (4), nihil aliud ergo est quam *mera*

(1) *Quæst. in Sent.*, q. III, a. 1, f. LXXIX. — *Ibid.*, q. XI, a. 2, f. CLXIV.

(2) *Ibid.*, f. LXXX.

(3) Jam anno 1348 Nicolai de Ultricuria damnata erat hæc assertio : *Excepta certitudine fidei, non est alia nisi primi principii*. Hanc condemnationem ignorare non poterat Alliacenus, quum iste Nicolaus suos errores coram Facultate Parisiensi revocare coactus fuisset. — Cf. d'Argentré, *Coll. judic.*, t. I, p. I, p. 355.

(4) « La conclusion de d'Ailly consiste à dire que la croyance en Dieu que nous fondons sur les données naturelles de notre intelligence est, non pas certaine, mais probable, et que l'opinion contraire, ou la négative, n'est pas aussi probable. On s'étonnera moins de ce singulier résultat lorsqu'on saura que la nécessité d'un premier moteur, celle d'une cause première, ne sont également aux yeux de Pierre d'Ailly que de simples probabilités.... Son scepticisme en ce point est un scepticisme philosophique auquel il est conduit par sa manière d'envisager les principes qui constituent les bases de la raison humaine. Tel est l'inconvénient inhérent à la dialectique, lorsqu'elle n'est pas contenue dans de sages limites par une

opinio, probabilis utique sed non certa, cui cum formidine assentiendum est (1). Ad fidem ergo solam uti Fideistæ (2), vel ad solam traditionem uti Traditionalistæ (3) recurrendum erit, sed contra definitionem apertam Concilii Vaticani :

« Eadem sancta Mater Ecclesia tenet et docet Deum rerum omnium principium et finem naturali humanæ rationis lumine *e rebus creatis certo* cognosci posse : invisibilia enim ipsius, a

psychologie bien arrêtée. Le scolastique du moyen âge, entraîné par la forme qui enfermait son esprit, conduit par des mots mal définis dont la puissance superstitieuse le dominait comme ses contemporains, marchait de déduction en déduction, sans s'être avant tout rendu des principes un compte satisfaisant. » (H. Bouchitté, *Dict. des sc. phil.* de Franck, p. 16, art. d'Ailly.) Quædam sunt hic vere dicta, sed quid ad regendam dialecticam inserviat « psychologia hæc bene determinata, » quomodo « forma intellectum continens » possit eum ultra veri limites impellere, quomodo verba magicam hanc potestatem et superstitiosum influxum in viros cæteroquin « satis criticos, » uti fuit Alliacenus, exercere potuerint, nos penitus ignorare et ne subobscure quidem dispicere posse, ingenue fatemur. Id unum tamen forsitan suspicari auderemus, superstitionem nimirum et magicam sesquipedalium verborum potestatem non illius antiquæ ætatis fuisse, sed alterius omnino recentioris.

(1) « Nous ne connaissons ni l'existence ni la nature de Dieu, parce qu'il n'a ni étendue ni bornes. Mais par la foi nous connaissons son existence; par la gloire nous connaîtrons sa nature. Or, j'ai déjà montré qu'on peut bien connaître l'existence d'une chose sans connaître sa nature.... Nous sommes incapables de connaître ni ce qu'il est, ni s'il est.... Qui blâmera donc les chrétiens de ne pouvoir rendre raison de leur créance, eux qui professent une religion dont ils ne peuvent rendre raison? Ils déclarent, en l'exposant au monde, que c'est une sottise, *stultitiam*, et puis vous vous plaignez de ce qu'ils ne la prouvent pas! S'ils la prouvaient, ils ne tiendraient pas parole : *C'est en manquant de preuve qu'ils ne manquent pas de sens*. Oui, mais encore que cela excuse ceux qui l'offrent telle, et que cela les ôte du blâme de la produire sans raison, cela n'excuse pas ceux qui la reçoivent. Examinons donc ce point et disons : Dieu est, ou il n'est pas. Mais de quel côté pencherons-nous? La raison n'y peut rien déterminer. Il y a un chaos infini qui nous sépare. Il se joue un jeu à l'extrémité de cette distance infinie où il arrivera croix ou pile. Que gagerez-vous? Par raison, vous ne pouvez faire ni l'un ni l'autre; par raison, vous ne pouvez défendre nul des deux. » Ita Pascal (*Pensées*, édit. Faugère, p. 131), hæredem Nominalium se ostendit.

(2) Fideistarum viam sequitur Alliacenus in *2ª Quæstione libri primi* et Deum esse sola fide teneri aperte confitetur, (f. LXIII.) — Anno 1840, D. Bautain, sacerdos et professor Argentoratensis, huic thesi subscribere debuit : « *Ratiocinatio Dei existentiam cum certitudine probare valet.* »

(3) Anno 1855, S. Congr. Indicis hanc propositionem claro viro Bonnetty subscribendam injunxit : « *Ratiocinatio Dei existentiam, animæ spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest.* »

creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur (1). »

Eadem fere est Petri hæsitatio de unitate Dei. « Utrum, inquit, nobis sit evidenter notum tantum unum Deum esse ? » et post plures præambulas adnotationes, subdit :

« Ista propositio : *Deus est*, non est per se nota, nec est per se nobis demonstrabilis, nec est nobis per experientiam evidens, ut satis patet ex dictis in primo articulo. Igitur ista : *Tantum unus Deus est*, non potest nobis evidenter probari.... Consequentia patet quia secunda infert primam. Licet rationes probantes unitatem Dei possint apparenter solvi, propter quod bene concedo quod unitas Dei non potest nobis evidenter probari, tamen non potest evidenter ostendi quod illæ rationes non concludunt (2).... Licet nullo prædictorum modorum describendo Deum, sit nobis *evidens* aut possit esse *in naturali lumine* tantum unum Deum esse, tantum hoc est *probabile* naturali ratione.... et probabilius quam posset concludi oppositum (3). »

Demonstrationes divinæ unitatis a philosophis et theologis relatas uti prorsus evidentes, admittere recusat, in hoc iterum opiniones magistri sui Occami fideliter sequens (4). At rursus fidem offendit in Concilio Vaticano sic definitive sancitam :

« Si quis dixerit Deum *unum* et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quæ facta sunt, naturali rationis humanæ lumine *certo* cognosci non posse, anathema sit (5). »

Juxta eadem principia audacter contendit nullo modo evidens esse aliquas perfectiones Deo convenire, sicut *esse liberum, activum et infiniti vigoris*, et alias multas quas ex sola

(1) Constitutio *Dei Filius*, c. II. Textus heic citatus est Pauli ad Rom. I. 20. Cf. etiam subjectum anathema primum.

(2) *Ibid.*, f. LXXXI, verso.

(3) *Ibid.*, f. LXXXII.

(4) *Quodlibet.*, I, q. I, (Parisiis, 1487).

(5) Constit. *Dei Filius*, cap. II, can. I.

fide firmiter teneri posse docet (1). Audi etiam quid de scientia divina scribat :

« Non est evidens in naturali lumine nec demonstrabile naturali ratione *quod Deus cognoscit alia a se*. Patet quia, sicut dictum fuit de unitate Dei, non est sic evidens nec evidenter demonstrabile Deum esse... Immo dico ultra quod ista conditionalis non est evidenter evidens, vel evidenter demonstrabilis : *Si Deus esset, Deus cognosceret aliud a se*. Patet quia, licet in Deo sit perfectionis cognoscere se, non tamen cognoscere aliud a se... (2). »

Eodem scepticismo plena est solutio quarti dubii : *Utrum sit nobis notum Deum esse objectum fruitionis* (3)?

« Sicut solo Deo esse fruendum, inquit, est veraciter confitendum, sic non est nobis evidenter notum (4).... Non est evidenter notum *Deum esse*; igitur non est evidenter notum *solo Deo esse fruendum* (5). »

At si res ita sit, si evidenter cognoscere nequeamus an sit Deus, an sit unus vel multiplex, an cognoscat alia a se, an Deo sit fruendum, quid certi de summo Ente jam remanet? Si ratio humana in his omnibus sit veluti hebes, tenebricosa, temere vagans et continuo errans, quomodo præparare et suscipere poterit supernaturalem fidem? Irrationabile consequi poterit obsequium, et assensum præstabit cæcum ac sensibilem magis quam spiritualem : esto, sed non erit fides.

(1) *Quæst. in Sent.*, l. I, q. III, a. 3, f. LXXXI.
(2) *Ibid.*, q. XI, a. 2, f. CLXIV.
(3) *Ibid.*, q. II, a. I, f. LVII.
(4) *Ibid.*, a. 2, f. LXIII.
(5) *Ibid.*

CAPUT SEPTIMUM

Alliacenus de Trinitate et Ideis

Jam non agitur de theologia quam vetustiores *monarchicam* dixere quæque ad fidem et rationem simul pertinet, sed de illa alia quæ *distinctionis* vocata est et quam sola fidei provincia includit. In ea Petrum non esse felicius versatum quam in priori dolemus, sensum tamen ejus excusantes quantum per veritatem licet, et culpam præsertim in modo ejus loquendi coarctantes. Sed de his judicabit ipse sapiens lector.

I

Hanc Trinitatis descriptionem nobis præbet Alliacenus :

« *Una res* simplicissima est *tres res* et quælibet earum, scilicet una divina essentia est conjunctim *Pater* et *Filius* et *Spiritus Sanctus*, et est sigillatim *Pater* et est etiam *Filius* et est *Spiritus Sanctus*, quarum trium rerum una non est alia, sed sunt eadem indivisibilis essentia ; quæ quidem essentia nullam illarum trium rerum generat, nec ab aliqua generatur, nec aliquam producit, nec ab aliqua producitur ; sed una illarum rerum, scilicet Pater, a nulla re generatur vel produ-

citur, sed generat et producit unam illarum trium scilicet *Filium*; et *Pater* et *Filius* tanquam unum principium *producunt* sed non generant Spiritum Sanctum (1). »

Affirmans *unam rem esse tres res*, formulam certe difficilem et a vero Ecclesiæ sensu alienam usurpat, etsi prædicatum « *res* » intelligatur pro subjectis et suppositis divinis, subjectum autem « *res* » significationem aliam habeat essentiæ et quidditatis. Propositio enim illa « *una res est tres res* (2) » contradictionem saltem externam et in modo loquendi præ se fert quæ defensionem mysterii fere impossibilem reddit « *contra protervum,* » uti concludit postea ipse Alliacenus (3).

Longe aliter definiverat Trinitatem Concilium Lateranense IV :

« Nos autem, sacro approbante Concilio, credimus et confitemur cum Petro Lombardo quod una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quæ veraciter est Pater et Filius et Spiritus Sanctus ; tres simul personæ, ac sigillatim quælibet earumdem (4). »

Insuper expressio illa : *producit, producunt*, qua Petrus utitur, parum apta est ad explicandam divinarum personarum processionem, neque certe sufficit ad enuntiandum processionis *Spiritus Sancti* conceptum. Jam potiorem vocem *procedere* adoptaverat Magister (5) post Leonem Magnum (6), Symbolum Athanasianum et Concilia Toletana (7) ; et aptissimum vocabulum suberat *spirare*, quod

(1) *Quæst. in Sent.*, q. V, a. 1, f. XCI, verso.

(2) Haud ignoramus D. Thomam, post Augustinum et Lombardum, sumere hanc vocem *res* pro *personis*, sed nunquam dicit Angelicus *unam rem* esse *tres res*. Cf. *in I. Sent.*, Dist. XXV, q. I, a. 4.

(3) *Quæst. in Sent.*, f. XCVIII.

(4) *Conc. Later.* IV (an. 1215).

(5) L. I, Dist. X et seqq.

(6) *Epistola XV ad Turribium Asturicensem episcopum.*

(7) Annis 447 et 675.

jam adhibuerat Augustinus (1), quo usum fuerat Concilium Lugdunense II (2), cujusque sensum optime noverant Græci theologi (3).

Asserit deinde auctor noster doctrinam illam fidei non contineri evidenter in sacris Bibliis.

« Sicut prædicta positio fidei non est nobis naturaliter evidens nec potest evidenter probari, sic *nec ipsa ex Scripturis Novi aut Veteris Testamenti potest evidenter concludi* (4). »

Et ne lector credat ibi typographicum esse mendum vel Alliacenum somniasse, noverit eamdem iisdem fere verbis assertionem contineri in ejus opusculo sic inscripto : *Utrum Trinitas personarum in una natura creaturæ sit incommunicabilis* (5). Quid vero? Trinitatis dogma non est apertissimum in ipsa baptismatis formula, in sermone post cænam, in epistola prima Joannis (6) ? Traditio certe, nedum verbis Scripturæ aliquid novi addiderit, eorum sensum simpliciter exposuit et evolvit, exegeseos utique profundioris limites non egrèssa.

Redit autem Alliacenus ad theoriam suam unius rei quæ sit tres res, et sic eam declarat :

« Licet positio ponens quod nulla creatura est vel esse potest quæ sit *tres res* et quælibet illarum sit vera et rationabilis, tamen ipsa non est nobis evidens vel evidenter demonstrabilis (7). »

Errat profecto non videns manifestam absurditatem

(1) Epist. 174. — Cf. Petavium, *De Trin.*, lib. VII, c. X, 8.
(2) Anno 1274.
(3) Cf. Petavium, *ibid.*, 17 et 20.
(4) *Quæst. in Sent.*, q. V, a. 1, f. XCIII.
(5) In opp. Gersonii, t. I, col. 619.
(6) Cf. thesim XV D[ris] Delatte ad prolytatum consequendum (Insulis, 1879).
(7) *Quæst. in Sent.*, a. 2, f. XCVIII, verso.

illius unius *rei* creatæ quæ esset simul tres res creatæ (1). Non erraret quidem si assereret tantummodo non evidenter repugnare existentiam alicujus substantiæ creatæ et individuæ pluribus suppositis communicatæ. Sed hanc doctrinam non attingit, et pergit hæsitare et fluctuare in immenso quodam obscuritatis oceano, uti quando scribit :

« Licet aliquam creaturam quæ sit tres res et quælibet earum posse fieri *per absolutam Dei potentiam*, possit sine contradictione sustineri, tamen hoc debet a catholicis negari... Nam circumscripta fide apparet evidens in lumine naturali quod nulla res possit esse tres res et quælibet earum, et nulla auctoritas fidei vel Scripturæ cogit ad concedendum oppositum in creaturis. Immo, magis videtur consonum fidei dicere quod hoc infinitæ perfectionis est et quod solum convenit Deo, ratione suæ immensitatis (2). »

At revera, si naturalis evidentiæ lumini repugnat unam rem in creaturis esse tres res, quomodo id valeat in divinis poni et tanquam signum divinæ et infinitæ perfectionis tradi ? Sana theologia nihil hujusmodi admittit, et nedum difficultates augeat credendi, eas e contra ita sapienter minuit ut fides in sanctissimam Trinitatem maxime rationabile obsequium dici mereatur.

II

Ut respondeat huic secundæ quæstioni : *Utrum creatura rationalis sit vestigium Trinitatis?* Alliacenus, Occamum

(1) « Sicut sustineri potest in divinis absque contradictione quod *una res* sit *tres res* et quælibet earum, eadem ratione et eodem modo in creaturis posset defendi. » *Ibid.*, q. V, a. 2, f. XCVIII, verso.

(2) *Quæst. in Sent.*, q.V, a. 2, f. XCVIII verso et XCIX. — Cf. disputationem Alliaceni quæ invenitur in Gersonii operibus, t. I, col. 620.

sequens, determinat conditiones imaginis et vestigii, tum utriusque communes, tum singularum proprias (1). Quibus præmissis, ita conclusionem ponit :

« Imago Trinitatis in creatura rationali *perfective et completive consistit in substantia animæ et duobus actibus ab ea productis*... Est contra Sanctum Thomam qui ponit quod imago consistit in potentiis animæ et non in actibus (2). »

Quod spectat ad D. Thomam non est omnino verum sed ex parte tantum ; sic enim affirmarat Angelicus :

« *Primo* et *principaliter* attenditur imago Trinitatis in mente secundum actus, prout scilicet ex notitia quam habemus cogitando, interius verbum formamus, et ex hoc in amorem prorumpimus. Sed quia principia actuum sunt habitus et potentiæ, unumquodque autem virtualiter est in suo principio, *secundario* et *quasi ex consequenti*, imago Trinitatis potest attendi in anima secundum potentias, et præcipue secundum habitus, prout in eis scilicet actus virtualiter existunt (3). »

Augustini deinde testimonium affert Alliacenus, et ait :

« Secundum Augustinum, creata fuit in homine imago Dei quam non servavit; sed hoc non potest intelligi de substantia animæ aut potentiis. Ergo intelligit de aliquo accidente creato quod homo perdidit per peccatum ipsius. Sed tale non potest poni, nisi actus intelligendi vel volendi, vel habitus; et si habitus pertineant ad imaginem multo magis ipse actus (4). »

Et revera, quum nihil discriminis admittat inter substantiam et facultates animæ, nullam ibi Trinitatis imaginem agnoscere potest, nisi secundum sola vocabula et non secundum rem. Auctoritas vero Augustini frustra ab eo alle-

(1) *Quæst. in Sent.*, q. IV, a. 1, f. LXXXV, verso. — Cf. D. Thomam, *S. Theol.*, I p., q. XLV, a. 7.

(2) *Ibid.*, *loc. cit.*, f. LXXXVII.

(3) *S. Theol.*, I p., q. XCIII, a. 7.

(4) *Quæst. in Sent.*, q. IV, a. 1, f. LXXXVII. — Cf. Altenstaig, *Lexicon theologicum*, p. 212, verso. (Venet. 1579.) Hic Sacræ Theologiæ doctor opiniones Alliaceni sæpissime commemorat.

gatur : imago enim de qua Hipponensis loquitur supernaturalis est gratia per peccatum amissa, non vero actus intellectus aut voluntatis qui post peccatum fiunt sicut antea. Ex eo autem quod imago illa supernaturalis in Adamo *transiens* fuerit, concludere quod omnis divinæ Trinitatis imago in homine debeat pariter esse *transiens* adeoque in *actibus* non autem in potentiis consistere, argumentum non est, sed sophisma.

III

Auctoritate Præpositivi (1) et quorumdam Doctorum fultus, Petrus affirmaverat in academica disputatione sat intricata (2) personas divinas non distingui per suas relationes vel respectus, sed nobis innotescere tantum ; divinas ergo personas non constitui per relationes mutuas, sed esse tres res absolutas. Sequenti tamen concertatione (3) confitetur talem suam doctrinam male sonare et a communibus thesibus discrepare, quas tamen liberas esse putat :

« Quum non formaliter contineantur in textu sacræ Scripturæ vel Symboli, aut in determinationibus Ecclesiæ.... ideo licite et sine temeritate possunt disputative concedi vel negari, ad alium vel alium sensum exponi vel glossari (4). »

(1) Genere Lombardus hic fuit et Studii Parisiensis Cancellarius; *Summam* theologicam lucubravit, et vita functus est anno circiter 1209. Cf. *Histoire litt. de la France*, t. XVI, p. 383.

(2) *Utrum Trinitas personarum in una natura creaturæ sit incommunicabilis ?* — In opp. Gersonii, t. I, col. 624.

(3) *De tribus suppositis in una natura*, ibid. coll. 625 et seqq.

(4) Ibid. coll. 627 et seqq. — Cf. *Quæst. in Sent.*, q. VIII, a. 1, f. CXXVI, verso. — Huc etiam pertinet alia satis heteroclita Doctoris nostri opinio « Sequitur contra Thomam (*De pot.*, a. 5.) quod falsa est opinio quæ dicit quod potentia generandi pertinet ad omnipotentiam Patris et non ad omnipotentiam Filii. » Q. X, a. 3, f. CLV.

Minime certe; nisi velimus definitiones Conciliorum Toletanorum (1) spernere, et illi Florentinæ doctrinæ repugnare : « *Est vero secundum Doctores tam Græcos quam Latinos sola relatio quæ multiplicat personas in divinis productionibus* (2). » Relationes igitur personas in Trinitate distinguunt; immo, juxta meliorem et communiorem doctrinam (3), sunt ipsæ divinæ personæ. Quomodo autem id non didicit Alliacenus ab Anselmo? quandoquidem ejus citat celeberrimum axioma (4), quod postea fuit Concilii Florentini : *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio* (5). » Scriptor tamen noster suo more libenter fatetur se omnia illa dixisse non *assertive*, sed *recitative* ac *disputative* tantum, mutabili et quasi incerta opinione de qua nobis non amplius curandum est. Alioquin deberemus ejus theoriam de personis divinis tanquam tribus rebus *absolutis* uti polytheisticam et absurdissimam suggillare.

Agit postea de distinctione inter *essentiam* et *personas* (6). Negat quidem distinctionem *essentialem* qualis esset, verbi gratia, inter angelum et hominem. Rejicit etiam distinctionem *realem* qualis daretur inter tres homines, sicut olim dixerat abbas Joachim (7), vel inter tres angelos, uti antea defenderat Roscelinus Nominalium princeps (8). Hæc enim omnia

(1) *Symbolum fidei Conc. Toletani XI*, a. 675; — Item *Conc. Tol.* XV et XVI.

(2) *Conc. Florentinum*, sess. XVIII, apud Hardouin, *Conc. Gener.*, t. IX, p. 203.

(3) Cf. D. Thomam, *S. Theol.*, I P., q. XL, a. 1 et 2.

(4) *Quæst. in Sent.*, q. VI, f. CV. — Cf. Anselmum, *De Spiritu Sancto*, cap. II, et Petavium, *de Trin.*, VII, 9.

(5) Ex Decreto pro Jacobitis sive Bulla Eugenii IV, *Cantate Domino*. — « Istud axioma, ait Em. Franzelin, quoad sensum tam est antiquum quam professio fidei in Deum unum essentia et trinum in personis. » *De Deo trino secundum personas*, Th. XII, p. 207.

(6) *Quæst. VI in Sent.*, f. CV et seqq.

(7) Petavius, *De Trin.*, VI, 12.

(8) Cf. Baluzium, *Miscellanea*, IV, p. 478; — Anselmi opera, *Epistolarium*, l. II, ep. 41.

essent evidenter contra fidem. Nec magis admittit distinctionem Scoti *formalem* (1), entitates nescio quas in Deo operationi intellectus nostri præexistentes supponentem. Æque repugnat distinctioni tantum *logicæ* seu *grammaticali* quæ merum est nomen. Sed statuit quamdam distinctionem *e natura ipsa rei* promanantem et æquivalentem differentiæ illi *virtuali cum fundamento in re* cui libenter annuunt plurimi optimæ notæ theologi (2). Ille « modus non identitatis, » seu illa distinctio quam vocat « formalem, sed large sumptam et ad bonum sensum (3), » non est in ipsa re sicut Scotus voluit, neque tantum in intellectu, sed fluit ex natura rei, mediante propositione (4), id est, mediante rationis nostræ operatione : est veluti modus in Deo singularis qui in creaturis non invenitur, quia, inquit, nulla res creata est plures res et quælibet earum. Licet ergo subobscurius loquatur, et clariorem formulam *distinctionis rationis cum fundamento in re* vel ignoret, vel despiciat, doctrinam tamen sanam et vere catholicam retinet; unde tanto magis lætamur, quanto vehementius formidandum erat ne hac in re errores Nominalium amplecteretur.

IV

Quærit ulterius utrum in Deo sit aliqua distinctio inter

(1) Cf. Kleutgen, *La philosophie scolastique*, t. I, c. IV.

(2) Cf. D. Thomam, *Comment. in quatuor libros Sententiarum*, Dist. XXVI, q. II, a. 1.

(3) *Quæst. in Sent.*, q. VI, a. 1, f. CVI. — Ita etiam Gulielmus Occamus. — Cf. J. B. Schwab, *Johannes Gerson*, c. VI, p. 278.

(4) *Ibid.*, f. CVIII.

essentiam et Ideas seu rationes causales (1). Occami vestigiis insistens, scribit :

« Idea non habet *quid rei*.... sed *quid nominis*. Unde potest sic describi : idea est aliquid cognitum a principio productivo intellectuali ad quod ipsum aspiciens potest aliquid in esse reali producere (2)..... Ideæ descriptio, prout supponit pro idea creaturæ, non convenit divinæ essentiæ, quia, secundum omnes, plures sunt ideæ et unus Deus ; sed est *ipsamet creatura*... Nam ipsa est cognita ab intellectuali activo, et Deus ad ipsam aspicit ut rationabiliter producat, quia quantumcumque Deus cognosceret essentiam suam, si non cognosceret suum producibile, ignoranter produceret et non rationabiliter, et per consequens non per ideam (3). »

Antea scilicet omnem realitatem denegaverat universalibus, eamque solis singularibus tribuerat (4). Timens vero ne illa sua theoria quid detrimenti pateretur, si archetypus quivis admitteretur in Deo tanquam imago et species plurium efficiendorum, sive tanquam *unum ad multa*, archetypos omnes a Deo excludit ; nullasque Ideas agnovit nisi singularia ipsa cognita a Deo ut per eum fiant. Id autem confirmat eo quod « essentia divina est unica et non plurificabilis, nisi in tribus suppositis de quibus non est ad propositum (5). » Sed frustra ; nam archetypi seu Ideæ nihil aliud sunt quam ipsamet unica essentia Dei imitabilis ad extra tali vel tali modo, et sub his vel illis individuis formis (6). Pluralitas ergo Idearum non importat inter eas et in ipsa

(1) *Ibid.*, q. VI, a. 3, f. CXIII.

(2) Est ipsamet definitio quam tradit G. Occamus. — Cf. J. B. Schwab, *op. cit.*, p. 280.

(3) *Quæst. in Sent.*, q.VI, a.3, f.CXIII, verso. — Cf. G. Occamum, *In I Sent.*, f. CXIV, Dist. XXXV, q. 5.

(4) Cf. cap. II hujus libri, p. 160. — Item, *Quæst. in Sent.*, q. VI, a. 3, verso.

(5) *Quæst.* q. VI, a. 3, f. CXIII et CXIV.

(6) Cf. Boetium, *de Cons. phil.*, l. III, metr. 9 ; D. Thomam, I P., q. XV, a. 2 et XLIV, a. 3, et *Comm. in Sent.*, lib. I, Dist. XXXVI, q. II, a. 2.

divina essentia nisi distinctiones illas quas supra diximus logicas cum fundamento in re. Creaturam autem quamlibet possibilem videt Deus veluti ceram in qua imprimi possit sigillum archetypi seu Ideæ alicujus; et consequenter tandem ad decretum creationis illam intuetur in sua propria et concreta entitate, absque ulla earum confusionum quibus doctrinam Aquinatis et nostram laborare putavit Alliacenus.

Affert quidem ipse exemplum domus realis quæ potest esse idea alterius similis domus. At quæ est idea primæ illius domus? — Ipsa, inquit, « *realiter existens extra Deum*. » Sed quando incœpit fieri nondum ita existebat. — Forsitan erit ipsa quatenus *possibilis?* — Sed nihil est possibile nisi conforme sit alicui præexistenti exemplari. — At vero, dicit Alliacenus, non datur inter exemplar et exemplatum distinctio (1). — Sed flagrat ejus responsum tanta absurditate ut nihil amplius contra eum proferre opus sit.

Ecce vero ad Trinitatem recurrit ut rem suam perditam instauret, realitatemque Idearum aliquam universæ traditioni theologicæ concedat.

« In Deo sunt, inquit, plures Ideæ quæ sunt realiter idem essentiæ divinæ, et sunt inter se et ab ipsa essentia aliqualiter distinctæ. Patet, quia in divinis sunt duæ personæ productæ, scilicet *Filius* et *Spiritus Sanctus;* et cuilibet convenit descriptio ideæ et conditiones supra positæ (2)... Duæ ergo Ideæ sunt in Deo *realiter* et *proprie*, sed bene sunt in eo infinite *intellectualiter et objective*. Patet, quia non sunt plures Ideæ quam duæ quæ sunt realiter *Deus* vel *in Deo;* sed infinitæ sunt Ideæ sicut sunt infinitæ res producibiles, et illæ non sunt in Deo *realiter* et *proprie* sed solum *intellectualiter* et *objective*, scilicet tanquam quædam cognita ab ipso et non alio modo (3) »

(1) *Quæst. in Sent.*, f. CXV, verso.
(2) *Ibid.*, f. CXIV.
(3) *Ibid.* — Cf. Altenstaig, *op. cit.*, pp. 202 et 203.

At vero, præterquam quod Spiritus Sanctus, ne loquar de Verbo utique *pleno Idearum* (1), vix eo nomine notari possit, hoc Alliaceni perfugium inutile prorsus ei erit. Impossibile enim est duas personas divinas, cur tres non diceret? esse modos imitabilitatis essentiæ divinæ ad extra, quibus revera similes sint creaturæ, quemadmodum exemplata suis exemplaribus. Standum ergo erat doctrinæ Aquinatis, et manendum in antiquis.

Singulares prorsus alias propositiones de Trinitate statuit quas indicasse sufficiat, ne longiores simus et fastidium legentibus ingeneremus. Affirmat scilicet « nihil in divinis esse *principium quo* productivum Filii (2), » dum communis est theologorum sententia Patrem generare virtute essentiæ seu naturæ (3). De charactere proprio et hypostatico Spiritus Sancti hæc habet :

« Dico quod *Spiritus Sanctus* non magis est charitas, amor vel dilectio *Patris* et *Filii* quam *Pater* sit charitas, amor vel dilectio *Filii* et *Spiritus Sancti*, et hoc loquendo de virtute sermonis et proprie.... Isti termini : *charitas*, *amor*, *dilectio*, proprie loquendo sunt termini essentiales, et si quandoque a Sanctis vel Doctoribus capiantur personaliter, hoc non est secundum sermonis proprietatem, sed est secundum quamdam *appropriationem* (4). »

Id contradicere non modo Aquinati sed Patribus præsertim latinis, satis superque notum est (5).

(1) Origenes, *I in Joannem*, apud Migne, *Patr. gr.*, XIV, col. 58; — Aug., *in VI de Trin.*, c. 10, *Patr. lat.*, XLII, col: 931. — Cf. Petavium, *De Deo*, lib. IV, c. XI, 8 et 9; lib. V, c. VIII, 7 et seqq.; *de Trin.*, l. VI, cap. II et IV.

(2) *Quæst. in Sent.*, q. VII, a. 2, f. CXX, verso.

(3) S. *Theol.*, I p., q. XLV, a. 5. — *Comm. in Sent.*, Dist. V, q. I, a. 1.

(4) *Quæst. in Sent.*, q. VIII, a. 3, f. CXXXIII. — Cf. Altenstaig, *op. cit.*, p. 469.

(5) S. Thomas, *S. Theol.*, I p., q. XXXVII, a. 1. — Cf. Augustinum, *Tr. 105 in Joann.*, apud Migne, *Patr. lat.*, XXXV, col. 1904; Lib. VI *de Trin.*, c. 5, XLII, col. 928. — Cf. Petavium, *de Trin.*, l. VII, c. XII, a. 1 et seqq.

CAPUT OCTAVUM

Alliaceni Theologia moralis

Pejor adhuc fuit in Petrum ab Alliaco Occami influxus in rebus theologicis moralibus, de quibus, etsi non ex professo, sed obiter solum agat, pluries tamen et graviter delinquit, nominatim de *fundamento legis moralis*, de *actibus meritoriis* deque *fine hominis ultimo*.

I

Bonum morale, si Petro fidem adhibeas, in perfecta divinæ legis adimpletione consistit, et malum morale nihil aliud est « quam commissio vel omissio contra legis prohibitionem vel præceptum (1). »

Utriusque vero distinctio an fundetur in ipsa divina essentia et humana natura, an in voluntate Dei arbitraria quæ alia esse potuisset ? « *Nullum est ex se peccatum,* ait, *sed præcise quia lege prohibitum* (2). Vides jam minui intrinsecam

(1) *Principium in 2um Sent.*, f. XIV.

(2) *Principium in 1um Sent.*, f. IV, verso. — *Principium in 2um Sent.*, f. XIV. — Item, *Quæst. XIV in Sent.*, a. 3, f. CCXII. — Cf. Gersonium, *De consol. theol.*, t. I, col. 147; *De vita spirituali animæ,* t. III, col. 13.

peccati malitiam, simulque horrorem quo erga ipsum homo debet affici. Sed ulterius a quanam lege prohibetur? Ab *æterna* forsitan seu *naturali*, vel a *positiva?* Si ab *æterna* quæ nihil aliud est quam ipsa Dei essentia, si a *naturali* quæ participatio est legis æternæ in rationali creatura, bonum utique et malum essent *ex se*. Ast ea non est mens Alliaceni qui sic docet :

« Sicut divina voluntas est *efficiens causa*, quia vult aliquid esse vel fieri, sic ipsa est *lex obligatoria*, quia vult aliquid ad aliqualiter esse vel non esse teneri (1).... Voluntas divina non est naturaliter lex vel regula. Patet, quia sicut voluntas divina *libere et contingenter* est causa efficiens, sic ipsa *libere* et *contingenter* est lex obligans (2). »

Loquitur ergo aperte de lege *positiva* et *contingenti*, in magnum et bene nato viro indignum paralogismum incidens. Ex eo enim quod Deus libere contingentem mundum creaverit, sequitur *factum* obligationis creaturis rationalibus impositæ pariter esse contingens. Sed *jus* ipsum quo obligantur necessarium est, neque Deus ipse potuit eas exonerare a quibusdam officiis necessario resultantibus ex sua infinita et earum finita natura. Immo quando officiis ejusmodi alia mere positiva superaddit, lex æterna legislationem hanc arbitrariam promovet, dirigit et sancit, ita tandem ut nihil divinitus præscribatur quod fundamentaliter saltem bono æterno et immutabili veluti consanguineum non exstet, nihilque divinitus prohibeatur quod malo ex se et intrinseco non consocietur.

(1) *Principium in 1um Sent.*, f. IV, verso.

(2) *Ibid.*, f. VI.

II

Inquirit etiam Petrus quomodo actus nostri, dum secundum præceptum fiunt, a Deo recipiantur; an videlicet vera et efficacia sint ad finem ultimum media? Quæstionem sic solvit :

« Aliquis non est dignus vita æterna ab aliqua causa creata, sed a sola acceptione divina (1). Nullum est bonum vel malum quod Deus de necessitate sive ex natura rei diligat vel odiat, loquendo de dilectione et odio spirituali. Nec aliqua qualitas est ex natura rei justitia, sed ex mera acceptatione divina; nec Deus justus est quia justitiam diligit, sed potius e contra aliqua res est justitia quia Deus eam diligit, id est acceptat. Nullus actus est meritorius vel demeritorius essentialiter et intrinsece, sed solum ex divina acceptatione vel deacceptatione (2). »

Error modo reprehensus iterum ecce redit. Licet enim institutio supernaturalis ordinis factum sit liberrimum divinæ erga angelum et hominem dilectionis, jam nihilominus, et ex natura ipsa rei institutæ, gratia et justitia supernaturales ordinem intrinsecum et proportionem omnino realem habent ad præmium æternum cæteroquin nobis redditum ut mercedem et coronam. Hanc porro ordinationem et proportionem, ut ita loquar, ontologicam, dum non agnoscit vel etiam negat Alliacenus, viam certe parat Protestantibus asserentibus justificationem consistere in pura et extrinseca imputatione justitiæ Dei ex meritis Christi ho-

(1) *Quæst. in Sent.*, l. I, q. IX, f. CXL.

(2) *Ibid.*, f. CXLII, verso; — Cf. etiam q. XII, f. CLXXIII. « Nullum est meritum nisi Deus acceptet illud et velit esse meritum. »

minibus factæ. Hinc iterum judicandum est de pessimis fructibus Nominalium doctrinæ quæ, *entitates* antiquioris Scholæ repudians, totum sanctificationis opus ad meras denominationes volens nolens restringit.

Hinc etiam stupenda et prope impia consectaria ad quæ, duce Occamo, deducitur Alliacenus :

« Ipse (Occamus) concedit, nec reputat inconveniens quin voluntas creata possit meritorie Deum odire, quia Deus illud posset præcipere, quum possit quidquid fieri non implicat contradictionem. Illud autem præceptum non implicat contradictionem, quia creatura posset facere ; posset enim una creatura alteri præcipere quod odiret Deum. Cum igitur Deus possit per se immediate facere in genere causæ efficientis quidquid potest facere mediante causa secunda (1), et ipse possit mediante creatura tale præceptum facere, sequitur quod per se potest. Tali autem præcepto a Deo facto creatura obediendo meretur (2). »

Animus revera nobis deficit ut talia refellamus quæ nullum cæteroquin jam parere possunt periculum, ex eo præcipue tempore quo similes insaniæ in pseudomysticis sunt ab Ecclesia profligatæ. Frustra autem confugit Alliacenus ad famosissimam distinctionem inter « *potentiam Dei absolutam et ordinatam* (3). » Quid enim, quæso, divini et infinite perfecti inveniri potest in attributo, etiam *absoluto*, unde

(1) *Principium in 1um Sent.*, 3a concl., f. VII.

(2) *Quæst. in Sent.*, q, XIV, a. 3, f. CCXII, verso.

(3) Sic, v. gr., affirmat Alliacenus : « Aliquis potest esse non amicus Dei *de potentia absoluta* habendo aliquam qualitatem infusam quæ sit charitas vel gratia. » — *Quæst. in Sent.*, l. I, q. IX, a. 2, f. CXXXVII, verso ; cf. d'Argentré, *Coll. judic.*, t. I, p. I, pp. 342, 344, 353. — « Deus potest *de potentia absoluta* rationali creaturæ falsum dicere et eam decipere per seipsum immediate et directe. » *Quæst. in Sent.*, l. I, q. XII. — Cf. d'Argentré, *ibid.*, t. I, pp. 342 et 344. — « Permissio non est signum voluntatis divinæ. Sic quando Deus permittit minora bona sicut sunt conjugium et dominium, non est signum suæ voluntatis. » *Princ. in 1um Sent.*, f. VII, q. XIV, a. 1, f. CCIII.

tam pravi effectus sequerentur? Quid divini et infinite perfecti in potentia non modo *non ordinata* sed etiam ordini rerum essentiali contraria? Cæteroquin damnata jam fuerat hæc propositio Joannis de Mercuria : « Deus potest facere se solo quod anima odiret proximum et Deum non demeritorie (1), » paremque censuram debuissent vitare Alliacenus ejusque magister Gulielmus Occamus. Sapientior illis hac in re fuit eorum successor Gersonius, cujus ea libet audire verba :

« In Facultate Theologiæ videtur esse necessaria reformatio super sequentibus inter cætera. Primo, ne tractentur ita communiter doctrinæ inutiles sine fructu et soliditate, quoniam per eas doctrinæ ad salutem necessariæ et utiles deseruntur. *Nesciunt necessaria, quia supervacua didicerunt*, inquit Seneca. Per eas termini a Sanctis Patribus usitati transmutantur, contra illud Augustini : *Nobis ad certam regulam loqui fas est*. Et non sequitur velocior scientiæ corruptio quam per hæc (2). »

III

De ultimo fine nostro infeliciter iterum fallitur Alliacenus, ejus certitudinem et evidentiam in ordine naturali destruens. Dei enim fruitionem qua homo beari debet, sic primum explicat :

« Est actus voluntatis quo aliquid assumitur in facultate

(1) Anno 1347. — Joannis propositiones Calvinismum et Jansenianismum sapiunt. — Cf. d'Argentré, *Coll. judic.*, t. I, p. I, p. 344.

(2) *Epistolæ duæ de Reformatione Theologiæ*, in opp. Gersonii, t. I, col. 122. — Cf. etiam coll. 103 et 105.

voluntatis propter se et tanquam summe diligendum (1). »

Et statim subdit :

« Non est evidenter notum Deum esse, igitur nec est evidenter notum *solo Deo* esse fruendum, immo nec *Deo* esse fruendum... Antecedens patet, quia *Deum esse sola fide tenetur.* »

Ita aperte incidit in fideismum, nisi dicam in scepticismum. Quatuor deinde conclusiones ponit, Aristotelis et Avicennæ auctoritate fretus :

« 1° Non est nobis evidenter notum nullo alio a Deo esse fruendum.... 2° Non est nobis evidenter notum Deo esse fruendum.... 3° Non est nobis evidenter notum quod voluntas non possit quietari in aliquo circa Deum.... 4° Non est nobis evidenter notum quod voluntas possit quietari aut satiari per aliquem actum (2). »

Quibusdam semel solutis objectionibus, tertiam illarum thesium evolvit hoc modo :

« Non est nobis evidens quod sit aliquis finis ultimus omnium propter quem omnia fiunt.... Nec est nobis evidens quod homo debeat ordinare omnia opera sua ad alium finem quam ad seipsum, seu ad suam perfectionem ; et per consequens non est nobis evidens quando (quod non) homo sit nobis finis ultimus, et quando (quod non) seipso debeat frui et non alio (3).... Non est nobis evidens quod ista consequentia sit bona, sive hæc conditionalis vera : si aliquis est finis ultimus omnium, ille est maxime diligendus et propter seipsum.... Non est nobis evidens quod bonum commune semper sit magis diligendum quam bonum particulare, quum hoc non est verum universaliter, nisi quum bonum particulare includitur in bono communi (4). »

(1) *Quæst. in Sent.*, q. II, a. I, f. LVII. — Ita Augustinus : « Frui est amore alicui rei inhærere propter seipsam. » *De doctrina christiana,* l. I, p. 4 ; apud Migne, *Patr. lat.*, XXXIV, col. 20.

(2) *Ibid.*, a. 2, f. LXIII.

(3) Corruptus videtur locus tum in editione Johannis Petit qua utor, tum in alia quam secutus est P. Tschackert (*op. cit.*, p. 322), et loco adverbii *quando*, legendum puto : *quod non.*

(4) *Ibid.*, a. 2, f. LXV.

Quo hæc tendant, ad ruinam nempe totius ordinis moralis, luce clarius est. Si enim ratio in his nihil certum repperiat, jam de universa philosophia morali actum est, simul atque de jure naturali et de lege illa quam conscientia humana cuivis etiam infideli promulgat. Tantam vero cladem per revelationem et fidem christianam reparari nullus admittet, nisi ex eorum paucorum numero sit qui ex universali scepticismo scientiam et certitudinem derivari posse delirant. Jure igitur merito concludit D[r] P. Tchsackert, vir eruditus, sed religione protestans : « Quod si nihilominus Ecclesia ætate illa suam moralem conscientiam non amiserit, hoc certe meritum doctoribus qui tunc primatum in ea sibi arrogabant, tribui nequit (1). »

IV

Ne infinitus sim, plura omittam quæ minus necessaria sunt ad cognitionem systematis theologici Petri de Alliaco. Nonnulla tamen retinere et hic indicare volo quæ utpote ad theologiam sacramentariam spectantia non raro adhibita sunt in disputationibus Scholæ vel etiam fidei, quæque propterea expendere et confutare oportebit minime.

Primum est de efficacia sacramentorum novæ Legis. Illam ita definit :

« Ad videndum autem melius quomodo sacramenta sunt causæ gratiæ et quomodo non, et ad salvandum dicta sanctorum Doctorum, distinguendum est de causa efficiente. Quia enim

(1) « Dass die Kirche aber trotzdem ihr sittliches Bewusstsein nicht verlor, war wahrlich nicht das Verdienst dieser ihrer tonangebenden Geister. » *Peter von Ailli*, p. 325.

causa est aliud ad cujus esse sequitur aliud, dupliciter potest aliquid dici causa : uno modo proprie, quum ad præsentiam esse unius, virtute et ex natura rei sequitur esse alterius, et sic ignis est causa caloris. Alio modo improprie quando, ad præsentiam esse unius, sequitur esse alterius, non tamen virtute ejus, nec ex natura rei, sed ex sola voluntate alterius, et sic actus meritorius dicitur causa respectu præmii (1). Sic etiam causa *sine qua non* dicitur causa.... Ista distinctione præmissa, pono tertiam conclusionem quod sacramenta legis novæ primo modo non sunt causæ effectivæ gratiæ, sed bene secundo modo et improprie (2). »

Quomodo ea theoria satis distinguat Sacramenta christiana a mosaicis, veramque causalitatis notionem in illis prioribus tutetur ac conservet, viderint illi theologi qui etiam post Tridentinam Synodum Alliaceno plus minus consentire apparent.

Alteram singularem certoque falsam doctrinam tenet de necessitate non omnino absoluta baptismi ad alia sacramenta suscipienda :

« Baptismus fluminis Confirmationem præcedere non requiritur simpliciter, sed vel ipsum aut aliquid æquivalens, quale creditur tunc fuisse in Paulo cum vidisset arcana (3). »

Sed de sanctissimo Eucharistiæ sacramento maxime a vera sanaque theologia discedit. Jure quidem transsubstantiationis explicationes a Scoto et Occamo propositas sibi

(1) Cf. par. II hujus capituli, p. 226.

(2) Q. XIV, a. 1, CCXXV. — Cf. cap. II hujus libri, par. 2. — Hic Alliacenus prope negat Sacramentorum causalitatem; causa enim per accidens vel conditio *sine qua non* vera causalitate caret. Doctor noster, suo infelici more, sequitur G. Occamum (*Dist. I, Quæst. I*), quem etiam secuti sunt Durandus a Sancto Portiano (*In IV Dist. I*, q. V, n. 19 et *Dist. IV*, q. I, n. 11), Marsilius ab Inghem (q. I, a. 3, p. 3, concl, 3), Gabriel Biel (*In IV Dist. I*, q. I, a. 1 et 2) et Nominales fere universi. — Cf. *Commentarium de sacramentorum causalitate* a Jan. Bucceroni, S. J., 1884.

(3) Ita putat solvere difficultatem sequentem: *Paulus fuit confirmatus per impositionem manuum ab Anania et tamen nondum erat baptizatus.* (*In 4um Sent.*, q. III, a. 2, f. CCXLVI, verso.)

insufficientes videri declarat. Sed hanc deinde, vix meliorem et pro nostro judicio adhuc valde ineptam, substituit :

« Est successio immediata duarum rerum non habentium communem materiam vel subjectum, quarum posterior est substantia quæ incipit per se vel principaliter esse ubi alia res totaliter desinit esse (1). »

Sed in quæstione potissimum impanationis hæsitat et fluctuat miserrime, non quidem fidem ipsam deserens, ast eam enervans et quatiens istis deliramentis :

« Tertia opinio fuit quod substantia panis remanet... ubi corpus Christi incipit esse, et sic dicitur substantia panis transire in substantiam corporis, quia ubi est hoc incipit esse illa.... Hæc autem opinio est possibilis, quia valde possibile est substantiam panis coexistere substantiæ corporis, nec est magis impossibile duas substantias coexistere quam duas qualitates. Sed utrum corpus Christi posset coexistere substantiæ panis per unionem, dubium est. Et posset dici quod si sit possibile quod una creatura sustentet aliam, ut dicunt aliqui, et satis apparet non repugnare, nec videtur posse reprobari evidenti ratione; tunc possibile est corpus Christi assumere substantiam panis per unionem. Quidquid tamen sit de hoc, patet quod ille modus est *possibilis*, nec repugnat rationi nec auctoritati Bibliæ; immo est *facilior* ad intelligendum et rationabilior quam aliquis aliorum (2). »

(1) *Ibid.*, q. VI, a. 1, f. CCLXIV, verso. — Cf. contra eam definitionem Em. Card. Franzelin, *Tractatus de SS. Euchar. sacramento et sacrificio*, Th. XIII, p. 190.

(2) *Ibid.*, q. VI, a. 2, f. CCLXV, verso. — Hoc textu usum fuisse Lutherum jam legimus supra, p. 165. Eodem abusum fuisse anglicanum D[ris] Pusey patet per ejus opus « *The doctrine of the real presence as contained in the Fathers*. 1855. » Affirmat enim Petrum de Alliaco cum D. Thoma (*in I Cor.* XI, 5), Innocentio III (*De sacr. Missæ*, l. IV, c. 9), S. Bonaventura, Occamo, Scoto et Cajetano, negasse desitionem substantiæ panis et vini, ejusque conversionem in corpus et sanguinem Domini. Insuper asserit opinionem impanationis usque ad sæculum XV fuisse in Ecclesia liberam, a periculo hæreseos alienam, immo commodiorem ad præcavendas difficultates. Hæc autem falso dicta esse haudquaquam dubium est. — Cf. Em. Card. J. B. Franzelin, *op. cit.*, th. XIV, p. 200. — Cf. etiam Altenstaig, *Lexicon theologicum*, p. 496, verso.

Sententiam tamen veram et catholicam amplectitur, sed unice propter auctoritatem Ecclesiæ quæ magis favet, inquit, communi huic assertioni.

Talibus igitur malis ac erroribus laborabat ipsa scientia theologica tempore Alliaceni. Causam dixi Nominalismum sive fucatum philosophiæ scepticismum. Causam alteram indicare possem : perturbationes et bella quibus cuncta movebantur, non in regnis tantum, sed etiam in Ecclesia, qua de re postea iterum tractabo.

CAPUT NONUM

Alliacenus de Ecclesia et Romano Pontifice

Alliaceni doctrinam de Ecclesia et Romano Pontifice ex duplici fonte haurire oportet : ex ejus videlicet scriptis et factis. Scripta hoc nono capite expendentur; facta, jam in prima parte operis relata, sequenti decimo capite interpretabimur et judicabimus.

Hanc quidem « materiam non esse theologalem in aliquo (1), » id est, nullatenus ad fidem et scientiam fidei pertinere, censuit Bonifacius ille Ferrerius, Alliaceno olim infensissimus (2). Nos vero non tantum episcopo Cameracensi sed Ecclesiæ consentientes, Bonifacio contradicimus, et cum Petro respondemus : « Illa materia a summis theologis procedit, ab iis in libris redacta fuit, a quibus Gratianus omnia quæ ab eo in Decreto collecta sunt et truncata recepit (3). »

I

Spectandum imprimis quid de fundamento ipso Ecclesiæ docuerit Alliacenus.

(1) Martène et Durand, *Thesaurus*, t. II, p. 1465.

(2) Cf. supra, p. 83.

(3) *Apologia Concilii Pisani*, apud P. Tschackert, *Peter von Ailli*, Appendix, p. 38.

« Magnus Ecclesiæ doctor Augustinus, inquit, in libro *de Civitate Dei* duas describit civitates, duas signantes Ecclesias inter se diversas pariter et adversas. Una est civitas Hierusalem, alia est civitas Babylon : una civitas est Ecclesia Dei, altera civitas est Ecclesia diaboli... Unam diabolus ædificat super instabilem arenam; aliam Christus ædificat super stabilem petram, de ea dicens præmissam pro themate sententiam : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Sed investigandum nobis est quæ sit hæc petra... Beatus Augustinus (1) de apostolo Petro dicit quod in illo tanquam in petra fundata sit Ecclesia... At in pluribus aliis passibus aliter exponit hunc Evangelii locum. Quia enim Christus Petra, ait, Petrus christianus: ideo Petrus a Petra, non Petra a Petro, sicut non a christiano Christus, sed a Christo christianus vocatur. *Tu es ergo*, inquit, *Petrus*, *et super hanc petram* quam confessus es et cognovisti dicens : *Tu es Christus filius Dei vivi.... ædificabo Ecclesiam meam* (2).... Licet autem ipsemet Augustinus, quæ harum duarum sententiarum probabilior sit, electioni lectoris reliquerit (3), non tamen videtur quod in Petra *Petrus*, sed in Petra *Christus* sit intelligendus de quo ait Apostolus : *Petra autem erat Christus* (4). Quis enim in Petri infirmitate Ecclesiæ firmitatem stabiliat (5) ?...

» Sed ut ea quæ præmisimus ad concordiam reducamus, ita concedamus Christum esse Ecclesiæ fundamentum principale, et non negemus super ipsum plura fundamenta ædificari posse (6).... Christus super hanc firmam petram (super seipsum) Petrum stabiliter firmavit... Sed, salva omnino Christi Salvatoris sententia, sive in Petra Petrum, sive in Petra Christum secundum litteralem sensum intelligere valeamus, tamen

(1) *In libro contra epistolam Donati.*

(2) Libro I *de verbis Domini*; — *In Joan.*, Tract. 134. — Homilia *de Transfiguratione.*

(3) *Liber I Retractationum*, XXI.

(4) I Cor., X, 4.

(5) *Recommendatio Sacræ Scripturæ* (an. 1380); in opp. Gersonii, t. I, col. 603. — Eam opinionem exponit et confutat Joannes Major in sua *Disputatione de statu et potestate Ecclesiæ*; in opp. Gersonii, t. II, col. 1122.

(6) Apoc. XXI, 14.

secundum spiritualem intellectum per hanc Petram divinam Scripturam et sacram Christi doctrinam signare possumus, quæ tam firmæ soliditatis et tam solidæ firmitatis existit, ut non immerito super eam Christi Ecclesia fundata sit (1). »

In illa sensuum diversitate et interpretum dissonantia, audiamus infallibilem declarationem Concilii Vaticani : « Juxta Evangelii (Matth. XVI, 16, 19) testimonia, primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum.... a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem cui jam pridem dixerat : *Tu vocaberis Cephas*.... solemnibus his verbis allocutus est Dominus : *Beatus es*, ... (2). » Alliacenus igitur jam non dubitet, theologia non ambigat : Petra Ecclesiæ Petrus ipse est.

De Ecclesiæ auctoritate agit postea Doctor noster. Juxta eum, sex ecclesiasticæ potestates leguntur in Evangelio a Christo suis apostolis et discipulis, pro ipsis et eorum successoribus, ministris ecclesiasticis, fuisse collatæ : prima est potestas *consecrationis*; secunda, potestas *administrationis* sacramentorum et præcipue sacramenti pœnitentiæ; tertia est auctoritas *apostolatus*; quarta est potestas *judiciariæ correctionis* in foro exteriori; quinta est *dispositionis ministrorum*; sexta est *exigendi necessaria vitæ* ab his quibus spiritualia ministrant (3). Scribit deinde :

« Sex prædictæ potestates a principio communes fuerunt, et quasi pares omnibus apostolis, præter quintam quæ Petro specialiter collata est.... Illi enim Dominus contulit, pro se et suis successoribus, auctoritatem *disponendi* ministros Ecclesiæ et *determinandi* jurisdictionem dicens : *Pasce oves meas*, id

(1) *Recommendatio Sacræ Scripturæ*, in opp. Gersonii, t. I, col. 604.

(2) Conc. Vat. Const. *Pastor æternus*, cap. I.

(3) *De Ecclesiæ, Concilii generalis et Romani pontificis auctoritate*; in opp. Gersonii, t. II, coll. 927 et seqq. — Cf. J. Almainum, *Expositio circa decisiones Occam*, *ibid.*, col. 1015.

est, sis pastor et prælatus generalis, ad quem pertinet dispositio et regimen generale ovium et ovilis (1).... Sicut apostoli et discipuli, sic episcopi et *presbyteri*, Ecclesiæ ministri, a Christo immediate potestatem ecclesiasticam susceperunt, tanquam ab eo qui solus est proprie et maxime caput Ecclesiæ. Tamen nihilominus Petrus et quilibet ejus vicarius Pontifex Summus potuit dici caput Ecclesiæ, in quantum principalis est inter *ministros*, a quo tamen, tanquam a principali hierarcha et architecto, aliquo modo dependet totus ministrorum ecclesiasticus ordo (2). »

Petri munus esse tantum hoc ut *disponat* ministros et *determinet* jurisdictionem; a Christo autem, non episcoporum tantum, sed et simplicium Sacerdotum potestatem ecclesiasticam immediate oriri; Summum Pontificem non esse nisi vicarium *Petri* et principalem *inter* ministros Ecclesiæ, a quo revera *aliquo modo* pendet totus ecclesiasticus ordo, nullus certe catholicus amplius auderet tueri, et nullus non mirabitur olim ab episcopo et cardinali traditum fuisse.

Illam universalem Ecclesiam, quam ita singulariter describit, infallibilitatis privilegio donatam esse firmiter et ubique asserit Alliacenus. Jam in suis *Vesperiis* protulerat hanc assertionem :

« In quam communiter omnes fideles videntur consentire,

(1) *Ibid.*, col. 928.

(2) Hoc systema, in quantum presbyteros et speciatim curatos spectat, admissum est a Joanne Majore (*Disputatio de statu et potestate Ecclesiæ*, in opp. Gersonii, t. II, col. 1130), ab ipso Gersonio (*De pot. eccles.*, t. II, coll. 249, 436 et 534) et a Richerio (*Libellus*, c. II, et aliis locis de quibus cf. E. Puyol, *Edm. Richer*, Etude historique et critique, t. I, p. 251). Contra ipsum, cf. censuras quibus a Sorbona perculsi fuerunt Fr. Gorel (1408) et Sarrazin (1429); — cf. etiam Bullam *Auctorem fidei*, IX ad XII.—Quum vero Alliacenus asserit Papam esse caput Ecclesiæ, opponitur doctrinæ Gersonii qui aperte scribit : « *Corporis universalis Ecclesiæ caput Christus solus est.... Nec istius Ecclesiæ Papa potest dici nec debet caput, sed solum Vicarius Christi.* » *De modis uniendi*, ad Petrum ad Alliaco, t. II, col. 163; — Cf. G. Occamum, *Dialogus*, p. III, t. I, l. IV, c. I et seqq.

quod tota Ecclesia sive multitudo omnium Christianorum hæreticari non potest, sive contra fidem errare (1).

Quod vero sic semper perseveratura sit in fide, non potest, inquit sapienter, convinci ratione sed Scripturæ auctoritate (2).

« Semper quamdiu erit Ecclesia, ipsa perseverabit in fide.... De perseverantia ipsa certificata est ex instructione Scripturæ Sacræ, seu alterius revelationis divinæ, juxta illud prius allegatum : *Petre, rogavi pro te*, etc., ubi Christus revelavit quod semper Petri Ecclesia in fide perseverabit (3). »

Ne tamen putes Ecclesiam Petri quidquam ipsi Petro suo capiti debere :

« Hanc auctoritatem habet Ecclesia universalis quod in fide errare non possit, et hoc nec mediate nec immediate a Papa dependet, quia id non habet (4).... Universalis Ecclesia a Christo et non a Papa hoc privilegium auctoritatis habet, quod in fide errare non potest (5)... Sola universalis Ecclesia hoc habet privilegium quod in fide errare potest, juxta illud Christi dictum Petro, *non pro se,* nec personali sua fide, sed pro fide universæ Ecclesiæ : *Petre... non deficiet fides tua* (6). »

Ecclesia autem illa, quæ inerrantia et infallibilitatis dono gaudet, non est Ecclesia *docens* et *regens*, sive episcoporum et clericorum, sed Ecclesia *omnium*, etiam laicorum ; et dummodo quidam ex iis permaneant in fide, salvabitur

(1) *Utrum Petri Ecclesia lege reguletur*; in opp. Gersonii, t. I, col. 669. — Cf. Gersonium, *De modis uniendi*, t. II, col. 163.

(2) *Ibid.*, coll. 684 et 688. Cf. Gersonium, *Sermo in vigilia Dominicæ Palmarum*, t. II, col. 205.

(3) *Ibid.*, col. 673. — Cf. etiam coll. 691 et 692.

(4) *De materia Concilii generalis*, Ms. in Bibl. Nat. Paris., n[is] 1480, 3124, 1571. — Cf. etiam Alliacenum in opp. Gersonii, t. II, col. 958; et t. I, col. 710.

(5) In opp. Gersonii, *ibid.*, col. 953. — Item apud Von der Hardt, *Rerum Conc. œcum. Constant.*, t. IV, p. 381.

(6) Von der Hardt, *op. cit.*, t. II, col. 201. — Mansi, *Sacr. Concil. nova et amplissima collectio*, t. XXVIII, p. 546.

donum inerrantiæ a Christo Ecclesiæ factum. Etenim :

« Ex sacra Scriptura convincitur quod semper est aliqua Ecclesia quæ Christi lege reguletur (1).... Ex sacra Scriptura convincitur quod semper est aliqua universalis Ecclesia quæ nunquam Christi legis regulæ difformetur (2).... Illud quod in sacra Scriptura promittitur *toti et nulli parti*, non debet alicui parti attribui : sed semper rectam fidem habere aut nunquam contra veram fidem errare, in sacra Scriptura a Christo promittitur *toti et soli fidelium congregationi*... Igitur hoc non debet alicui particulari Ecclesiæ catholicorum attribui, immo debet temerarium censeri. Major autem principalis rationibus probatur, et primo ex illo verbo Christi : Petre, rogavi pro te ut non deficiat fides tua (3).... Christus promisit Petro quod non deficiet fides sua, non intelligens de *ejus fide personali*, sed de fide generali Ecclesiæ Dei committendæ regimini Petri, et cum non loquatur de aliqua Ecclesia partiali, sequitur quod intendit de Ecclesia totali (4). »

Mirabile sane argumentum ! Christus rogavit ut non deficiat fides Petri : sequitur inerrantiam non Petro sed *toti* fidelium multitudini fuisse concessam ! Multitudini scilicet quam confirmare jubetur Petrus ! Jam non usus est, sed scandalosus Scripturarum abusus, quem tamen in pluribus Gallicanismi fautoribus circa hanc materiam reperimus (5).

Nonne tamen Romana Ecclesia legi Christi necessario est addicta ita ut non possit errare ? Animadvertit primum Alliacenus Romanam Ecclesiam sumi posse pro Ecclesia univer-

(1) In opp. Gersonii, t. I, col. 670.

(2) *Ibid.*

(3) Luc., XXII, 32.

(4) *Ibid.*, col. 670.

(5) Cf. Joannem Major, *De auctor Conc. supra Papam*; in opp. Gersonii, t. II, col. 1142; — J. Breviscoxam, *De fide Eccl. Rom. Pont. et Conc. Gen.*, *ibid.*, t. I, col. 887 et seqq., sed præsertim 898; — J. Almainum, *Expositio circa decisiones M. G. Occam*, ibid., t. II, col. 1074; — Edm. Richerium : « Christus non tam uni Petro quam unitati infallibilem potestatem clavium detulit. » Prop. III inter eas quas deserere jussus est.

sali et omnibus credentibus fidem apostolicam prædicatam Romanis (1); illamque nunquam a fide defecturam. Præterea sumitur pro illa Ecclesia

« In qua Petrus tenuit episcopatum, quæ distinguitur a tota congregatione fidelium sicut pars a toto;... penes quam tamen residet auctoritative totum judicium in his quæ fidei sunt totius universalis Ecclesiæ, secundum ordinem a Christo institutum; quæ scilicet complectitur Papam et alios rite ad suum collegium pertinentes (2). »

De ista porro, Alliacenus *recitative* non *assertive* contendit, « uti probabiliter verum, » eam

« Posse difformari legi Christi; nec ad hoc sequitur universalem Ecclesiam legi Christi difformari; et ad probationem dicitur quod Christus solum de Ecclesia universali et non de aliqua Ecclesia particulari ordinavit quod nunquam difformabitur legi suæ (3).... In ea Ecclesia Romana non residet auctoritas nisi *sub conditione*, scilicet quamdiu ipsa manet in fide recta. Nam, licet ipsa in beato Petro recepit eam, tamen nihil videtur prohibere quin eam possit perdere, sicut in Ecclesia Antiochena; et ita tamen, si ipsa fieret infidelis aut hæretica, illi qui prius erant Ecclesia Romana desinerent esse caput Ecclesiæ, nec haberent talem principatum aut auctoritatem prædictam, nec propter hoc deficeret fides Ecclesiæ universalis (4)... Petrus existens Summus Pontifex, prius in Antiochia sedit quam Romæ.... Quare patet quod esse Pontificem Romanum non est necessarium ad esse Pontificem Summum, quia non est de essentiali necessitate Pontificis Summi quod sit Episcopus Romanus,

(1) In opp. Gersonii, t. I, coll. 666 et 667. — Hac de re cf. G. Occamum, *Dialogus*, p. I, l. V, c. 11 et seqq.

(2) *Ibid.*, coll. 690 et 691.

(3) Ita ipse Gersonius, *De modis uniendi ac reformandi Ecclesiam in Concilio*, t. II, col. 163; qui tractatus est ad Petrum de Alliaco directus et deditus. — Joannes Breviscoxa eamdem gemmam de Alliaceni thesauro deprompsit, in opp. Gersonii, t. I, col. 888.

(4) *Ibid.* — Cf. doctrinam Marsilii Patavini, Joannis de Janduno, Wiclefi et J. Hussi. Ita etiam Febronius, *De statu Ecclesiæ*, II, § 3. An revera possit Ecclesia primatum distrahere a Sede Romana et illum adnectere alteri sedi, negamus omnino cum sanis quibusque theologis. — Cf. Petrum Ballerini, *De potest. ecclesiast.*, c. VIII, § 2; — Bouix, *De Papa*, t. I, p. 208.

nec alterius particularis Ecclesiæ episcopus (1).... Unde pontificatus summus et pontificatus romanus sunt pontificatus distincti, licet sint in eadem persona divina ordinatione conjuncti. Pontificatus isti non sunt necessario sic annexi, quin ex causa rationabili valeant separari; puta si Summus Pontifex cum Concilio generali judicaret esse utile Ecclesiæ universali quod Ecclesiam Romanam omnino dimitteret et se alteri copularet.... Si pontificatus isti essent de facto separati, Romana Ecclesia non esset caput omnium Ecclesiarum, nec haberet principatum populi christiani (2). »

Immo, si conjunctio pontificatus supremi et episcopatus romani facta est a Deo, hæc tamen ordinatio fuit « per imperatores roborata et per Concilia generalia confirmata, » et sic a jure divino simul ac humano procedit (3).

Ac demum addere non dubitat, in tractatu nondum typis mandato de *Materia Concilii generalis*, quem acutis Baluzii oculis perspectum ejusque manu vel jussu transcriptum, in Bibliotheca Nationali Parisiensi ipsi nos recognovimus :

« Si Romana Ecclesia capiatur pro collegio Cardinalium, vel clero romanæ diœcesis, talis Ecclesia Romana nullam super Concilio generali conceditur auctoritatem habere. Immo tale

(1) *Ibid.*, col. 668. Et addit (col. 670) : « Hoc (infallibilitatis privilegium) non debet alicui particulari Ecclesiæ catholicorum attribui, immo debet *temerarium* censeri. » At in conspectu Clementis Papæ VII benigniorem profert doctrinam, et asserit ad romanam sedem « *maxime pertinere determinationem fidei, approbationem veritatis catholicæ et hæreticæ pravitatis detestationem.* » *Propos. contra J. de Montesono*, t. I, col. 703. — Item et amplius ipse Gersonius : « Ecclesia Romana cujus caput Papa creditur errare potest, potuit falli et fallere, schisma et hæresim habere, etiam potest deficere. » *De modis uniendi*, t. II, col. 163. — In iis omnibus Alliacenus et Gersonius rursum Occami vestigiis miserrime inhærent. (*Dialogus*, l. V, c. 23 et 24.) — Hæc propositio Petri Oxomensis : « Ecclesia urbis Romæ errare potest, » damnata fuit anno 1479, a Sixto IV.

(2) *Ibid.*, et col. 669.

(3) Col. 668. — « Licet principaliter Romana Ecclesia habuerit principatum a Domino, tamen secundario a Concilio. » *De reformatione Eccles.*, in opp. Gersonii, t. II, col. 905. — Huc spectat prop. XXXV Syllabi Pii IX : « Nihil vetat alicujus generalis Concilii sententia.... Summum Pontificatum a Romano episcopo atque Urbe ad alium episcopum aliamque civitatem transferri. » Cf. *Conc. Vatic.*, Constit. *de Ecclesia*, c. II.

particulare collegium quantum ad electionem Papæ, vel alia ejus privilegia, a generalibus Conciliis auctoritatem accepit, *et forte contra ea plurima usurpavit* (1). »

Quantis erroribus historicis et theologicis hæc omnia scateant, ostensum est clarissime ex illis controversiis quæ ad nostram usque ætatem flagrarunt inter Sedis Pontificiæ et Gallicanismi defensores. Rem confectam iterare supervacaneum est, satisque nostro muneri factum erit errores ipsos exponendo ut inter eos veritas « incessu pateat dea. »

II

His de Ecclesia et Petro præmissis, quid censeat Doctor noster de successoribus Petri, de eorum auctoritate et dotibus, præsertim de infallibilitate personali Romanorum Pontificum, ac de eorum potestate in temporalia, jam facillimum est conjicere. Sententias ejus evolvamus breviter.

De necessitate summi pontificatus et universalis episcopi nunquam dubitavit Alliacenus, neque in hoc secutus est Occami pessimas opiniones (2). Primatum et hierarchiam

(1) Eadem fere habet Gersonius ad Cardinalem Cameracensem, phrenetico veluti ardore conscripta. *De modis uniendi ac reformandi Ecclesiam in Concilio universali*, t. II, coll. 166, 173 et seqq. — Opusculum illud omnino dignum est *quod æterna oblivione sepeliatur*, ut ait D. Petitdidier (*Dissertatio de Concilio Constantiensi*, p. 3. Edit. Luxemb.)

(2) Audienda sunt ipsa Gulielmi verba : « In casu manifestæ necessitatis vel utilitatis posset (Ecclesia) illum modum regendi (quem Christus Petrum unum rectorem instituendo innuit) omittere vel mutare, nullum scilicet eligendo vel plures, si id communitati fidelium manifeste expediret, vel aliquod illorum facere cogeretur. » — Cf. G. Occamum, *Dialogus* (apud Goldast, *Mon. Sancti Romani Imperii*, t. II, p. III, l. IV, c. XXIV, p. 866). — Alliaceni vestigia premens, Occamo contradixit Gersonius, t. II, coll. 223, 235, 263, 293. — Sed Joannes Breviscoxa audacter asseruit : « In Ecclesia fidelium (communitas) unum caput vel plura potest eligere. » In opp. Gersonii, t. I, col. 876.

non negavit, uti Marsilius Patavinus (1) cujus opera probabiliter non novit. Peculiares et egregias Romano Pontifici competere dotes in dubium non revocavit, sicut plures alii ejusdem ætatis heterodoxi. In Petro ejusque hæredibus plenitudinem potestatis et jurisdictionis agnovit, « quæ plenitudo proprie loquendo, inquit, solum residet in Romano seu Summo Pontifice Petro succedenti (2). » Modum et stylum sui temporis imitans, Papam soli comparat propter tres excellentias : « habet enim sublimitatem positionis, nobilitatem conditionis, utilitatem operationis (3). » Hos glossæ versiculos refert et approbat :

Restituit Papa solus, deponit et ipse,
Dividit ac unit, eximit atque probat,
Articulos solvit, synodum facit generalem,
Transfert et mutat; appellat nullus ab ipso (4).

Jus Romani Pontificis quoad doctrinam catholicam sic aperto ore declarat :

« Ad hujus sedem sedentemque in ea pertinet causarum fidei suprema jurisdictio seu judicialis definitio (5). »

De Cardinalibus autem et de populo romano quibus Summum Pontificem eligendi munus incumbit, falsa quædam affert. Cardinales scilicet Apostolis succedunt, sicut Summus Pontifex Petro :

« Ante divisionem Apostolorum, per quam ad diversas

(1) *Defensor pacis*, opusculum anni 1324, apud Goldast, *Mon. Rom. Imperii*, t. II, pp. 154, 263 et seqq. — Illius hæretici opiniones hac de re commemorat Gersonius, t. II, coll. 147 et 213, et Joannes Breviscoxa eas sequitur, in opp. Gersonii, t. I, col. 877.

(2) In opp. Gersonii, t. II, col. 950. — Cf. orationem *de officio imperatoris, Papæ, reliquorumque membrorum Concilii Constantiensis*, in opp. Gersonii, t. II, col. 919.

(3) In opp. Gersonii, t. II, col. 919. — Cf. etiam sermonem *de omnibus sanctis*, apud Tschackert, *Appendix*, p. 45.

(4) *De materia Concilii Generalis*, c. II. (Ms. in Bibl. nat. Paris., 1571, f. 62.) — Versus illi leguntur in *Decreto*, de translatione Episcopi, cap. *Cum ex illo*, glossa ad verbum « *pertineat*. »

(5) *Apologia Fac. Theol.*, apud d'Argentré, *Coll. judic.*, t. I, p. II, p. 84.

mundi partes dispersi sunt, Apostoli Petro tanquam papale officium gerenti assistebant tanquam Cardinalatus ministerium exercentes, sicut nunc Papæ assistunt Cardinales tanquam ejus principales assessores, consiliarii atque cooperatores in regimine universalis Ecclesiæ (1).... Sicut status Papæ sic et post eum status Cardinalium ad ordinem hierarchicum Ecclesiæ, *ex Christi institutione*, pertinet. Nam ipsi, quantum ad hunc statum, statui Apostolico immediate succedunt (2)... Unde potest inferri, quod dicti Apostoli, prius Cardinales quam episcopi fuerunt;... prius fuerunt Cardinales Orbis quam aliqui fuerint Cardinales Urbis (3).... Ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, de jure naturali et divino, aliquo modo pertinet Romani Pontificis electio; sed Romani *ex jure naturali et divino* large sumpto, habent jus eligendi Summum Pontificem. Ex hac namque suppositione, quod aliquibus sit aliquis prælatus vel princeps vel rector præficiendus, naturali ratione evidenter colligitur quod illi quibus est præficiendus habent jus eligendi præficiendum eis (4). In quo jure participant Romanæ Ecclesiæ Cardinales, cum ipsi, ratione suorum titulorum, sint principaliores in clero romano (5). »

Summi Pontificis potestatem in Concilio Constantiensi impugnat potius quam defendit, ita scribens ultimo capitulo libri *de Ecclesiæ, Concilii generalis, Romani Pontificis et Cardinalium auctoritate :*

« Quamvis Papa concedatur esse caput Ecclesiæ, tamen hoc

(1) In opp. Gersonii, coll. 929 et 935. — Cf. Moroni, *Dizionario di erudizione*, t. XCV, p. 212.

(2) *Ibid.*, col. 934. — Cf. Almainum, *De auctor. Eccl. et Conc. Generalis*, in opp. Gersonii, t. II, col. 1011.

(3) *Ibid.*, col. 929. — Aliter omnino Gersonius : « Cardinales erant Romæ presbyteri ordinati ad sepeliendum mortuos, et baptizandum noviter venientes ad fidem et eis ecclesiastica sacramenta ministrandum. » *De modis uniendi*, t. II, col. 181.

(4) Neque evidens neque verum est hujusmodi principium quod generaliter sumptum vias parat *multitudinismo* a Protestantibus in Ecclesiam invecto multisque civilibus seditionibus ac ruinis. Richerio si credamus, populus catholicus sibi designat ducem qui ei imperare et fideles oves pascere debet. (*Defensio*, l. II, c. VII, n. 7.)

(5) In opp. Gersonii, coll. 930, 931, 936.

est sub principali et essentiali capite Christo ; et ideo subordinatio corporis Ecclesiæ ad Papam est solum *accidentalis*, sed *essentialis* ad Christum a quo immediate habet (Ecclesia) auctoritatem et illud privilegium quod non potest errare in fide, quod privilegium non habet a Papa. Et ideo, licet auctoritas Papæ in illis quibus non errat, sit a jure divino immediate, juxta verbum Christi : *Et ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (1), tamen ex hoc non sequitur, sicut aliqui volunt concludere, quod reliqua auctoritas et tota potestas Ecclesiæ sit a Papa immediate, nam hoc potest multiplicem pati calumniam (2). »

Hinc denuo Summum Pontificem esse tantum principalem Ecclesiæ ministrum audacter asserit :

« Primo, plenitudo potestatis est in Papa tanquam in subjecto ipsam recipiente et *ministerialiter* exercente ; secundo, in universali Ecclesia tanquam in objecto ipsam *causaliter* et *finaliter* continente ; tertio, est in Generali Concilio tanquam in exemplo ipsam repræsentante et *regulariter* dirigente (ut res visa dicitur esse in speculo et aliqua doctrina in libro, quia ibi est repræsentative). Primum patet ex immediate dictis, quod Papa, proprie loquendo, est *minister* hanc potestatem subjective recipiens et administrative dispensans (3), juxta illud Lucæ : *Qui præcessor est in vobis fiat sicut ministrator* (4). »

(1) Matt. XVI, 18. — Hic sequitur Alliacenus meliorem textus interpretationem quam antea. Cf. supra, pag. 235.

(2) In opp. Gersonii, t. II, col. 958.

(3) Item Gersonius : « Potestas ecclesiastica est *in Papa subjective et executive*, » t. II, coll. 259 et 279. Cf. col. 163 ; et d'Argentré, *Coll. judic.*, t. II, pp. 199 et seqq. — Cf. etiam hanc propositionem ab Universitate Parisiensi oblatam Constantiensi Concilio cui « durior aliquando visa fuit » : « Papa recipit summam potestatem ab Ecclesia *ministerialiter*. Ecclesia universalis non habet claves regni cœlorum a Papa, sed e contra Papa ab Ecclesia. » Von der Hardt, *Rerum Conc. œcum. Constant.*, t. II, col. 277 ; t. IV, col. 69. — Cf. Hefele, *Histoire des Conciles*, t. XI, p. 9 ; — Ant. Arnauld, *Eclaircissements sur l'autorité des Conciles Généraux et des Papes*, ch. XIX, p. 395.

(4) Luc. XXII, 26. — In opp. Gersonii, t. II, col. 951. — Cf. doctrinam Marsilii Patavini et Joannis de Janduno pluries *uti hæreticam* damnatam. Ex hoc Alliaceni textu Edm. Richerius concludit « plenitudinem potestatis ecclesiasticæ esse in Papa tanquam in subjecto et supposito singulari

Infallibilis magisterii Pontificis Romani defensorem fuisse Alliacenum, non sine quadam veritatis umbra a nonnullo creditum fuit : ipse enim ita loquebatur, anno 1387, in *Apologia Facultatis theologicæ circa damnationem Joannis de Montesono :*

« Ad sanctam Sedem apostolicam pertinet auctoritate judiciali suprema circa ea quæ sunt fidei judicialiter definire. Et hoc probatur : quia ad illius tanquam ad supremi Judicis auctoritatem pertinet in fide judicialiter definire *cujus fides nunquam deficit.* Sed sanctæ apostolicæ *Sedis* fides nunquam deficit. Igitur, etc. Major est nota, sed minor probatur : quia de hac sancta *Sede*, in persona Petri Apostoli in ea præsidentis, dictum est : *Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* (1). »

Iterum in *Propositione facta adversus eumdem Joannem de Montesono* in consistorio coram Clemente Papa, hæc dicebat ex parte « devotissimæ suæ venerabilis Universitatis Parisiensis Studii : »

« Non ignoramus, sed firmissime tenemus et nullatenus dubitamus, quod *Sancta Sedes apostolica* est illa cathedra Petri supra quam, Hieronymo teste, fundata est Ecclesia. De qua *Sede*,

eam *ministerialiter* exercente ad juris divini, naturalis et canonici executionem; unde colligitur Papam esse *ministrum* Ecclesiæ. » *Libellus*, t. I, c. V. Cf. etiam prop. V quam abjurare coactus est. Richerii opus jure merito ab episcopis reprobatum est, anno 1612. Ejus systema esse divinæ constitutionis Ecclesiæ subversivum, et placito J. J. Rousseau de transmissione civilis potestatis simillimum, neminem philosophum aut theologum latet; præsertim quum Pius Papa VI (Bulla *Auctorem fidei*, p. III, § 14) explicite damnaverit, ut hæreticam, doctrinam Synodi Pistoriensis sic intellectam « ut Romanus Pontifex non a Christo in persona B. Petri sed ab Ecclesia potestatem *ministerii* accipiat qua, velut Petri successor, verus Christi vicarius ac totius Ecclesiæ caput pollet in universa Ecclesia. » — Cf. etiam Richerii vindicem et defensorem Simonem Vigorium in magno Concilio regio consiliarium, *Ad responsionem sinodalem Concilii Basil. Comment.*, c. IV, p. 41. c. VII, p. 83 et c. XI, p. 102; *De Monarchia*, p. 3 et seqq.

(1) In opp. Gersonii, t. I, col. 710. — Textus iste citatur in monito secundo R. D. de Languet, episcopi Suessionensis, ad eos qui a Bulla *Unigenitus*, appellationem ad futurum Concilium interjecerant (15 jun. 1718). — Cf. Soardi, *De suprema Romani Pontificis auctoritate hodierna Ecclesiæ gallicanæ doctrina, Avenione*, 1747, t. I, p. 169.

in persona Petri Apostoli in ea sedentis, dictum est : *Petre, rogavi pro te ut non deficiat fides tua*. Hæc est igitur ad quam determinatio fidei, et approbatio veritatis catholicæ ac hæreticæ impietatis detestatio maxime pertinet, ideoque convenientissime dicere potest verbum propositum : *Veritatem meditabitur guttur meum* (1). »

Et hæc quidem pulchra, sed, ut suspicamur ob ipsam naturam documentorum in queis inveniuntur, encomiastice potius quam theologice dicta. Nequimus tamen Bossuetio consentire dum illa in favorem *Declarationis Cleri Gallicani* referens, sic ea interpretatur :

« Hæc quum dicat (Alliacenus) de Sede apostolica nunquam defectura, nihilo secius docet Romanum Pontificem in fide posse deficere (2). « Atque hæc, inquit, declarantur supponendo quid sit Sedes apostolica : nam vel ipsa est universalis Ecclesia, vel aliquod generale Concilium universalem Ecclesiam repræsentans, vel particularis Ecclesia Romana, in qua scilicet Ecclesia sedet, id est, cui præsidet Summus Pontifex ; et ideo ipse et Sedes apostolica non sunt idem, sicut non idem sunt *Sedes* et *Sedens* (3).... » Quum ergo ex Petro Alliacensi aliud sit *Sedes*, aliud *Sedens*, non mirum est aliquid convenire *Sedi* quod *Sedenti* non

(1) *Propositio contra Mag. J. de Montesono*, in opp. Gersonii, t. I, col. 703, et apud Bulæum, *Hist. Univ. Paris.*, t. IV, p. 627. — Cf. card. C. Sfondrate, *Gallia vindicata*, Diss. IV, § II, p. 776 (edit. 1702). — Cf. etiam Soardi, *op. cit.*, Præfatio, VIII.

(2) *Defensio declarationis Cleri Gallicani*, l. XIV, c. 12. (Edit. Berche et Tralin, t. X, p. 295.) Cf. opp.Gersonii, t. I, col. 688. — Cf. etiam Natalem Alexandrum, Dupinium, Vigorium (*De infallibilitate*, pp. 45 et seqq.) et alios, quotquot sint, Gallicanismi fautores. Eis omnibus antecesserat Concilium Basileense.

(3) *Ibid.*, et l. X, c. 20. — Textus ille non legitur in opp. Gersonii, sed in versione magis completa quam tradit d'Argentré, *Coll. judic.*, t. I, p. II, p. 84.—Huic Alliaceni opinioni quasdam subjungit observationes prædictus episcopus Tutelensis : « Alliacus, nomine Parisiensium magistrorum, hanc doctrinam exponit, nec fieri posse, stantibus Christi promissis, ut verissima fides Christi Domini in Apostolica Sede B. Petri aliquando pereat vel deficiat, licet quisque Romanus Episcopus, ut in singularibus suis factis, sic in sermonibus et litteris non ex consilio fratrum editis, privatim aberrare possit : quoniam D. Petrus a Paulo reprehensus fuit, quia reprehensibilis erat. Gal. II, 11. » *Loc. cit.*, p. 129. — Non igitur eodem modo Alliaceni locum intelligit d'Argentré quam Bossuetius.

conveniat; nempe ut *Sedes* deficere non possit, cum *Sedens* sit deviabilis etiam in *judicio de fide*, quippe a quo judicante, etiam in causis fidei, ad Concilium generale, secundum eumdem auctorem, appellare liceat. »

At vero putamus Alliacenum ita loquentem *metaphora* usum fuisse, sicuti indifferenter dicimus jura *regni* et jura *regis*, privilegia *magisterii* et privilegia *magistri*. Et revera, quid est *Sedes* absque *Sedente?* Quomodo præsidet, judicat, delinquentes damnat *Sedes*, nisi quia præsidet, judicat et damnat ipse *Sedens?* Adde, cum J. de Maistre (1), impossibilem prorsus esse integram *Sedis* indefectibilitatem nisi *Sedentium* series sit indefectibilis (2). Sæpius tamen nititur Alliacenus notissimo facto reprehensionis Petri a Paulo (3), de qua etiam specialem exaravit dissertationem (4). Non

(1) Bossuetius quippe scribit : « Accipiendi Romani Pontifices tanquam una persona Petri, in qua *nunquam* fides Petri deficiat, atque ut in *aliquibus* vacillet aut concidat, non tamen deficit *in totum* quæ statim revictura sit. Id in Ecclesia Romana contigisse multa exempla docuerunt, neque porro aliter ad consummationem usque sæculi in tota Pontificum successione eventurum esse certe fide credimus. » *Ibid.*, l. XIV, c. 5, p. 290.

Contra hæc animadvertit Comes de Maistre : « Quelles toiles d'araignées ! quelles subtilités indignes de Bossuet ! C'est à peu près comme s'il avait dit *que tous les empereurs romains doivent être considérés comme la personne d'Auguste continuée; que si la sagesse et l'humanité ont paru quelquefois trébucher sur ce trône dans la personne de quelques-uns, tels que Tibère, Néron, Caligula, etc., on ne saurait dire néanmoins qu'elles aient jamais manqué entièrement, puisqu'elles devaient ressusciter bientôt dans celles des Antonin, des Trajan, etc.* » (*Du Pape*, l. 1er, c. XI.) — Eodem sensu Fenelonius (*De Summi Pontificis auctoritate*, VII), ubi narrat Bossuetii controversiam cum G. de Choiseul, episcopo Tornacensi, in generalibus Cleri Gallicani comitiis anni 1682.

(2) Cf. Augustinum in *Synodali epistola Carthaginensis Concilii ad Innocentium I. — Acta Concilii œcumenici Ephesini*, apud Labbe, III, col. 608. Cf. etiam Bouix, *op. cit.*, pp. 270 et seqq. — Muzzarelli, *Opuscules*, t. IV, p. 203 (Edit. Brux., 1837).

(3) *Quæst. in II Sent.*, q. II, a. 3, f. CCXL; in opp. Gersonii, t. I, col. 718. — Cf. *Apolog. facultatis theol. Paris.*, apud d'Argentré, *Coll. judic.*, t, I, p. II, pp. 80, 104 et 120. — Adeatur insuper Gersonius : *Tractatus quomodo et an liceat in causis fidei a Pontifice appellare*, t. I, col. 304.

(4) *Quæstio de reprehensione Petri a Paulo*, Ms. in Bibl. nat. Parisiensi, 3122, f. 64-66. — Cf. Tschackert (*Peter von Ailli, Appendix*, p. 28) qui breve hujus libelli compendium exhibet. — Cf. G. Occamum, *Dialogus*, 1a p., l. V, c. 2, apud Goldast, *Mon. Sancti Rom. Imperii*, t. II, p. 468; Gersonium,

putat hanc reprehensionem fuisse simulatam, non dubitat de identitate Petri et Cephæ (1) : temere asserit Petrum peccasse venialiter contra fidem, ejusque doctrinam fuisse *in fide erroneam*. Unde sequentia hæc ejus verba, priori illius opinioni parum consona :

« Patet quod Concilii judicium præferendum est judicio Papæ, cum ipse in his quæ fidei sunt possit errare, sicut et Petrus de quo dicit Paulus quod ei *restitit in faciem, quia reprehensibilis erat... non recte ambulans ad veritatem Evangelii* (2).... Confirmatio in fide de qua dicitur quod Ecclesia non potest errare juxta illud : *Petre, rogavi pro te ut non deficiat fides tua* (3), illa non est in Papa, quia hoc non est dictum de fide personali Petri, cum ipse erraverit, sed de fide Ecclesiæ de qua dicitur : Et portæ inferi non prævalebunt *adversus eam* (4), scilicet Ecclesiam. Non enim dictum est *adversus te*, scilicet Petrum. Igitur speciale est privilegium et singularis Ecclesiæ auctoritas, quod non potest errare in fide. Quod privilegium aliqui extendunt ad Romanam Ecclesiam, aliqui ad Concilium generale, aliqui vero solum restringunt ad auctoritatem universalis Ecclesiæ, *sed non potest extendi ad Papam*, ut dictum est (5). »

Quænam Ecclesiæ clericis, et potissimum Romano Pontifici, competat potestas in temporalia bona, Alliacenus ita definire studet :

« Bona ecclesiastica fuerunt collata communitatibus et non

t. III, coll. 53, 304, 434, et Joannem Breviscoxam, in opp. Gersonii, t. I, col. 885.

(1) Cf. doctissimam R. P. Pesch, S. J., dissertationem hac de re : *Ueber die Person des Kephas* (*Zeitschrift für Katholische Theologie*, VII Jahrgang, III).

(2) Gal. II, 11 et 14.

(3) Luc. XXII, 32.

(4) Marc. XVI, 18.

(5) In opp. Gersonii, t. II, coll. 949 et 958. — Occamum sequitur Alliacenus (*Dialogus*, l. V, c. I et seqq.). Eamdem opinionem profert Gersonius, *de examinatione doctrinarum*, t. I, col. 9; *de potestate ecclesiastica*, t. II, col. 232 et passim. — Cf. Bossuetium qui, in *Defensione Declarationis* (l. I, c. VII), hunc Alliaceni textum refert et approbat.

personæ singulari... et ita intelliguntur esse oblata Christo, id est communitati fidelium, quæ est corpus Christi (1).... Persona singularis, ut pars et membrum hujus communitatis, habet in ipsis jus utendi ad suam sustentationem, secundum exigentiam et decentiam personæ et sui status... Papa cui incumbit cura Ecclesiæ generalis, est ipse universalis dispensator, tanquam supremum membrum Ecclesiæ, omnium generaliter ecclesiasticorum bonorum spiritualium et temporalium, sed non est *dominus* et *proprietarius*, contra quosdam. Plenariam dispensationem habet, non vero dominium (2)... Multo minus habet dominium in bonis temporalibus clericorum; immo nec in illis est dispensator... nisi forte in ultima necessitate Ecclesiæ (3). In casu utilitatis et honestatis publicæ, pro convenienti statu personæ suæ, (in quantum est persona publica repræsentans Ecclesiam et generalis pastor ac universalis administrator bonorum ecclesiasticorum), rationabiliter potest sibi facere fructus suos ex bonis communibus pinguiores, secundum exigentiam sui status, et tam Prælati inferiores, quam qui in partem sollicitudinis vocati sunt.... Papa potest recipere ab episcopis promotis *communia servitia* quæ vocantur *vacantiæ*.... Jure potest ordinationes majorum et electivarum dignitatum, ac collationes aliorum beneficiorum sibi et Sedi Apostolicæ reservare (4)... Quousque fuerit alia forte provisio salubrior vel sanctior rationabilius adinventa et effectu aliter practicata, ex ordinatione Papæ et Concilii Generalis (5). »

Relate vero ad auctoritatem Papæ in regna temporalia (6)

(1) *De Ecclesiæ, Concilii Generalis, Romani Pontificis auctoritate*, in opp. Gersonii, t. II, col. 942. — Cf. Richerium, *Vindiciæ doctrinæ majorum Scholæ Parisiensis*, c. VI et seqq.

(2) *Ibid.*, col. 943. Exinde concludit Richerius Summum Pontificem nullam habere potestatem nisi ministerialem quoad usum et exercitium, eumque comparat procuratori ab ecclesiastica potestate constituto. — Cf. Gersonium, *De potestate eccles.*, t. II, col. 246.

(3) *Ibid.*, col. 944.

(4) *Ibid.*, coll. 945 et 949. Cf. Ms. Vaticanum, 3495, f. 38.

(5) *Ibid.*, col. 948.

(6) Launoy (*Regii Navarræ Gymn. Paris. Historia*, p. 514), circa illa omnia quæ profert Alliacenus de ecclesiastica potestate super temporalia, ita scribit : « Dictata hujusmodi danda injuriæ temporum, *sunt nævus in candidissimo pectore.* » In eumdem errorem cadit Brucker, *Historia critica philosophiæ*, t. III, p. 858.

sive ad suprematiam Ecclesiæ in Statum hanc proponit generalem theoriam :

« Regnum Christi sive ejus regale dominium potest imaginari triplex. Unum scilicet *divinum*, per quod secundum divinitatem est Rex et Dominus omnium, sicut Deus Pater... Aliud est Christi dominium, scilicet *humanum*, et illud potest distingui et intelligi duplex : unum *spirituale* seu sacerdotale; aliud *temporale* sive sæculare.... De temporali et corruptibili regno non intelliguntur Scripturæ, nec tale regale dominium dicunt Christo convenire, et maxime loquendo de generali regno totius mundi (1).... Sed adhuc est aliud tertium Christi regnum sive regale dominium, non temporale seu terrenum, sed *cœleste* et *æternum* ac supernaturale seu miraculosum.... quod Christus in sua passione meruit (2). »

Scripturæ textus, quos ad probandum temporale Christi in universam terram regnum aliqui adducebant, illo triplici sensu exponit, atque concludit Romanum Pontificem jure isto temporali non frui. Quo sensu jam anno 1380 sic loquebatur :

« Potest dici quod temporalia, id est negotia rerum temporalium et sæcularium, sicut principatus, dominium, vel judicium coactivum litium aut contentionum actuum civilium, non disponunt, nec ordinantur ad spiritualia, immo magis ea impediunt (3). »

His quidem valde delectari potuerunt omnes illi civilis auctoritatis laudatores et *sæcularizationis*, uti nunc dicunt, vel *laicizationis* præcursores et promotores, qui nunquam Christianorum malo et proprio bono defuerunt. Sed quor-

(1) Cf. hac de re G. Occamum, *Dialogus*, p. III; Jacobum Almainum, in opp. Gersonii, t. II, coll. 970 et 1060; J. Majorem, *De potestate Papæ in temporalibus*, in opp. Gersonii, *loc. cit.*, col. 1150; et Gersonium ipsum, t. II, coll. 168. 179. 234.

(2) In opp. Gersonii, t. I, col. 677.

(3) *Ibid.*, coll. 674 et 675; — Cf. G. Occamum, *Super potestate Summi Pontificis octo quæstionum decisiones*, apud Goldast, *Mon. Sancti Romani Imperii*, t. II, pp. 314 et seqq.

sum hæc tendant, *revolutio* et nova barbaries sole clarius ostendunt.

III

Synodi Œcumenicæ notionem in libello *de Materia Concilii Generalis* sic tradit Alliacenus :

« Videtur sub brevitate eam posse ad tres conditiones reduci. Prima est quod fiat de consensu et auctoritate Papæ; secunda quod omnes episcopi convocentur; tertia quod auctoritas statuendi ac diffiniendi pertineat ad episcopos. Et hæc patent ex diffinitione Concilii universalis per quam differt a Conciliis particularibus sive provincialibus, quam ponit Hugutio (1) et post eum Bartholomæus Brixiensis (2) (Dist. XVII, cap. I) : Universale, inquit, est quod a Papa vel ejus legato cum omnibus episcopis statuitur.... Universale Concilium non debet fieri sine auctoritate Papæ, sicut nec particulare sine auctoritate metropolitani vel primatis, nec episcopale sine auctoritate episcopi. Ex quibus clare patet *prima* conditio, quam tamen intelligo regulariter. Potest enim in duplici casu, ut videtur, Concilium fieri sine Papæ auctoritate. Primus, sede vacante, si occurreret urgens necessitas, vel evidens utilitas. Secundus, si vivente Papa, ipse refutavit Concilium facere, rationabiliter requisitus, sicut hoc infra jure divino probabitur (3).

(1) Italice *Uguccione*, latine autem etiam Huguitio vel Ugo de Vercellis, primus Decretorum Glossator, episcopus Ferrariensis, defunctus anno 1212. — Cf. Fabricium, *Bibl. mediæ et infimæ latinitatis;* Ughellium, *Italia sacra*, t. II, p. 540.

(2) Quandoque per mendum vocatur *Baxneesis* (in opp. Gersonii, t. II, col. 941). Juris canonici olim professor, scripsit in Decretum glossas sub Friderico II, anno 1240. — Cf. C. Oudin, *Comment. de Script. eccl.*, t. III, col. 92.

(3) Cf. Gersonium, t. II, col. 206, et J. Almainum, in opp. Gersonii, t. II, col. 973.—Eadem etiam profert Alliacenus apud Martène et Durand, *Thesaurus novus anecd.*, t. VII, col. 911. — Cf. Henricum de Langenstein, in opp. Gersonii, t. II, col. 830; Von der Hardt, *op. cit.*, t. II, col. 41; Alb. Pighium, *Hier. eccl.*, l. VI, col, 290.

Secunda conditio quod omnes episcopi convocentur patet ex illo verbo posito in diffinitione Concilii : *cum omnibus episcopis*. Si enim spretis aliquibus, alii vocarentur, inde mala et periculosa suspicio oriretur, et evacuaretur auctoritas Concilii. *Tertia* conditio quod ad episcopos pertineat statuendi, id est diffiniendi auctoritas, patet ex verbo : *statuitur*. Nam licet alii possint et debeant Concilio interesse, sive ad consilium discussionis, sive ad testimonium veritatis, sive ad auxilium executionis sicut patet in decretis et historiis ecclesiasticis, tamen soli episcopi principaliter sunt ad judicium diffinitionis (1).... Concilium, præsente Papa, a quo ipsum Concilium vocatum est, est velut corpus mysticum, cujus Papa est caput et alii sunt membra ; et ideo secundum aliquos non solum falsum, sed fatuum est dicere quod major sit auctoritas partis quam totius corporis (2).... Principes admonendi sunt ut definitiones Conciliorum reverenter suscipiant, ut episcopis ad synodum convenientibus libertatem consulendi ac diffiniendi habere permittant atque procurent..., ut omnem violentiam avertant (3). »

Hanc regulam fuisse in Concilio Constantiensi observatam celebrat Alliacenus in oratione publica eidem Synodo facta :

« Gaudeat... Ecclesia.... quia serenissimus ac strenuissimus Romanorum rex huic sacro generali Concilio humiliter voluit interesse, non quidem ut *præsit* sed ut *prosit* (4).... »

Jam vero Concilium legitime congregatum supra Summum Pontificem esse affirmat opusculo jam sæpe memorato *de Materia Concilii Generalis*, anno circiter 1403 lucubrato :

« Sciendum est quod licet Papa nullius personæ singularis

(1) *De materia Concilii generalis*, Ms. Bibl. nat. Paris., 1571, p. 30.

(2) *De Ecclesiæ, Concilii generalis, Romani Pontificis et Cardinalium auctoritate*, in opp. Gersonii, t. II, col. 953 et passim. — Hac de re cf. D. Thomam, *de potentia*, q. X, a. 4 ad 13um; *contra impugnantes relig.*, a. 4.

(3) *De materia Concilii generalis*, Ms. Bibl. nat. 1571, p. 30. — Cf. Henricum de Langenstein vel de Hassia, *Consilium pacis de unione Ecclesiæ*, in opp. Gersonii, t. II, col. 812.

(4) Von der Hardt, *op. cit.*, l. I, VIII, 442. — Cf. Gersonium, *De modis uniendi*, t. II, col. 178. — Hæc verba videntur sumpta ex Sancto Benedicto *de ordinando abbate*, apud Migne, *Patr. lat.*, LXVI, col. 886.

possit subire judicium, nisi forte spontanee illi se subjiciat, tamen *judicio Concilii generalis subjectus est* in certis casibus, pro certis criminibus maxime tangentibus fidem (1).... Tam de jure humano quam divino concedendum est Papam posse ab universali Ecclesia vel a generali Concilio eam repræsentante in multis casibus judicari et condemnari et ab eo ad Concilium in multis casibus *posse appellari*, videlicet in casibus Ecclesiæ destructionem tangentibus. Et hoc ultra præmissa probatur ratione, quia aliter sequeretur ipsum Christum verum et supremum caput Ecclesiæ et instructorem ejus sapientissimum eam non perfecte et sufficienter ordinasse, quod est hæreticum et contra illud Deuteronomii : *Dei perfecta sunt opera* (2). Et tamen patet consequentia; quoniam illa communitas non est sufficienter ordinata quæ perditioni suæ et demolitioni publicæ non potest occurrere. Sic esset de Ecclesiastica politia in casu quo Papa per hæresim manifestam, aut tyrannidem apertam, aut aliud notorium crimen, conaretur eam subvertere, et nemo ei dicere posset : Cur ita facis? (3) appellando, eum accusando, et per Concilium judicando. Hoc enim esset Papæ concedere potestatem non ad ædificationem sed ad destructionem (4), quod est contra præmissam sententiam Apostoli, quam non solo verbo docuit sed exemplo firmavit, quando scilicet Petro restitit in facie, ut dictum est. Ubi considerandum est quod licet Petrus a Paulo fuerit reprehensus, et rationabiliter reprehensus quia scilicet non recte ambulabat ad veritatem Evangelii,

(1) *De materia Concilii generalis*, Ms. Bibl. nat. Paris., 1571, p. 24. — Cf. Gersonium, *De modis uniendi*, t. II, coll. 172, 181; *Propos.*, ibid., col. 272, *an liceat*... col. 305; J. Almainum adversus Thomam de Vio, in opp. Gersonii, t. II, col. 989 et seqq.; Ejusdem *expositionem circa decisiones M. G. Occami, ibid.*, col. 1066 et seqq.; Simonem de Cramaudo, patriarcham Alexandrinum, et Petrum Plaoul in Conc. Paris., anni 1406; apud Bourgeois du Chastenet, *Nouvelle histoire du Concile de Constance, Preuves*, pp. 118 et 177.

(2) Deut. XXII, 4.

(3) Item fere Gersonius, *Trilogus in materia schismatis*, t. II, col. 92; — *De potestate ecclesiastica, ibid.*, col. 243; — *Super processionibus pro viagio Regis Romanorum*, ibid., coll. 275 et seqq., ubi refert Alliaceni opinionem ac ingenue fatetur eam esse prorsus novam in Ecclesia; contradictoriam vero a multis theologis tanquam omnino certam tradi.

(4) Ita etiam Gersonius, t. II, coll. 218, 240, 278 et seqq.

tamen nec ex textu, nec ex glossa apparet quod Petrus fuerit hæreticus, nec erraverit errore hæresis; quare similiter Papa in aliquibus casibus ubi non est hæresis, potest reprehendi et corrigi. Nec oppositum sufficienter probant aliqui (1). »

Et addit anno 1416 :

« Si Papa uteretur hac potestate ad destructionem Ecclesiæ, generale Concilium est exemplum vel speculum dictam Ecclesiam repræsentans, et ejus vice ac nomine, abusus hujusmodi plenitudinis potestatis coercens, regulans et dirigens.... Nec ei solum subjicitur in casu quo accusaretur de crimine hæresis proprie dictæ; sed etiam in quibusdam aliis casibus qui possent quodam modo reduci ad hæresim large sumptam, ut ratione obstinationis et incorrigibilitatis in crimine. Hæc autem conclusio in condemnatione et depositione Joannis Papæ XXIII practicata est per hoc Concilium generale, cujus determinationi contradicere non licet (2). »

Quum igitur « nonnulli adversarii veritatis et erroris defensores (3) » schedulam scripsissent qua Cameracensem Cardinalem arguebant quasi depressisset Concilii generalis auctoritatem atque Pontificis et Romanæ Ecclesiæ potestatem extulisset, hanc accusationem « *infamiam* » vocat, et « se responsurum offert coram Dominis Cardinalibus, omnibus Magistris in theologia convocatis, et eis, ut se ab isto crimine liberet, sex propositiones ponit (4), » concludens Summum Pontificem non tantum de hæresi publica vel occulta accusari

(1) *De materia Concilii generalis*, f. 62 et seqq. — Cf. Nicolaum Cusanum, *De Concord. can.*, l. II, cap. ultimo.

(2) In opp. Gersonii, t. II, col. 951. — Cf. Almainum, *ibid.*, col. 1005; — J. Majorem, *ibid.*, coll. 1131 et seqq.; hic Alliaceni nomen et auctoritatem refert; — Sim. Vigorium, *op. cit.*, c. XV, p. 47.

(3) In opp. Gersonii, t. II. col. 951.

(4) *Ibid.*, col. 952. — Apud Von der Hardt, t. IV, p. 136. — Cf. etiam ad abundantiam juris finem concionis *de officio Papæ, Imperatoris...* ubi præcellentiam Papæ in Concilium vocat perniciosissimum et toti Ecclesiæ periculosissimum. In opp. Gersonii, t. II, col. 924.

posse, sed etiam de crimine simoniæ vel adulterii, dummodo istiusmodi culpæ sint notoriæ et scandalosæ (1).

De generalis Concilii infallibilitate, in sua *Resumpta* anno 1380, hæc jam affirmaverat Alliacenus :

« Quantum vero ad illud quod dicitur de subjectione in causa fidei, dicunt aliqui (probabiliter) quod omnis persona et omnis congregatio errans in fide, omni alteri non sic erranti in causa fidei est subjecta, et talis est præstantior in Ecclesia qualiscumque aut cujuscumque conditionis existat... Papa est persona publica, gerens vices totius Ecclesiæ, et tamen potest *contra fidem* errare, et per consequens consimiliter *Concilium generale;* et quia non oportet quod omnis persona vel communitas gaudeat omni prærogativa qua gaudet illa cujus vices gerit (2). »

Et post sex et triginta annos (1416) rursus scribit :

« Secundum aliquos hoc est speciale privilegium universalis Ecclesiæ, quæ non potest errare in fide, licet hoc idem *pie credatur* de Concilio, videlicet quando innititur divinæ Scripturæ, vel auctoritati quæ a Spiritu Sancto (est) inspirata ; alias *sæpe errasse* legitur (3). »

Immo in Concilio Constantiensi ita asserit :

« Licet Concilium Pisanum probabiliter credatur repræsentasse universalem Ecclesiam, et vices ejus gessisse quæ Spiritu Sancto regitur et errare non poterit ; tamen propter hoc non est necessario concludendum quod a quocumque fideli sit firmiter credendum quod illud Concilium errare non potuit, cum *plura priora Concilia fuerint generalia reputata quæ errasse leguntur*. Nam secundum quosdam magnos Doctores generale Concilium potest errare non solum *in facto*, sed etiam *in jure*, et quod magis est *in fide* (4). »

(1) T. II, col. 956. — Cf. Almainum, in opp. Gersonii, t. II, col. 1007; et ipsum Gersonium, *Articuli generales*, t. II, col. 296; docet insuper pius ille Gersonius Papam hæreticum, manentem Papam, licite ligari, incarcerari et in mare demergi posse (t. II, p, 221). — Cf. præterea G. Occamum, *Dialogus*, 1ª Pars, l. V, c. 25 et 26, l. VI, c. 12 et 64 et p. III, l. III, c. 13.

(2) T. I, col. 689.

(3) *Ibid.*, t. II, col. 958. — Cf. t. I, col. 689.

(4) *Conclusiones Cameracensis Cardinalis cum quibusdam additionibus*

Quomodo quis possit *pie credere* Concilium generale esse infallibile, si facta sint contraria, si nempe historice constet hujusmodi synodos *in fide* errasse, non explicat Alliacenus neque quisquam explicabit unquam. Sed nullo timore detentus, Cameracensis ulterius progreditur et hanc incredibilem hypothesim ut probabilem statuit :

« Si Concilium generale contra fidem erraret, ab ipso appellare liceret, scilicet ad aliud Concilium generale, si esset facultas ipsum congregandi ; et si iterum illud erraret, liceret ad aliud appellare, et sic semper donec catholici convenirent... Insuper ad universalem Ecclesiam, si posset in unum convenire, esset principaliter appellandum. Si vero tota Christianitas esset sic depravata quod soli hæretici haberent potentiam, et quod soli *pauci simplices et pauperes* manerent in fide, et reputarent Concilium generale errare, nec possent se humano consilio aut auxilio tueri vel defendere, non restaret aliud, nisi se divinæ gratiæ committere et illam injuriam patienter tolerare, cum gemitu, tristitia et dolore, sicut Hieronymus consulit viro ecclesiastico, quando in ea quæ vocatur domus Domini invalescit iniquitas et justitia omnis deprimitur (1). »

Hanc tamen sibi nonnullorum difficultatem proponit :

« Totam multitudinem clericorum non posse difformari legi Christi, quia Deus ita stabilivit sacerdotes leviticos ut in judiciis de his quæ erant divinitus præcepta non possint errare sic quin eorum judicio esset standum. Igitur multo fortius sic

ex ms. Vindobonensi, apud Von der Hardt, t. II, col. 201. — Cf. Mansi, *op. cit.*, t. XXVII, p. 546. — Cf. etiam aliud Alliaceni junioris theologi opusculum : *Utrum Christi Ecclesia rege gubernetur*.... in opp. Gersonii, t. I, col. 689. — Contradictoriam opinionem recepit Schola Parisiensis cum universa Ecclesia, in articulis contra Lutherum quibus omnes Facultatis theologicæ Baccalarii postea subscribere debuerunt : « Certum est Concilium generale legitime congregatum, universalem repræsentans Ecclesiam, in fidei et morum determinationibus errare non posse. » (Prop. XXII.) — Eamdem ac Alliacenus tenet sententiam Almainus, et fallibilitatem Concilii in moribus et fide asserere non ambigit ; in opp. Gersonii, t. II, col. 1073. — Cf. etiam Breviscoxam, *ibid.*, t. I, col. 896.

(1) In opp. Gersonii, t. I. col. 689. — Hæc prorsus mirabilis suppositio est a G. Occamo fere de verbo ad verbum deprompta, *Dialogus*, l. V, c. 28.

assistit sacerdotibus Novi Testamenti.... Confirmatur per aliqua superius tacta... quod sequitur quod posset cessare in Ecclesia ordo prælationis et distinctionis graduum,... immo quod deficere posset etiam sacerdotium Christi, sacramenta et alii ritus Ecclesiæ. Etenim, qua ratione posset illa universa multitudo errare in articulo, pari ratione in omnibus pertinentibus ad sacerdotium et sacramenta (1). »

Quid putas, bone lector? Hypothesim negabit? Minime (2). Sed eam improbabilem tantum dicet, illiusque consectaria emolliet quantum poterit, illo videlicet modo :

« Ad ista, inquit, potest *probabiliter* dici... illa auctoritas intelligenda est in illis judiciis sacerdotum leviticorum, in quibus non errabant contra legem. Sed si contigisset eos sic errare, sicut possibile fuit, tunc ab eorum judicio et sententia fuisset declinandum.... Licet tota multitudo clericorum contra fidem erraret, tamen aliquis sacerdos remaneret habens potestatem ordinandi, ligandi, conficiendi et alia sacramenta conferendi; et sic remanerent in Ecclesia ordo prælationis, distinctio graduum, sacramenta.... Alio modo dicunt aliqui, quod licet omnes clerici hæreticarentur aut omnino nulli remanerent, propter hoc Ecclesia potestatem habendi prædicta nequaquam amitteret, licet illa nunquam habere posset per humanam potestatem, sed per miraculosam Dei operationem; qui scilicet diversis modis posset de aliquibus laicis catholicis sacerdotes et Episcopos ordinare, et hoc suæ Ecclesiæ revelare : in quo casu omnes catholici deberent taliter *ordinatos a Deo*, sicut veros Episcopos et sacerdotes habere. Et licet temerarium esset asserere talem casum de facto aliquando evenire, tamen esset etiam *temerarium* hujus casus potestatem negare (3). »

(1) In opp. Gersonii, t. I, col. 690. — Cf. Deut. XVII.

(2) Jam opinionem illam in suis *Vesperiis* tetigerat : « Tota multitudo non solum *clericorum*, sed generaliter omnium virorum potest (contra fidem errare), et fides Ecclesiæ in solis mulieribus conservari, quia sic conservata fuit in sola Maria Virgine, tempore passionis Christi. » t. I, col. 670. — In his omnibus sequitur Occamum, *Dialogus*, l. V, c. 20 et seqq.

(3) *Ibid.*, col. 690. — Eadem profert Joannes Breviscoxa, in opp. Gersonii, t. I, col. 891.

Easdem porro opiniones non modo defendit J. Breviscoxa, « qui fuit *Solemnis Doctor* in sacra theologia Parisiensi, suo tempore, » uti ait Ellies-Dupin (1) : sed eas audacia intolerabili amplificans, veram Generalis Concilii notionem penitus subvertit :

« Per Concilium generale, inquit, intelligo congregationem illam, in qua diversæ personæ, gerentes auctoritatem et vicem diversarum partium et provinciarum totius christianitatis ad tractandum de communi bono rite conveniunt. »

Examinans deinde modum seligendi eos qui congregari in Concilium deberent, dicebat ille « Solemnis » :

« Inter cæteros modos iste modus mihi videtur probabilis : videlicet de qualibet parochia vel communitate fidelium, quæ faciliter posset simul convenire, mitterentur aliqui vel aliquis ad Concilium episcopale, vel Parlamentum regis aut principis vel alterius publicæ auctoritatis, in casu quo episcopus congregando Concilio repugnaret;.... qui sic congregati aliquos eligerent mittendos ad Concilium generale ; qui taliter electi a conciliis episcopalibus vel parlamentis sæcularium potestatum, in unum locum convenientes, possent *generale Concilium* appellari (2). »

En horrendum prorsus monstrum sub nomine Generalis Concilii latitans! In hujus absurditatis abyssum certe lapsus non est Alliacenus, et inter coævos ac discipulos lenior sapientiorque magister mansit ; sed quid furentibus illis nebulonibus opponere potuisset ? Quid damnare et reprobare, quod ipsi non potuissent logice ex ejus principiis derivare ? « Deest, inquit pleno jure theologus quidam protestans,

(1) In opp. Gersonii, t. I, col. 904.

(2) *Ibid.*, col. 895 ; — Cf. Occamum (*Dialogus*, l. VI, c. 85), qui nec mulieres a Concilio excludit. — Ipse Gersonius hæc habet : « Nulla persona fideli petente audiri (a Concilio) exclusa ad tractandum ea quæ concernunt publicam Ecclesiæ auctoritatem et mores ipsius. » — A Gersonio Almainus hanc pestiferam doctrinam ebibisse confitetur, *Expos. circa decisiones M. G. Occami* ; in opp. Gersonii, t. II, col. 1067, — Cf. S. Vigorium, t. IV, *De Conciliis*, p. 158.

Ecclesiæ certum veritatis aperiendæ organon, » si istiusmodi opiniones admittantur (1).

At nihilominus, si agatur de episcopis extra Concilium et propriam diœcesim regentibus, non semel increpat Cameracensis hanc quorumdam Constantiensium sententiam : « Antistites cum maximo theologorum consilio in suis diœcesibus errores in fide et moribus notorie scandalosos *non posse exstirpare et sententialiter reprobare aut condemnare* (2). »

« Sicut enim, ait, hoc potest generaliter in universali Ecclesia summus ille Episcopus qui habere dicitur plenitudinem potestatis, sic inferior Episcopus vocatus ab eo in partem sollicitudinis hoc utique potest particulariter in sua diœcesi seu particulari ecclesia suo commissa regimini, hac tamen servata modestia quod sententiam suam judicio superioris humiliter subjiciat et ejus auctoritati referat. Et ita intelligenda sunt jura quod majores causæ fidei sunt ad Sedem Petri vel Summum Pontificem referendæ (3). »

De generali demum Ecclesiæ constitutione id statuit Alliacenus :

« Status monarchicus Ecclesiæ regimine aristocratico et democratico temperatur (4). »

(1) P. Tschackert, *Petrus Alliacenus*, p. 23. Thesis ad licentiam rite impetrandam in Academia Viadrina Wratislaviensi, 1875.

(2) *Sermo in medio Quadragesimæ* (21 mart. 1417). Edit. Argent., 1490.

(3) *Sermo secundus in die Pentecostes* (30 maii 1417). *Ibid.* — Cf. *Apologiam Facultatis Theologiæ Parisiensis* circa damnationem Joannis a Montesono, in opp. Gersonii, t. I, col. 710. — Jus episcoporum fere iisdem verbis fortiter affirmavit Gersonius post irritatam a Cardinalibus sententiam Episcopi Parisiensis contra Joannem Parvi latam die 15 januarii 1415; Cf. *Sermonem in festo Purificationis* habitum etiam in Concilio Constantiensi, t. II, coll. 286 et 288. — Attamen supremum jus Summi Pontificis respuere videtur idem Gersonius in suo opusculo *de potestate ecclesiastica*, ubi reservationem causarum majorum Summo Pontifici explicat per adulationem priorum sæculorum (t. II, col. 247).

(4) In opp. Gersonii, t. II, col. 946. — Cf. Gersonium, *De potestate ecclesiastica*, t. II; *Sermo pro viagio regis Romanorum*, Pars III, t. II.

Mixtus ille status, juxta illum, absolute melior est, et sub antiqua lege usurpabatur, intrudendus igitur foret in nova :

« Sic esset optimum regimen Ecclesiæ, si sub uno Papa eligerentur plures de omni et ab omni provincia, et tales deberent esse Cardinales, qui cum Papa et sub eo Ecclesiam regerent et usum plenitudinis potestatis temperarent (1). »

Eheu ! Quantum a vera Ecclesiæ notione aberret Cameracensis ! Bellarminus quidem postea censuit monarchiam aristocratia et democratia temperatam utiliorem esse quam simplicem monarchiam (2); sed nihilominus tum ipse adversus Protestantes demonstravit monarchicum esse regimen Ecclesiæ (3), tum ipsa Sedes Apostolica contra *regalistas* hanc asseruit divinam corporis Ecclesiæ formam sub uno vero ac visibili capite, Pontifice Romano (4).

(1) In opp. Gersonii, t. II, col. 946. — Cf. ipsum Gersonium, t. II, coll. 237 et passim. — Cf. etiam Occamum, *Dialogus*, Pars III, c. VII et seqq.; Almainum, in opp. Gersonii, t. II, coll. 970 et 1108; Joannem Majorem, *ibid.*, col. 1122; Sim. Vigorium, *Ad resp. syn. Conc. Basil. Comment.*, pp. 27 et seqq. et 83; *De l'Etat et gouvern. de l'Eglise*, Préface, p. 7.

(2) *De Romano Pontifice*, l. I, c. 3.

(3) Bellarminus, *ibid.*, l. I, c. 3 et 9. — Richerius, homo semiprotestans, docet « Papam habere potestatem super particulares Ecclesias ut eas regat secundum jus divinum naturale et regulas *aristocratici regiminis*, minime vero per *absolutum* et pure *monarchicum* imperium, quod Ecclesia non agnoscit nisi in Christo. » *Libellus*, t. I, lib. II, c. 5, p. 178; t. II, lib. IV, c. 3, II, p. 38.

(4) Cf. Breve Pii VI, *Super soliditate* confirmans Facultatis Parisiensis censuras adversus apostatam M. A. de Dominis. — Cf. etiam D. Bouix, *Tractatus de Papa*, t. I, l. I, p. 216. — Pag. autem 475, ita severe judicat Alliacenum : « Quorsum hæc de Petro Alliaco commemorata ? Non alium in finem quam ut palam faceremus nihili faciendam esse hujusce theologi auctoritatem. Sane cum eum nobis objiciunt tantisque laudibus extollunt Gallicani systematis propugnatores, merito responderi posset : Ejus scripta nunquam perlegistis, et virum hunc tanti faciendo, decepti decipitis. Pudeat tandem aliquando dicti systematis sequaces inter auctoritates recensere *sciolum hoc ac malesanum caput*, quod schismatis difficultates perturbaverant atque in transversum egerant. »

CAPUT DECIMUM

Alliacenus erga Ecclesiam et Summum Pontificem

Quæ fuerit Alliaceni doctrina de Ecclesia et Romano Pontifice, jam discendum ex ejus erga eos agendi modo.

I

Ecclesiæ mala et necessitas remediorum undique illis aptandorum, Alliaceno doctrinam nonnihil exaggeratam inspirarunt circa munus simplicium theologorum in œconomia societatis christianæ. In *Apologia Facultatis theologiæ* de damnatione Joannis de Montesono ita jam scribit :

« Ad sanctam Sedem Apostolicam pertinet, *auctoritate judiciali suprema*, circa ea quæ sunt fidei *judicialiter* definire... Ad episcopos catholicos pertinet, *auctoritate inferiori* et *subordinata*, circa ea quæ sunt fidei *judicialiter* definire (1)... Ad Doctores theologos pertinet determinare de doctrinali et scholastica, et circa ea quæ sunt fidei *doctrinaliter* definire, ad quos pertinet sacram Scripturam docere, ex ea hæreticas assertiones et in fide erroneas reprobare, et veritates

(1) In opp. Gersonii, t. I, col. 710; item, col. 705. — Cf. d'Argentré, *Coll. judic.*, t. I, p. II, p. 76; et G. Occamum, *Dialogus*, § I, l. II, c. 23 et seqq.

catholicas approbare. Sed ad Doctores Theologos pertinet secundum; ergo et primum (1). »

Defuncto Alliaceno, anno 1423, eamdem fere sententiam tradidit Gersonius in libro *de Examinatione Doctrinarum*.

« Examinator partim authenticus, partim doctrinalis, hujusmodi doctrinarum est quilibet in sacra Theologiæ Facultate Licentiatus aut Doctor. Deducitur hæc consideratio per formam verborum quibus datur Licentia Magistralis (2)... Providendum est sedulo per rectores Christianitatis, ne studium theologicæ veritatis depereat, sed alicubi resideat velut in fonte.... Si desit recursus ad theologos non depravatos et in unum collectos, quis, oro, providebit? Si dixerit aliquis : fiet recursus ad Sedem et curiam Summi Pontificis, non negabimus hoc, si theologia illic habuerit suos Doctores non partiales, non seductos, non fastuosos, quæstuosos aut invidos, non potestati sæculari, non spirituali, plus quam veritati faventes; alioquin tolerabilius esset nullos habere quam tales pati (3). »

Ulterius etiam alii postea progressi sunt, et jura Sorbonæ, quæ *permanens Galliarum Concilium* a Carolo VI vocata fuerat, quasi in infinitum ampliarunt (4). Eos certe improbasset Petrus noster qui practice rem ad tria consectaria satis prudenter reducit.

1° Facultas Theologica elicit judicium *doctrinale*, quum Episcopi vel Summi Pontifices ad eam recurrere dignantur; hoc vero judicium, licet magni momenti, non infallibile est, illudque respuere possunt. Æquiparatur sententiæ jurisperitorum in difficultatibus juridicis.

(1) In opp. Gersonii, t. I, coll. 710 et 711. — Cf. Thurot, *De l'organisation de l'enseignement dans l'université de Paris*, pp. 159 et 160.

(2) In opp. Gersonii, t. I, col. 10. — Cf. supra, p. 16.

(3) In opp. Gersonii, col. 18.

(4) Ita pluries sæc. XVIII theologi Parisienses Bullas Summorum Pontificum et decisiones episcoporum dijudicare præsumpserunt. Cf. Puyol, *Edmond Richer*, t. I, p. 211.

2° Hæc sententia reali et coercitiva auctoritate caret, nisi in Studii suppositos :

« Ad dictam Facultatem Theologiæ contra certas personas, scilicet contra singulares Magistros ac Baccalarios eidem Facultati juratos, pertinet quandoque non solum *doctrinaliter* sed etiam *judicialiter* aliquo modo assertiones hæreticas aut erroneas condemnare (1). »

3° Alios damnare non potest, nec corrigere, nec extra synagogam facere, nec eos anathemate percellere, nec bona et munera eis auferre : hæc omnia Episcoporum et Summi Pontificis judicio relinquuntur.

Luctuosis tamen temporibus non semel has juris et prudentiæ metas excessit Studium Parisiense (2), quemadmodum ipsi Petro contigit qui vix expleto theologicorum studiorum curriculo, mentem suam non dubitavit proclamare de tribus viis ad extinguendum schisma (3). Extollebat porro, uti efficacissimam, convocationem Concilii Generalis, et valde debuit exsultare quando die xx[a] maii 1381, universale Studium Parisiense huic suo voto adhæsit, uti narrat Henricus de Hassia :

« Solemnissime in monasterio Sancti Bernardi Parisiis congregata, concorditer determinavit (Universitas) per quatuor Facultates... illam viam (*Concilii* scilicet *generalis*) esse tenendam, et se pro toto posse suo, hanc partem suis litteris et epistolis persuasoriis et exhortatoriis apud principes, communitates, et prælatos, si permitteretur, executurum (4). »

(1) In opp. Gersonii, t. I, col. 711. — Ita etiam Gersonius, *Sermo super processionibus*, t. II, col. 277.

(2) Cf. Bossuetium, *Declaratio Cleri Gallicani*, l. IX, c. 9.

(3) Cf. primam nostram partem, p. 37. — Cf. etiam Alliaceni opusculum cui titulus : *Utrum indoctus in jure divino possit jure præesse*, in opp. Gersonii, t. I, coll. 657 et seqq.

(4) Ita Henricus de Hassia vel de Langenstein in opere tunc temporis exarato quod inscribitur : *Concilium pacis*, in opp. Gersonii, t. II, col. 826. — Cf. Gersonium, *Propositio facta coram Anglicis*, t. II, col. 126. — His adstitit præsertim Præpositus Wormatiensis Conrad de Gelnhausen, licen-

II

Imprimis quærendum est quonam jure Episcopi, et inter eos Alliacenus, contendentes Pontifices deponere novumque eligere præsumerent, quæ res ad solos Cardinales pertinuisse videtur. At, ex utraque parte Papa dubius apparebat; scindebatur Ecclesia in duas obedientias, quas pariter illustrabant magni viri, ipsa vitæ sanctitate ac miraculis celebres. Protestati quidem fuerant Cardinales fere omnes adversus electionem Urbani VI, sed præpostere; atque ita inter eos divisio aucta fuerat ut in unum coadunari nullatenus posse sperarentur. Tunc ergo, si unquam, *Papa dubius, papa nullus;* Ecclesia sibi per episcopos succurrere debebat(1), et optimo jure Alliacenus utrique Pontifici viam cessionis proponebat. Jure etiam a Benedicto XIII postulabat, tanquam conditionem restituendæ ei obedientiæ, ut inter quinquennium *Concilium generale* suæ obedientiæ haberet, in quo ageretur de unione Ecclesiæ (2). Ex ejus tractatu *de Materia Concilii Generalis* (3) observationes plures hucusque anecdotas vel Gersonio attributas excipere libet de *Concilio,* de *obedientiæ restitutione ante Concilii convocationem,* et de

tiatus in artibus, qui specialem hac de re scripsit tractatum, cujus laudes decantat Gersonius, t. II, col. 127.

(1) Cf. Bellarminum, *De Conciliis,* l. I, 14, *De Conc. auctor.*, l. II, c. 19; Luigi Tosti, *Storia del Concilio di Costanza,* t. I, p. 51; — Wirceburgenses, t. I, p. 255 (Edit. Parisien. 1852). — Bouix, *De Papa,* t. III, p. 374. — Suarez, *De fide,* Disp. X, Sess. VI, 19; — Cf. Raynald., an. 1409.

(2) Cf. supra, p. 63.

(3) Ms. in Bibl. nat. Paris., nn. 1480, 1571 et 3124.

necessaria reformatione universalis Ecclesiæ (1). Ita porro exorditur :

« Quia scriptum est : Audiens sapiens sapientior erit (2), ideo daturus occasionem sapientibus ut sapientiores fiant, propono eorum examinationi octo considerationes quæ sequuntur super materia et forma communis Concilii hujus obedientiæ (3) ex quibus patebit citius, si sit expediens hujusmodi Concilium celebrari, et si sic, quæ cautela debeat observari (4). »

Declarat deinde non expedire hujusmodi Concilium ad tractandum determinative materias fidei, quia esset dare occasionem scandali et periculi magni in fide (5) ; non expedire fieri Concilium ad tractandum reformationem Ecclesiæ in moribus per modum determinationis (6) ; non expedire ad tractandum et sententiandum de criminibus Domini Benedicti ei per quosdam impositis, puta de perjurio, schismate et hæresi, aut de suspicione vehementi super istis (7) ; non expedire Concilium pro restituendo obedientiam Benedicto XIII in spiritualibus (8) ; non expedire pro restituendo illi obedientiam in administrationibus beneficiorum et aliorum hujusmodi, quæ licet annexa sint spiritualibus, tamen possunt temporalia nominari (9) ; non expedire Concilium fieri tanquam viarum unionis tantummodo repertivum (10).

(1) Ultima pars hujus tractatus quæ est de reformatione Ecclesiæ edita fuit seorsim inter Gersonii opera t. II, col. 902, dum priores duæ partes manent adhuc ineditæ. Hoc opusculum non anno 1416 fuit elucubratum, uti Ellies-Dupin cum pluribus censuit, sed tunc forsan denuo editum et Constantiensibus Patribus traditum ; anno autem 1403 vel circiter scriptum est.

(2) Prov. I, 5.

(3) Benedicti XIII.

(4) *De materia Concilii Generalis*, ms. 1571, f. 1. Comparetur hoc exordium ei quod invenitur in opp. Gersonii, t. II, col. 24.

(5) In opp. Gersonii, col. 25.

(6) *Ibid.*, col. 26.

(7) *Ibid.*, coll. 24 et 25.

(8) *Ibid.*, col. 26.

(9) *Ibid.*, col. 27.

(10) *Ibid.*, col. 28.

Ex his non *determinative* aut *assertive*, sed *examinative* positis, concludebat non expedire Concilium istius obedientiæ fieri ad aliquid determinative concludendum vel diffiniendum, nisi forte solum ad habendam liberam in consulendo deliberationem et plenam concordiam capitis et membrorum ad invicem, super modo et forma uniendi hanc obedientiam secum et cum alia, et hanc unionem concorditer prosequendi. Tum ita pergit :

« Præmissis his considerationibus quæ videntur tangere materiam tractandam, tangendum est de modo ipsius vel forma, de qua sit hæc octava consideratio : Non videtur expedire hujusmodi Concilium fieri in forma nova, seu per novas adinventiones fabricata, sed solum in forma juris communi a primis Patribus in sacris canonibus instituta. Ratio ad hoc, primo, quod præsumptuosum videretur in materia tam ardua uti novis adinventionibus, spretis vel omissis canonicis institutionibus Sanctorum Patrum, in jure et historiis ecclesiasticis satis expressis.... Cum forma sit de essentia rei, si non servaretur forma juris canonici, jam non esset Concilium, sed conciliabulum seu conventiculum suspectum. Si nunc liceret in hoc Concilio a forma juris deviare, eadem ratione et in aliis Conciliis in posterum fiendis (1).... »

Altera tractatus parte quærit utrum, ante Concilium, subtracta Papæ obedientia ei restitui debeat, et respondet :

« Quia circa hoc diversæ et adversæ inveniuntur sententiæ, nihil *determinative* sed solum *disputative* propono dicere; sed varias opiniones cum aliquibus earum motivis ad majorem declarationem materiæ recitare, ut quid melius eligendum sit doctores inspiciant (2). »

Prima opinio indistincte ponit hujusmodi obedientiam restituendam fore, et nititur Isidori doctrinæ :

« Nullus qui suis est rebus spoliatus aut a sede propria

(1) Hæc ultima consideratio in operibus Gersonii non invenitur, sed tantum legitur in libello ms. *De materia Concilii Generalis*, ms. 1571, f. 16.

(2) *Ibid.*, f. 31.

vi aut terrore pulsus, antequam omnia sibi ablata ei legibus restituantur, et ipse pacifice diu suis fruatur honoribus, sedique restitutus multo tempore libere potiatur honore, proprie et regulariter juxta canonicam institutionem accusari, vocari, judicari aut damnari non potest (1).

» Secunda opinio prædictæ contraria indistincte tenet quod hujusmodi restitutio obedientiæ in casu præsenti non est facienda, et fundatur in quibusdam oppositionibus quæ fiunt contra Dominum Benedictum, sicut patet in instructionibus Dominorum Cardinalium missorum ad regem Franciæ ex parte Sacri Collegii (2). »

Enumerat autem octo casus in quibus, juxta Glossam, restitutio non debet fieri, dilapidationem videlicet, criminis enormitatem, infamiam, contumaciam, scandalum, sævitiam, jurisjurandi vel pacti exceptionem; in quæ omnia Benedictum incidisse nonnulli conclamabant (3).

« Tertia opinio *media* est inter duas extremas et contrarias opiniones prædictas, asserens quod in casu præsenti restitutio obedientiæ in *aliquibus facienda est, et in aliquibus non;* quia distinguit quod ea in quibus ante subtractionem dabatur obedientia erant in duplici differentia. Nam quædam erant *essentialia* et necessario annexa dignitati papatus, scilicet illa jura, illæ præeminentiæ et illi honores, qui, tam ratione ordinis quam jurisdictionis, de jure divino debentur Papæ, tanquam *supremo capiti universalis Ecclesiæ.* Alia erant *accidentia* et *adventitia*, et, ut quibusdam videtur, usurpata (4) in præjudicium prælatorum et Ecclesiarum inferiorum, sicut dispositiones et collationes episcopatuum in

(1) *De materia Concilii Generalis*, f. 33.

(2) *Ibid.*, f. 41. Agitur de legatione Cardinalium Pictaviensis et Saluciensis ad regem ex parte Benedicti jam ex Avenionensibus carceribus egressi. Die XXV maii 1403, Pictaviensis orationem habuit in qua omnia mala rejectæ prius obedientiæ attribuit. — Inde concludere est tractatum Alliaceni non ante mensem maii 1403 fuisse lucubratum.

(3) *Ibid.*, f. 41 et seqq. — Hæc fuit opinio Joannis Breviscoxæ. — Cf. hac de re Gersonium, t. II, col. 32.

(4) Cf. etiam Gersonium qui eamdem fere profert sententiam, t. II, col. 27 et passim.

præjudicium electionum, reservationes beneficiorum ecclesiasticorum in præjudicium collationum ordinariorum, receptiones vacantium in præjudicium et sæpe in maximam destructionem Ecclesiarum, retentiones et reservationes procurationum in præjudicium visitationum et correctionum ac reformationum status ecclesiastici, et in grave scandalum et periculum animarum, ac etiam multa alia hujusmodi quæ vocabantur *jura Cameræ Apostolicæ* (1). »

Hæc omnia, aiebant, antiquitus incognita fuerunt. Introducta sunt de facto non de jure, quum esse videantur contra *jus commune*, immo contra *jus divinum* (2).

Postremo autem Alliacenus agit de criminibus Benedicti, de juribus Papæ, Concilii et Ecclesiæ, hujusque reformatione de quibus jam satis alibi (3) verbum fecimus.

III

Pisano Concilio semel indicto, multi Canonistæ declararunt non potuisse Cardinales absque Papa synodum convocare; obedientiam ante Concilium esse restituendam; omnes qui ab obedientia se retraxissent a votis emittendis esse excludendos; denique nullum anteactis sæculis casum obtinuisse quo dejecti fuissent Summi Pontifices, nisi hæreseos causa (4). Eodem sensu protestatus est uterque Pontifex; at generalia Studia fidelesque omnes tanto flagrabant schismatis exstinguendi desiderio ut convocationi Cardinalium fere unani-

(1) *Ibid.*, ms. f. 47.
(2) *Ibid.*
(3) Cf. supra, p. 118.
(4) Martène et Durand, *Thesaurus*, t. II, p. 692; — Mansi, *Sacr. Conc. Collectio*, t. XXVI, p. 223. — Cf. Hefele, *Histoire des Conciles*, t. X, p. 177.

miter adhærere properaverint (1). Hanc Alliacenus, adjuvante Gersonio, acriter defendit, istis præsertim argumentis :

« A Christo capite ejus corpus mysticum, quod est Ecclesia, originaliter et immediate potestatem habet et auctoritatem, ut ad suam unitatem conservandam rite valeat seipsam aut Generale Concilium ipsam repræsentans congregare.... Non solum auctoritate Christi, sed etiam communi jure naturali præmissam auctoritatem sive potestatem habet corpus mysticum Ecclesiæ Dei. Patet quia quodlibet corpus naturale naturaliter resistit suæ divisioni et destructioni (2).... Præmissa auctoritate et auctoritativa potestate usa fuit Ecclesia primitiva.... Post incrementa nascentis Ecclesiæ primitivæ, præmissa auctoritas et potestas congregandi generalia Concilia rationabiliter limitata fuit et restricta, sic scilicet quod sine auctoritate Papæ nulli liceret Concilia hujusmodi congregare.... Patet ex juribus communibus quæ habentur in Decretis et Decretalibus, et ratio fuit ut honoraretur Sedes Apostolica et obviaretur hæreticis et schismaticis.... Præmissa limitatio non tollit quin prædicta auctoritativa potestas semper absolute remaneat in ipsa universali Ecclesia... Non obstante limitatione et restrictione præmissa, in certis casibus Ecclesia sine auctoritate Papæ potest Generale Concilium celebrare. Patet ex prædictis, quia quod in favorem Ecclesiæ est introductum, non est in ejus damnum et grave periculum observandum.... Ita si vacante sede occurreret hæresis.... si Papa esset furiosus vel hæreticus... si plures essent contendentes de papatu, etc. Jura positiva, quæ communiter dicunt quod absque auctoritate Papæ non est fas Generale Concilium congregari, debent *civiliter* intelligi, scilicet quando est unus Papa communiter ab Ecclesia receptus, ad congregandum hujusmodi Concilium, evidente utilitate, idoneus et apparatus.... Pro sedando præsenti schismate, absque Papæ auctoritate, immo ipso contradicente, potest auctoritate universalis Ecclesiæ Generale Concilium congregari et non solum per dominos Cardinales convocari, sed

(1) Cf. Luigi Tosti, *Storia del Concilio di Costanza*, t. I, p. 48.

(2) Martène et Durand, *Vet. Script. Collectio*, t. VII, col. 910. — Cf. Gersonium, *Propos. coram Anglicis*, Cons. IV, t. II, col. 128; et Bossuetium, *Defensio declar. Cleri Gall.*, l. IX, c. 10.

etiam in casu per quoscumque fideles, qui vel auctoritativa potestate, vel caritativa monitione scirent, si possent, ad executionem tanti boni cooperari (1).... »

Scriptæ fuerunt illæ propositiones paulatim, ut ita dicam, ebullientes, in civitate Aquensi, prima die Januarii 1409. Post decem dies, Tarascone degens, Alliacenus alia addebat, quæ in compendium redigere sufficit. Duo Domini contendentes de papatu dictum Concilium tenentur approbare, ratificare, et quantum in eis est, validare. Tenentur Concilio comparere per se aut per procuratores; nec obstat regula de restitutione danda episcopis. Pro acceleratione unionis utilius videtur dictos contendentes per procuratores aut nuntios quam per seipsos personaliter dicto Concilio comparere. Tenentur viam cessionis efficaciter offerre. Si recusent vel negligant, dictum Concilium licite contra eos procedere poterit, tanquam contra *principales fautores schismatis* et *de hæresi suspectos,* ac christianæ politiæ illusores. In casu proposito prædictum Concilium licite potest rejectis dictis contendentibus, ad novam electionem procedere. In casu præmisso, quamvis liceret, tamen non est clarum an expediret ad dictam novam electionem procedere. In casu quo fieret electio nova, providendum esset quod noviter eligendus arctaretur ad *viam cessionis,* si, eo cedente, alii duo offerrent se cessuros. Præfigendus esset contendentibus terminus, infra quem, si vellent efficaciter exsequi *viam cessionis,* provideretur eis de honesto statu et securo, auctoritate Concilii Generalis. Si uno dictorum contendentium in contumacia remanente, alter ad ea ad quæ tenetur in dicto Concilio efficaciter se offerret, illo rejecto, videretur iste merito auctoritate Ecclesiæ in Papam assumendus (2).

(1) Martène et Durand, *ibid.*

(2) Martène et Durand, *ibid.*, p. 916.

Hæc fere omnia sancivit Synodus; utrumque Pontificem damnavit uti *schismaticum* et *hæreticum*, et ipso facto deposuit, haud absque iræ et injustitiæ culpa, quam tamen ideo excusare possumus quia Patres hoc principio a schola recepto utebantur, pertinacem scilicet in schismate ab hæretico practice non distingui. Putabant etiam se abstinuisse a deponendo Summo Pontifice, quia ipso facto propter hæreseos crimen depositus erat. Alliacenus autem, utpote pacatior et prudentior, declaraverat contendentes esse solum « *principales fautores schismatis et de hæresi suspectos* (1). » Sed patientiam et longanimitatem abnegantes, opus tumultuarium Patres struxerunt, et festinanter nimis Alexandrum V uti Papam elegerunt (2). Cæteroquin hæc Synodus inter œcumenicas minime recensetur (3); et novus Pontifex eam statim dimisit, existimans tempus nondum advenisse reformationis Ecclesiæ. Repentina etiam morte fuit ipse præventus, eique successit Balthazar Cossa seu Joannes XXIII, qui, uti diximus, Cameracensem antistitem inter Cardinales aggregavit.

IV

Prætermissa Synodo Romana quæ pene inutilis et vacua fuit, transimus statim ad Concilium Constantiense, ubi theorias Petri nostri magis ac magis declaratas repperiemus.

(1) Martène et Durand, *Coll. Vet. Script.*, t. VII, col. 917.

(2) Hefele, *loc. cit.*, p. 494.

(3) Cf. Ballerini, *De potestate ecclesiastica*, c. VI, § 4, n. 11; Bouix, *De Papa*, p. 494; J. Lenfant, calvinistam, *Histoire du Concile de Pise*, Préface, n° 5.

Celebri concione *de officio Imperatoris, Papæ, reliquorumque membrorum Concilii Constantiensis*, oratorio modo triplicem Synodi scopum indigitat :

« Primo ad *præterita corrigenda*, secundo ad *præsentia ordinanda*, tertio ad *futura providenda*. Primo, ad correctionem et reformationem ecclesiasticæ deformitatis, quoad præterita. Secundo, ad ordinationem et integrationem pacificæ unionis, quoad præsentia. Tertio, ad provisionem et evitationem maleficæ pravitatis, quoad futura (1).... Sana nec *vera unio sine reformatione*, nec *vera reformatio sine unione* esse poterit. O præclarum et prosperum diem, et quem merito sanctum dixerim, sub quo hoc fieri contigerit (2)! »

Mox quæstio juris est agitata de personis ad res fidei definiendas convocandis, et de modo suffragia emittendi. Quidam putabant solos admitti posse episcopos, prælatos et abbates, eisque consentiebat Joannes XXIII, usui præcedentium Conciliorum nixus. Contradicebant autem Germani (3) quibus omnibus hæc proposuit Alliacenus :

« Vel negotia Concilii essent quæ solum pertinerent *ad fidem catholicam*, sacramenta, et pure spiritualia ecclesiastica, de quibus antiquitus inter sanctos Patres in Conciliis generalibus agebatur... Vel illa essent pertinentia ad *exterminationem præsentis schismatis* et unionis ac pacis integræ procurandæ, in quo casu maxime habent locum sequentia....

» Varii olim fuerunt modi observati in modo congregationis et deliberationis Conciliorum Generalium... quæ varietas potest probari jure naturali et divino et ex historiis supradictis....

(1) In opp. Gersonii, t. II, col. 922; Item apud *Tractatus et Sermones* (edit. Argent., 1490); — Cf. Von der Hardt, t. I, p. VIII, col. 444; Mansi, t. XXVIII, col. 947; Gersonium, t. II, col. 165 et seqq.

(2) Hæc oratio non anno 1417 fuit habita, ut indicat Ellies-Dupin, sed die 28 dec. anni 1414, ut notat Von der Hardt in Concilii fastis (t. IV, p. 19). — Cf. Hefele, *Histoire des Conciles*, t. X, p. 378, et historicam nostram partem, pp. 96 et seqq.

(3) Von der Hardt, t. I, *Proleg.*, p. 34. — De tempore quo lucubrata sunt Germanica « avisamenta, » cf. Hubler, *La Réforme de Constance*, 1867, p. 5.

Quando in synodis generalibus soli Episcopi habebant vocem *definitivam*, hoc fuit quia habebant administrationem populi, et erant viri sancti, et docti, et electi præ cæteris in Ecclesia christiana. Postea fuerunt additi Abbates eadem de causa, et quia habebant administrationem subjectorum. Et eadem ratione addi deberent Priores aut Majores quarumcumque Congregationum plus quam Episcopi vel Abbates inutiles solum titulares, in quibus deficiunt conditiones supradictæ, et qui forte in hac materia sunt suspecti. Et mirabile videretur quod unus talis Archiepiscopus, vel Episcopus, vel Abbas paucos aut nullos suffragentes habens, et parvum aut nullum sibi subjectum, haberet tantam vocem in Concilio sicut Archiepiscopus Moguntinus, ac alii magni prælati.... Non sunt excludendi a voce *definitiva* sacræ theologiæ doctores ac juris canonici et civilis, quibus et maxime theologis datur auctoritas prædicandi aut docendi ubique terrarum, quæ non est parva auctoritas in populo christiano, sed multo major quam unius Episcopi vel Abbatis ignorantis et solum titulati. Et quia antiquitus hæc doctorum auctoritas non erat introducta per modum Studiorum generalium... de eis non fit mentio in antiquis juribus communibus, sed in Concilio Pisano et Romano eorum auctoritas allegatur.... Idem dicitur de *Regibus* et *Principibus*, aut eorum *ambassiatoribus* et de *procuratoribus* absentium Prælatorum et Capitulorum.... Item quantum ad materiam terminandi præsens schisma et dandi pacem Ecclesiæ velle excludere Reges, Principes aut Ambassiatores.... a voce seu determinatione etiam conclusiva, non videtur justum, æquum aut rationi consonum (1). »

Acriori stylo, sicut ei mos erat, Gulielmus Philaster, Cardinalis Sancti Marci, Alliaceni defendit doctrinam quæ in Synodo prævaluit (2). Sed qua ratione acciperent judices

(1) Von der Hardt, t. II, col. 224; — Mansi, t. XXVII, p. 560; — Hardouin, t. VIII, p. 220. — Item fere Alliacenus in alio opere tunc temporis edito *de Ecclesiæ, Conc. gen., Rom. Pont. et Cardinalium auctoritate*; in opp. Gersonii, t. II, col. 941. — Hæc suo more exaggerat Gersonius quum definitionem Concilii generalis tradit et nullam fidelem personam quæ audiri requirat ab eo excludit (t. II, col. 205). Cf. Schwab, *Johannes Gerson*, p. 501. — De his omnibus lege *Analecta juris pontificii*, fasc. LXXXIX, 1869.

(2) Von der Hardt, *loc. cit.*, col. 226; — Mansi, *ibid.*, p. 561; — Hefele, *loc. cit.*, t. X, pp. 383 et 384; — Schwab, *op. cit.*, p. 502.

laicos qui nunquam in causis fidei suffragium emittere potuerunt, penitus ignoro. Absone etiam asserebant suffragium cujusque episcopi in Concilio plus minusve valere pro majori minorive numero fidelium quos regit; in Synodo enim episcopi non sunt veluti plebis christianæ deputati, nec tantum ejus fidei testes, sed veri judices quibus collective sumptis sub Ecclesiæ supremo capite infallibilitas ex Christi promissione competit.

Secundæ huic quæstioni: *An vota colligenda sunt per capita, vel per nationes?* respondet Alliacenus denegando :

« Licet clarum de jure videatur, quod perscrutanda sint vota per capita singula, quia tamen plures sunt Prælati Italiæ pauperes quam fere de omnibus nationibus, præterea Dominus noster (Joannes XXIII) fecit in numero excessivo Prælatos cubicularios ultra quinquaginta, et dicitur quod multos voluit sibi obligare juramentis et muneribus, alios minis terruisse, ut ita scrutando per capita nihil fieret, nisi quod vellet Dominus noster (1).... »

Hæc nationum divisio, gravium dissidiorum et litium nimis humanarum origo, unitati Ecclesiæ contraria et antiquis Conciliis inaudita, Constantiensibus valde placuit, et illico Galli, Germani, Angli et postea Itali seorsim convenerunt, « nullo decreto Concilii nullaque ordinatione intervenientibus (2), » ita ut undequaque Synodus extraordinaria et sola sui generis appareret (3).

(1) Von der Hardt, *op. cit.*, col. 230 et t. V, p. 53; — Mansi, *ibid.* — De methodo *voti nationalis* conqueritur Joannes XXIII in epistola ad Academiam Parisiensem, ad Regem et ad Principes, apud Von der Hardt, t. II, col. 155.

(2) *Gallicæ Nationis solemnis protestatio contra Anglos*, apud Von der Hardt, t. V, col. 67; — Cf. Alliacenum, *De Ecclesiæ, Conc. gen., Rom. Pont. et Cardinalium auctoritate.* (In opp. Gersonii, t. II, col. 940, ubi dubia quædam hac de re proponit.) Contradictoriam opinionem affert Cerretanus in *Actis Conc. Constantiensis*, asseritque hanc distinctionem inter Nationes *decreto* Concilii stabilitam fuisse; cf. eumdem Von der Hardt, t. IV, p. 40.

(3) Tosti, *Storia del Concilio di Costanza*, t. I, p. 199; — Manning, *Le Concile œcumenique et l'infaillibilité*, pp. 133 et seqq.

De unione vero Ecclesiæ sub unico Papa sæpe ita aiebat Alliacenus :

« Sicut in divinis veneranda est et adoranda *Trinitas personarum*, sic in humanis verenda et abominanda *Trinitas Paparum* (1). »

Etenim post Concilium Pisanum tres numerabantur Pontifices triplexque dubium vigebat de legitimo uniuscujusque pontificatu (2), unde erat Ecclesia « in labyrintho vix egressibili posita, vinculisque vix extricabilibus irretita (3). » Crimina quibus impetebatur Joannes XXIII (4), ejus conditionata cessio (5) et fuga (6), nedum dubia tollerent, ea potius augebant. *Papa dubius* magis ac antea, ergo *Papa nullus*. Concilium Constantiense, in quo tunc totum corpus episcopale certo congregatum erat, jure potuit renuntiationem accipere Gregorii XII, eam imponere invito Joanni XXIII, ac demum depositionem Benedicti XIII pronuntiare.

De sessionibus quidem IV^a et V^a, quid nempe valeant coram fidei ac theologiæ tribunali sæpe disputatum est. Quia vero auctoritas Alliaceni in eis fere nulla fuerit (7),

(1) *De officio Papæ, imperatoris*.... In opp. Gersonii, t. II, col. 919.

(2) Cf. Muzzarelli, *De auctor. S. Pontificum*, t. II, p. 414; — Ballerini apud Migne, *Cursus Theol.*, t. III, col. 1343.

(3) Ita Gersonius, *De schismate*, t. II, col. 22.

(4) Theodoricus de Niem, *De vita et fatis Constantiensibus Joannis Papæ XXIII*, apud Von der Hardt, t. II, col. 336.

(5) Von der Hardt, t. II, col. 237; t. IV, col. 44. — Mansi, t. XXVII, col. 565.

(6) Cf. Theodoricum de Niem, *Invectiva in diffugientem e Constantiensi Concilio Joannem XXIII*, apud Von der Hardt, t. II, col. 296; Benedictum Gentianum Academiæ Parisiensis legatum. *Ibid.*, col. 170; (hunc fuisse auctorem *Chronicarum Sancti Dionysii* aliqui suspicati sunt); — Cf. etiam Lenfant, *Histoire du Concile de Constance*, pp. 125 et 130.

(7) In quarta sessione « fuerunt ducenti Patres;... Cardinales Vivariensis et *Cameracensis* non intererant, licet in civitate Constantiensi existerent. » In quinta autem « absentibus Johanne Vivariensi, *Petro Cameracensi*, Francisco Venetiarum et Ludovico de Flisco, Cardinalibus, licet in dicta

ejusque sententiæ, si quas habuerit, nobis non sint declaratæ, consulto abstinemus a quovis excursu in hanc quæ jam nostra non est provinciam. Referemus tantummodo Alliaceni textus duos unde patet ipsum dubitasse de valore conciliari definitionum sessionis IVᵃ et Vᵃ, quibus *nationaliter* decreta fuit superioritas Concilii Generalis supra Papam.

« Primum dubium : An quatuor Nationes in hoc Sacro Concilio sic distinctæ, excluso cardinalium collegio, faciant Generale Concilium; cum sint plura Concilia, valde inæqualiter et improportionaliter divisa et ad partem deliberantia; quæ deliberatio, exclusa deliberatione dicti Concilii, et non facta in communi sessione collatione votorum, *videtur multis non esse censenda deliberatio Concilii Generalis conciliariter facta* (1). »

Et postquam multa dixit pro auctoritate Concilii supra Papam, concludit :

« Hæc igitur ad decem capitula in prologo hujus operis proposita mihi pro responsione videntur sufficere; quæ tamen non definitive determinando, sed doctrinaliter suadendo posita sunt : nam hujus rei definitionem *Sacri Concilii* determinationi submitto (2). »

Hæc porro scribebat prima die octobris 1416, scilicet anno plus quam integro post decreta sessionum quartæ et quintæ, quorum ideo characterem definitivum nondum agnoscebat.

civitate præsentibus, ut publice ferebant. » — Mansi, t. XXVII, col. 584 (ex ms. Lipsiensi); — Cf. Von der Hardt, t. V, pp. 89 et 97; Hefele, t. X, p. 403; Tosti, *loc. cit.*, pp. 247 et 258; Th. Campeggio, *De potestate Rom. Pontificis*, c. XXIII, § 6.

(1) In opp. Gersonii, t. II, col. 940. — Hoc noluit concedere Gersonius, t. II, coll. 240, 275, 276, 306 et 355; — Cf. J. B. Schwab, *Johannes Gerson*, pp. 513 et seqq.

(2) *Ibid.*, col. 960.

CAPUT UNDECIMUM

Alliacenus concionator

Alliaceni tempore conciones sacræ in conspectu doctorum et discipulorum Studii generalis aut in clericorum congregationibus habitæ lingua latina proferebantur; ad laicos latinitatis ignaros, lingua vernacula (1).

Latinus quippe sermo lingua jam erat emortua, a solis doctis cognita (2). Unde gallice loquebantur Vincentius Ferrerius dum innumeras post se traheret turbas, Gersonius in sermonibus ad regem vel ad populum (3), Jacobus Major, Joannes de Varennis, Thomas Connectius, omnesque Fratres qui tot tantosque salutis fructus in plebe colligebant (4). Nec christianæ tantum cathedræ conciones, sed tum pietatis tractatus, tum plurima Patrum vel scriptorum ecclesiasticorum gallice reddebantur (5). Legistæ qui

(1) Ita semper jusserunt reges et episcopi. Cf. ex. gr. *Capitul. Caroli Magni*, in Conciliis Remensi et Turonensi (anni 813), etc....

(2) Cf. Gersonium, *De monte contemplationis*, cap. I, t. III, col. 545. Liber primum fuit lingua gallica scriptus, et ad « *idiotas*, id est, simplices sorores suas » directus. Vox « *idiota* » non idem sonat ac gallice verbum : « *idiot*, » uti voluit philosophicus quidam scriptor apud *Dictionnaire des sciences philosophiques* de Franck, art. *Gerson*, p. 618.

(3) De his omnibus, cf. Ern. Bourret, *Essai historique et critique sur les sermons français de Gerson*, 1858. Gersonio LXIV sermones lingua vernacula scriptos tribuit illustrissimus auctor, p. 45. — Cf. Thomassy, *J. Gerson et le grand schisme*, p. 67.

(4) *Histoire litt. de la France*, t. XXIII, p. 248; t. XXIV, pp. 377 et seqq.

(5) Cf. Christinam de Pisan, *le Livre des fais et bonnes mœurs du sage roy Charles V*, Part. III, c. XII. — Cf. etiam Aubertin, *Histoire de la langue et de la littérature française au moyen âge*, t. II, p. 560.

tam sæpe Ecclesiæ infensi fuerunt (1), immo et episcopi quum de rebus politicis agebant, pari lingua utebantur (2).

Quod vero plurimi oratores utrumque idioma simul adhibuerint, et proverbia vel tritos textus gallicæ linguæ sermoni latino miscuerint, sicque nescio quam farraginem a nemine intellectam venditaverint, ne uno quidem valido argumento demonstratur. Scribarum autem *reportata* et clericorum notæ non debent cum ipsis prædicatorum orationibus confundi (3).

Sæpissime concionatoribus alludit Alliacenus, et in sua *Expositione super Cantica Canticorum*, mysticis comparationibus indicat quæ debeat esse eorum persona.

« Equitatus sponsi sunt equorum apparatus quorum alii sunt *dextrarii*, armis scilicet patientiæ armati, alii *palefredi*, id est contemplativi, qui dominum suaviter portant, alii *summarii*, ut *prædicatores* qui victualia et arma virtutum aliis circumferunt, alii *curriles*, ut prælati boni qui pectore et humeris, id est sapientia et operatione, plebem quasi currum ad cœlum trahunt (4).... Genas Ecclesiæ *prædicatores* dicimus, in quibus difformitas vel pulchritudo Ecclesiæ maxime consistit. Genis vero turturis assimilantur, quia turtur, amisso compare, nulli

(1) *Histoire litt. de la France*, t. XXIV, p. 418.

(2) Cf. relationem celeberrimi Concilii Parisiensis anni 1406, apud Bourgeois du Chastenet, *Nouvelle histoire du Concile de Constance*, Preuves, p. 95 et seqq. Gallice dicunt ibi oratores omnes inter quos eminet Petrus noster.

(3) « Ainsi est née d'une méprise de l'ignorance cette opinion aujourd'hui ruinée et confondue qui infligeait au moyen-âge le ridicule d'une sorte d'éloquence burlesque, bonne pour les tréteaux, et qui travestissait en style de parodie la prédication chrétienne, au temps de sa plus grande ferveur et de sa toute puissance. Disons-le ici pour n'y plus revenir : le sermon macaronique n'a jamais existé. » — Ch. Aubertin, *Histoire de la langue et de la litt. fr. au moyen-âge*, t. II, p. 322. — Cf. Lecoy de la Marche, *La chaire française au moyen-âge*, 2e édit. (1886), p. 251 ; Saint Marc-Girardin, *Histoire de la litt. française*, t. II, p. 248. — Cf. etiam Wallon, *Saint Louis et son temps*, 1re édit., t. II, p. 203 ; Bourgain, *La chaire française au XIIe siècle*, pp. 169 et seqq.

(4) *Expositio super Cantica Canticorum*, apud *Tractatus et Sermones*, *Cap.* 1um, V. pars. — Cf. ipsum *Canticum I*, 8.

alteri associatur, et pro cantu gemitum assumit; sic Ecclesia separata corporali præsentia a Sponso, nullum extraneum admittit consortium et sola sedet, sua et aliorum peccata gemens (1). »

Eos præterea collo et murenulis Ecclesiæ aureis (2) assimilat, et post S. Bernardum, cujus opiniones sæpissime refert, eos dicit « sexaginta fortes qui ambiunt ex fortissimis Israel » ad onera et ad pugnam, « omnes tenentes gladios » doctrinæ, disciplinæ et potestatis judiciariæ (3). Sunt denique labia sponsæ (4) ejusque custodes (5), quorum « gressus pulchri (6) » illius spirituales progressus constituunt.

Non mystice autem, sed practice Cameracensem clerum sic exhortatur :

« Prædicator debet esse absolutus a cupiditate, a superfluitate et sollicitudine temporali, ne in his impediatur aut quomodolibet retardetur a prædicatione verbi (7). »

Ambianenses corripiens sacerdotes, talia jam antea dixerat :

« Sunt et alii qui in verbo doctrinæ pauca discretione splendescunt, sed tamen in exemplo tota prorsus indiscretione sordescunt : hi sunt qui pulchra dicunt et turpia committunt (8). »

(1) *Ibid.*

(2) *Ibid.* Cf. S. Bernardum : « Sponsa murenulas pro eo (Dilecto) reportat, vermiculatas argento, id est, sapientiam cum eloquentia, haud dubium *quin ad prædicationis opus.* » (*Super cantica*, Serm. XLI.)

(3) Cap. III, IV pars. — Cf. *Cant.*, III, 7.

(4) Cap. IV, I pars. — Cf. *Cant.*, IV, 3.

(5) Cap. V, V pars. — Cf. *Cant.*, V, 7.

(6) C. VI, II pars. — Cf. *Cant.*, VII, 1. — Cf. *Sermonem in septuagesima*, apud *Tractatus et sermones.*

(7) *Homilia in synodo Camer.* Ibid. — Cf. *Vitam B. Petri Cœlestini*, 22.

(8) *Sermo in synodo Ambianensi.* — Ex ms. Bibl. Collegii Emmanuelis Cantabrigiensis, apud Tschackert, *Appendix*, p. 3; item in opp. Gersonii, t. III, col. 970 et t. IV, col. 217.

Eadem fere pronuntiavit deinde in synodo Parisiensi :

« Ille indignus est prædicationis auctoritate qui eam non agit cum scientiæ claritate et vitæ honestate; et ideo quicumque talis est, non est fidelis dispensator, sed infidelis dissipator (1). »

Si de genere concionandi quod secutus est quæratur, advertemus primum sermones hucusque typis mandatos, fere omnes pronuntiatos fuisse coram clero, episcopis, cardinalibus, vel etiam Summis Pontificibus; et ideo eos ampliori pompa et oratorio nimis apparatu procedere, de moralibus vel asceticis rebus raro agere, et dispares omnino esse ab antiquorum optimis homiliis (2); quapropter etiam latino idiomate sæpius utitur, gallice loquens tantum coram rege et regni principibus (3).

Dicendi autem ejus ratio clarius ab exemplis elucebit. In sermone *de Adventu Domini,* post hunc textum : *Ecce Salvator tuus,* et post exordium solemne, divisionem ita enuntiat :

« Quærebant antiqui Patres nostri circa Christi adventum triplicem quæstionem. Prima quæstio : *quis* est iste venturus qui mundum salvabit? Secunda quæstio : *qualis* est iste futurus qui morbos curabit? Tertia quæstio : *quando* est iste visurus (videndus), an multum tardabit? Erat igitur prima quæstio : Quis est iste? Et hanc quæstionem faciebat rex David eximius prophetarum dicens : Quis dabit ex Sion salutare Israel?... Secunda quæstio : Qualis est iste? Et hanc quæstionem faciebat synagoga Ecclesiæ Christi sponsæ dicens illud Canticorum : Qualis est

(1) *Sermo in synodo in ecclesia Parisiensi.* — Ex eodem ms. apud Tschackert, *Appendix,* p. 6.

(2) « Hic modus prædicationis (homileticus), ait Gersonius, quanquam a modernis parum tritus sit, efficacior forsan est ad fidei robur stabiliendum et ad mysteriorum revelationem virtutisque nutrimentum accommodatior. » *Sermo in Cœna Domini,* t. III, col. 1142. — Cf. *Serm. contra bullam Mendicantium,* t. II, col. 437, et in eodem volumine, coll. 506, 544 et passim. Cf. etiam Schwab, *op. cit.,* pp. 376 et 681.

(3) Apud Bourgeois du Chastenet, *Nouvelle histoire du Concile de Constance,* Preuves, p. 149.

dilectus tuus; o pulcherrima mulierum? Tertia quæstio erat : Quando est iste? Et hanc quæstionem facit Ecclesia in persona synagogæ, cantans illud : Quando veniet? Quando videbo?... In verbis autem nostri thematis tres conclusiones innuuntur prædictæ triplici conclusioni responsivæ. Prima conclusio est : Deus est venturus, a summo cœlo missurus (mittendus), *salvator tuus*. Secunda conclusio est : est futurus, et de terra nascetur : ideo *venit*. Tertia conclusio est : Cito est visurus (videndus), nec diu expectaturus (expectandus), quia *ecce*.... Ad primam igitur quæstionem cum quæritur : Quis est iste? respondet prima conclusio quod *Deus* est, quia *salvator tuus*.... Ad secundam quæstionem cum quæritur : qualis est iste? respondet secunda conclusio quod *homo* est futurus, ad quem *venit*.... Ad tertiam quæstionem cum quæritur : quando? respondet tertia conclusio quod *cito* quia *ecce*.... Ex prædictis autem tribus conditionibus triplicis erroris falsitas apertissime monstratur. Unde ex prima conclusione repellitur error *Arianorum* Christum non credentium esse Dei essentiam... quia secundum prophetam : Deus erat venturus quia *Salvator tuus*; nam Deus meus, Salvator meus.... Ex secunda conclusione destruitur error *Manichæorum*, Christi corpus dicentium non verum, sed phantasiam, quia, secundum prophetam : Homo erat futurus. Ideo dicit : *venit*. Nam cum scriptum sit : Verbum caro factum est, dicitur : in propria venit. Ex tertia conclusione repellitur error *Judæorum* adhuc expectantium Christum seu Messiam. Nam secundum prophetam : Cito erat visurus. Ideo dicit : *ecce*.... Ecce ergo Dominus egredietur de loco suo et descendet. Et sic patet quod in themate nostro tres conclusiones innuuntur, tres quæstiones solvuntur, ex quibus trium errorum destructiones inferuntur (1). »

Incidit igitur Alliacenus, si revera hæc non tantum scripserit sed etiam dixerit, in eorum culpam qui omni ope nituntur ut a prænuntiato textu, contortis licet verbis verborumque sensu, orationis partitionem derivent (2).

(1) *De adventu Domini*, Sermo I, *Tractatus et Sermones*.

(2) Cf. sermones plurimos D. Thomæ, B. Alberti Magni, Nicolai de Biard, Gulielmi episcopi Parisiensis, etc.; *Histoire litt. de la France*, t. XXIV, p. 363. Cf. etiam Alliaceni sermones omnes in Cameracensi synodo aliosque bene multos.

In altera vero ejusdem concionis parte dialogum hunc fingit inter naturam et amorem :

« Cum autem super hanc arduissimam difficultatem attentius meditarer, astitisse mihi visæ sunt duæ mulieres reverendi admodum vultus, quæ super hanc materiam disputantes inter se plurimum discrepare videbantur. Prima erat *Natura*, secunda *Amor*. *Natura* enim aliquibus rationibus concludere videbatur, quod nec utile fuit, immo nec possibile, hominem Deum esse.... Sed quia *Amor* hujus incarnationis causa fuit,... ideo *Amor* istam causam defendendo et præfatis rationibus respondendo, contra naturam aliquibus rationibus respondere videbatur. 1° Ad hoc quod inter hominem et Deum amicitia servaretur, congruebat homini ut Deus homo fieret. 2° Illi divinæ detrahunt potentiæ qui Deum asserunt incarnari non posse, cum ipse sit omnipotens.... etc. (1). »

Et more sui temporis non Scripturas tantum et Patres adducit, sed Senecam, Virgilium, Aristotelem, Hermetem Trismegistam (2), immo et Sibyllam. Tertia parte confutat Judæos ostenditque eos frustra Messiæ præstolari.

« Vos igitur, o Judæi, quid amplius Messiam expectatis?

(1) *Ibid.* — Hoc dicendi et auditores movendi genus jam usurpaverat Raymundus Lullus, apud quem tres matronæ laudes Mariæ proferunt. (*Histoire litt. de la France*, t. XXIX, pp. 158 et 257.) Ita etiam Gersonius dialogos habet Naturam inter et Sapientiam, inter Animam et Theologum (opp. t. III, col. 436), inter Scientiam inflantem et Charitatem ædificantem (t. II, col. 506). Eumdem narrandi modum invenimus in historiis quæ dicuntur « *Romans de chevalerie,* » quæque tunc temporis maxime floruerunt. Exemplum sit « *Le Roman de la rose* » in quo hæ sunt personæ : « *Deduit, Liberalité, Courtoisie, Bel Accueil, Faux Semblant, Malebouche,* etc. » Item apud Froissartum nostrum : *Justice, Pitié, Raison, Honneur, Prouesse, Hardement. La prison amoureuse.* Edit. Scheler, t. I, p. 211 ; — *Histoire litt. de la France,* t. XXII, in fine ; — Aubertin, *op. cit.*, t. II, p. 33.

(2) *Ibid.* — De Hermete Trismegista et Sibylla cf. etiam sermonem III *de Adventu,* sermonem I *de Nativitate,* orationem *de sancto Ludovico episcopo Tolosano,* circa finem, apud *Tractatus et Sermones.* — De Hermete speciatim vide Boutaric (*Revue des Questions historiques,* Janvier 1875 p. 32). — L. Ménard (*Hermes Trismégiste,* 1866) putat librum Trismegistæ naturalem indicare transitum inter Homeri religionem et Jesu Christi cultum. — Cf. Augustinum, *De Civit. Dei,* l. VIII, 23 et seqq.

Æstimo enim vos Arthurum cum Britonibus expectare (1), nam ex testimoniis Legis vestræ apertissime monstratur Christum seu Messiam jam venisse (2).... »

Judæis tandem recitat notissimum Josephi (3) textum ubi de Christo agitur; librum allegat quem authenticum habent *de Generatione Jesu* (4); chaldaicam translationem, glossam hebraicam et Nicolaum de Lyra, non sine quadam eruditionis affectatione, pluries affert, et subdit :

« Immo Antichristus et adversarius Christi Mahometus, veritate coactus in Alkorano suo, *Azohara* verba, etiam hoc concedit, ibidem asserens fuisse optimum virum et faciem vel exemplar omnium gentium præsentis sæculi et futuri (5). »

Eodem fere tempore, anno videlicet 1377, et nondum birreto magistrali cohonestatus, panegyricam de Sancto Ludovico Francorum rege orationem habuit, in domo Navarræ,

(1) Alludit ad antiquas Rotundæ Mensæ fabulas. — Ita Gersonius ipse : « O se Charlemagne le Grand, se Rolant et Olivier, se Judas Machabeus et Heliazar, se Matathie et les aultres princes, estoient maintenant en vie et sainct Loys, et que ilz veissent une telle division en leur peuple et en la saincte Eglise qu'ilz ont si richement dotée, augmentée et honnourée; ilz aimeroient mieulx cent foiz mourir que de la laissier ainsi durer, et que par négligence tout se perdist si malheuresement. Et toutesfoiz, en ce faisant, il est certain, Sire, que vous ferez œuvre plus glorieuse et plus plaisant à Dieu, plus digne de mérite et de renommée pardurable, que si vous vainquissiez ung grant peuple de Sarrazins par bataille. » — Bibl. nat., ms. Colbert, 7326, f. 91, verso; apud Ern. Bourret, *Essai historique et critique sur les sermons français de Gerson*, p. 89. — Cf. *Histoire litt. de la France*, t. XXIV. Hunc textum latine translatum invenies in opp. Gersonii, t. III, col. 991.

(2) *De Adventu Domini*, sermo I, circa finem, apud *Tractatus et Sermones*.

(3) *Antiq. Jud.*, l. XVIII, c. 4. — Controversia adversus Judæos eo tempore ardebat multum, uti ex innumeris patet monumentis inter quæ non ultimum tenet locum hæc Alliaceni oratio.

(4) Alludit ad libros a Judæis lucubratos qui *Tholdoth Jesu* vocantur, quique obscenis simul ac stolidis fabulis redundant. — Cf. Basnage, *Histoire des Juifs*, t. IV, p. 449; Wagenseil, *Tela ignea Satanæ*, p. 25 et seqq.; Freppel, *S. Justin*, l. XX.

(5) *Sermo primus de Adventu Domini*, versus finem.

ad « reverendos Patres, magistros ac dominos carissimos. » Modeste sed hyperbolice exorditur (1) :

« Vereor quippe jugum assumpsisse giganteis humeris onerosum, et onus mihi importabile præsumpsisse. Nam ad explicandum virtutum ejus dotes, magis siquidem imitandas operibus quam sermonibus attollendas, meam prorsus insufficientiam recognosco, credens sub tanta posse materia linguam deficere Ciceronis. Verumtamen post alios magnos viros qui de laudibus ejus multa locuti sunt, ego pauper parvulus cum paupere vidua minutum devotionis in gazophylacium mittam (2). Sed prius ad illius parentis Virginis auxilium me convertam, quæ est apotheca gratiæ, aula misericordiæ, deitatis palatium, sanctitatis hospitium, claustrum pudoris et domicilium pietatis.... Igitur... curvemus genua, solvamus gratitudinis holocausta et ante solium ejus preces fundamus et vota, dicentes : *Ave Maria* (3). »

Divisionem deinde artificiosissimam proponit :

« Sciendum est quod mundus adversus fidem et vana mundi conversatio adversus veram fidei religionem, triplici solet certamine dimicare. Primo quidem *potenter aggrediendo*, *suaviter proponendo* divitias temporales; secundo *potenter progrediendo*, *crudeliter apponendo* molestias corporales; tertio *latenter congrediendo*, *subtiliter apponendo* insidias spirituales. Sed e contra fides et vera fidei religio adversus mundum et vanam mundi conversationem triplici docet victo-

(1) Superlatis etiam istiusmodi verbis incipit in sermone *de sancto Dominico*, apud *Tractatus et Sermones*. — Item in suis *Vesperiis*, in opp. Gersonii, t. I, col. 662, et in *Collatione pro apotheosi Petri de Luxemburgo;* apud Bulæum, *op. cit.*, t. IV, p. 651.

(2) Comparatio jam usurpata a Magistro in prologo *Sententiarum*.

(3) *Sermo de Sancto Ludovico*, loc. cit. Male ergo asserunt quidam a Gersonio incepisse morem recitandi *Ave Maria* ineunte sermone. Cf. Jean Darche : *Le Bienheureux Gerson, chancelier de Paris, docteur très chrétien et consolateur*, p. 131. — Sed tempore quo hanc concionem protulit Alliacenus quatuordecim annis erat natus Gersonius. Alii Vincentio Ferrerio piam hanc consuetudinem attribuunt. At anno tantum 1384 concionari incepit S. Vincentius; constat e contra hunc morem, usque nunc fidelissime servatum, fuisse antiquiorem, et jam in tertio decimo sæculo frequenter a prædicatoribus usurpari. (*Histoire litt. de la France*, t. XXIV, p. 365; — Lecoy de la Marche, *op. cit.*, p. 294.)

ria triumphare. Primo quidem *sapienter contemnendo* oblatas blanditias et suaves delicias; secundo *patienter sustinendo* illatas molestias et crudeles injurias; tertio *evidenter repellendo* paratas insidias et subtiles fallacias (1). »

Ludovicus autem omnes illas tentationes præclarissime superavit. Concionator vero, toto sermonis decursu, ita pergit, syllabas subtiliter numerare et consociare, ut gratum auribus sonum reddant et facilius memoria teneantur. Quandoque tamen onerosum jugum excutit, et ita auditores alloquitur :

« Omissis jam curiosis divisionum vocaliumque concordantiarum præludiis, quasi *puerilibus verborum ludis*, nunc est tempus ut ad seriosa quædam et graviora virilique maturitati congrua et spirituali eruditioni convenientia procedamus (2).... Quia non timemus ferulas grammaticorum, omittamus audacter dictionum rythmos *ludosque puerorum*, et imitemur, utcumque possumus, stylum Patrum antiquorum (3). »

At brevi evanescunt, ceu fumus in auras, optima hæc consilia; aures enim fidelium et frivola temporis curiositas prædam suam avide expetunt (4).

In sermone quem de Sancto Dominico anno 1379 pronuntiavit, oratoria quædam vis et diserta facundia non desunt. Textum assumit Matthæi : *Non potest civitas abscondi supra montem posita*, et utramque civitatem, Dei scilicet et diaboli, post Augustinum (5) describit :

« Nunc vero inquirendum nobis est qui sunt hujus montis

(1) *Ibid.*

(2) *Dominica in septuagesima*, apud *Tractatus et Sermones.*

(3) *Sermo de Sancto Dominico*, ibid. — Cf. *Recommend. sacræ Scripturæ*, in opp. Gersonii, t. I, col. 605.

(4) Idem vitium jam antiquitus vigebat, illudque sanctissimi etiam viri non refugiebant. Cf. *orationem panegyricam S. Marcelli* ab Hugone Cluniacensi, Bibl. nat. ms. lat. 13090. — Cf. etiam L. Bourgain, *La chaire française au XII[e] siècle.*

(5) *De Civit. Dei*, l. I in prologo; l. XI, 1; l. XIV, 28; quem Augustini textum in pluribus exordiis refert Alliacenus. — Cf. *Recommend. Sacræ Scripturæ*, in opp. Gersonii, t. I, col. 603.

incolæ, ut inter eos nostrum Dominicum valeamus reperire... Video itaque primitus in pede montis hujus numerosam philosophorum gentilium multitudinem, quæ tanta pollet virtutum alacritate ut in montem ascendere videatur. Video ibi Zenocratis severitatem, Diogenis patientiam, Frontonis gravitatem, Socratis continentiam, Catonis pietatem, pudicitiam Scipionis (1). Video ex his philosophis aliquos qui tantam cordis ac corporis munditiam habuisse narrantur, ut sublimium ac beatorum spirituum consortia et familiaritatem adepti sint : sic Plato de Socrate magistro suo testatus est dicens quia ob egregiam vitam et castimoniam ab infantia numen habuit comes.... Video denique sacerdotes Ægyptios, qui, ut Plato asserit in Timæo, separati a cætero populo manent, ne contagione aliqua profana castitas polluatur.... Tales erant infideles philosophi, tales sacerdotes pagani! O utinam tales essent philosophi fideles! Utinam tales essent christiani nostri temporis sacerdotes (2)!... »

Conspicit deinde omnes Veteris Testamenti patriarchas, Salvatoremque ipsum veneratur :

« Et ut innumeram sanctorum turbam brevi sermone perstringam, ibi evangelizant apostoli, annuntiant discipuli, triumphant martyres, exultant confessores, doctores prædicant, sacerdotes orant, psallunt claustrales, canunt virgines, ac universi sanctorum chori illud psalmigraphi personant : *Exaltate Dominum Deum nostrum et adorate in monte sancto ejus* (3). In hac ergo sanctorum turba, hinc inde circinans oculos, attentus circumspicio in quo ordine positus quove in loco sit noster Dominicus. Et ecce juxta montis cacumen ipse meis occurrit conspectibus, vir utique aspectu venerabilis, vultu gravis, gressu tardus, incessu maturus, discretus in silentio, fructuosus in verbo, mundus in cogitatione, virtuosus in opere, in conversatione humilis, in contemplatione subtilis, in miraculis clarus et in moribus singulis conspicuus. Vere talis erat noster Dominicus; immo

(1) Cf. *Recommend. Sacræ Scripturæ*, in opp. Gersonii, t. I, col. 605.

(2) *Tractatus et sermones*.

(3) Ps. XCVIII, 9. — *Ibid.*, col. 606.

ultra quod dicere valeam, melior erat, sanctior erat, perfectior erat.... Sed de persecutionibus mutuis harum duarum civitatum, quas sæpe meminimus, paucas eum quæstiunculas interrogo : « O, inquam, desideratissime pater..., tu qui defensor es civitatis Dei, non ignoras persecutiones quas ei infert civitas diaboli. Dic ergo mihi.... Numquid majores pressuras in futurum passura sit? » At ille : « Audi, inquit, magistrum veritatis in schola evangelica suos discipulos informantem : *Cum audieritis prælia et seditiones nolite terreri; oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis* (1). » Ex quibus verbis datur intelligi circa finem mundi majores persecutiones debere fieri. « Dic, quæso te, dic, aperi mihi quando hoc erit? » At ille quæstionem illam meam hunc in modum absolvit: « Importuna, inquit, ac *omnino superstitiosa quæstio* est.... Alii quadringentos, alii quingentos, alii etiam mille ab ascensione Domini usque ad ejus ultimum adventum compleri posse dixerunt.... Ergo de hac re calculantium digitos resolvit et quiescere jubet ille qui dicit : *Non est vestrum scire tempora quæ Pater posuit in sua potestate* (2). »

Sæpius apparet timor Antichristi proximique finis mundi in operibus Cameracensis cardinalis (3), sicut in scriptis antecessorum ejus et coævorum (4). Nil sane mirum tristissimis sæculis hunc metum universis mentibus

(1) Luc, XXI, 9.

(2) *Sermo de Sancto Dominico.* — Act. I, 7.

(3) Cf. Alliacenum, *De concordia astronomiæ cum narratione historica*, l. XXXIV; *Elucidarium, de adventu Antichristi conjecturativa pronosticatione.* — Cf. etiam *Quæst. in Sent.*, sed præsertim, l. I, q. XI et passim; *Vesperias*, in opp. Gersonii, t. I. col. 671; *Verbum abbreviatum super Psalmos*, Ps. LI; *De falsis prophetis*, in opp. Gersonii, t. I, coll. 515 et seqq.; *Expos. super Cant. Cantic.*, cap. VI, 2ª et 4ª pars; *Sermonem tertium in adventu Domini*, de quo infra; *Sermonem de beato Bernardo* in appendice libri P. Tschackert, p. 23.

(4) Richardus a Sancto Victore, *De mundi fine*, apud Migne, *Patr. lat.*, CXCVI, col. 201. — Gerardus Odo, anno 1329, *Vaticinia de fine mundi.* — Cf. Gersonium, t. I, col. 44 et t. III, col. 912; Nic. de Clamengiis, *De Antechristo et ortu ejus, vita, moribus et operibus.* Edit. Lydii, p. 367; *De novis celebritatibus non instituendis*, p. 158; — Cf. etiam *Dissertation sur l'état des sciences de 1031 à 1314*, par l'abbé Lebœuf, apud Leber, *Collection des meilleures notices sur l'histoire de France*, 6ᵐᵉ partie, t. XV, p. 20; *Histoire litt. de la France*, t. XXIV, p. 355.

insedisse et Alliaceno astrologiæ studiosissimo causam fuisse ut Antichristi tempora quæreret. In hac tamen concione aperte asserit finem mundi regnumque Dei futurum prænuntiare non posse. Sed alibi affirmat adventum Christi determinatæ præscientiæ nostræ subesse :

« Etenim post Joannem Baptistam non excluduntur prophetæ, quum etiam Joannes evangelista postea in Apocalypsi prophetavit, et multi alii in Novo Testamento. Quare credendum est quod non deerunt aliqui, maxime circa finem mundi, qui etiam circa ultimum adventum Christi spiritum habebunt prophetiæ ad eruditionem Ecclesiæ christianæ (1). Sic enim beatus Cyrillus (2), abbas Joachim (3), et sancta Hildegardis (4) de temporibus novissimis multa prophetasse creduntur; ut a quibusdam traditur, secundum revelationem factam eidem Joachim, jam non restant *plures quam anni quindecim* usque ad regnum Antichristi. »

(1) *De adventu Domini*, Sermo III.

(2) Audiatur L. Ellies-Dupin : « On attribue à Joachim de Flore une explication d'un livre d'un Cyrille touchant les grandes tribulations; mais c'est une pièce supposée. » *Nouvelle bibliothèque des auteurs ecclés.*, t. X, p. 59.

(3) Abbatis Joachim tanta fuit fama, ut sæpius ejus verba referat Alliacenus. In Calabria natus est, et congregationis Floræ fuit abbas; eximii sed singularis prorsus ingenii, ad Scripturam sacram commentis ornandam præsertim operam navavit. Liber pessimus cui titulus est *Evangelium æternum* ei falso tributus videtur. Sectarum pseudo-mysticarum placitis et fabellis nimium indulsit et hæretici eo pluries abusi sunt, ideo præsertim quia querelas adversus clerum, episcopos, immo et Summum Pontificem sæpissime edidit. Quædam prophetavit vera. Anno 1202 e vivis excessit. Ejus laudes cantat Alighieri :

Il calavrese abate Giovacchino
Di spirito profetico dotato.
(*Parad.* XII.)

Cf. D. Thomam, *In IV Sent.*, Dist. XLIII, q. I, a. 3; Bolland., ad XXIX maii; Pagium, *In crit. Baronii*, t. IV, ad annum 1186 et seqq.; Nat. Alex., *Hist. eccles. sæc. XIII*, c. III, a. 3 et 4; Jungmann, *Dissert. selectæ*, t. V, p. 478.

(4) Hildegardis anno 1141 scripsit suarum contemplationum historiam in libro *Scivias* (Nosce vias Domini), qui in Concilio Trevirensi, an. 1148, a Papa Eugenio fuit examinatus; licentia etiam tunc Hildegardi data fuit ut deinceps omnia scriberet *quæ in spiritu proferenda censebantur*. Ei plures litteras misit S. Bernardus. An. 1171 defuncta est in Germania. Ab Alliaceno « Germanorum prophetissa » vocatur. — Cf. Bolland., ad XVII septembris; Gœrres, *Mystique*, t. I; Migne, *Patr. lat.*, CXCVII.

Versus quibus hæc prophetia continebatur recitat :

Angelus ad Joachim certo numinė dixit :
Cum fuerint anni transacti mille trecenti,
Et deni decies post partum Virginis almæ,
Tunc Antichristus regnabit dæmone plenus.

Objectioni deductæ ex Christi verbis : « *Non est vestrum nosse tempora et momenta quæ Pater posuit in sua potestate* (1) » respondere tentat, sed inania prorsus effugia et pueriles nugas afferendo. Sub fine sermonis signa futuri judicii enuntiat, atque mystice interpretatur :

« Quid est enim : *Erunt signa in sole et luna et stellis*, nisi quod Ecclesiæ luminaria tenebrescent, quod utique jam, proh dolor! factum esse conspicimus (2). Nam cum in sole luciditas prælatorum, in luna luminositas principum, in stellis vero claritas inferiorum congrue designetur, jam certe solem, lunam et stellas tenebrescere percipimus, dum in prælatis lucem sapientiæ, in principibus lumen justitiæ, in inferioribus autem et fere in omnibus splendorem gratiæ pene deficere videamus (3). »

Divus Norbertus Antichristum jam esse proximum dixerat Bernardo (4); quidam affirmabant illum esse natum et jam adultum; immo Nicolaus a Clamengiis eum jamdudum regnantem et sævire paratum indubitanter existimabat (5). Non igitur hallucinati tantum uti Joachim a Flora vel hæretici uti Valdenses (6), sed etiam prudentes et optimi viri uti Godfridus Babio (7), Alanus ab Insulis (8), et Vincentius

(1) Act. I, 7.

(2) Cf. *Sermonem primæ Dominicæ Adventus* a S. Vincentio Ferrerio habitum. Vir Dei eumdem usurpat textum, et eadem mystica comparatione utitur.

(3) *De adventu Domini*, Sermo III, *Tractatus et sermones*.

(4) Epist. LVI Sancti Bernardi.

(5) *De Antichristo*, p. 369.

(6) Cf. Perrin, *Histoire des Vaudois et des Albigeois*, p. 253.

(7) Bibl. nat., ms. lat., 6433, f. 61.

(8) Bibl. nat., ms. lat., 18172, f. 40. — De quibus omnibus cf. L. Bourgain, *La chaire française au XIIe siècle*, d'après les manuscrits, pp. 61 et 325.

Ferrerius, Antichristi adventum digito indicabant. Epistola ad Benedictum XIII, cujus olim a secretis fuerat, hæc scribebat Vincentius :

« De tempore siquidem Antichristi et fine mundi ego consuevi declarare quatuor conclusiones in sermonibus meis. Prima est quod tempus Antichristi et finis mundi in eodem coincidunt temporaliter.... Secunda quod ante nativitatem Antichristi illud tempus fuit hominibus omnibus absconditum generaliter.... Tertia est quod quasi centum anni sunt transacti quod Antichristus debebat venire et mundus iste finiri veraciter.... Quarta quod tempus Antichristi et finis mundi erunt *cito, et bene cito et valde breviter* (1). »

Innitebatur porro sanctissimus vir in homilia prima B. Gregorii et in peculiaribus revelationibus S. Dominico præsertim et S. Francisco factis :

« Duratio hujus mundi, aiebat, tota stat modo in quadam prorogatione obtenta per Beatam Virginem sub spe correctionis et conversionis mundi hujus per dictos ordines Sanctorum Dominici et Francisci (2). »

Et alio sermone :

« Et modo si mundus est correctus, placeat vos videre (3). »

Quemadmodum Vincentius, ita Alliacenus noster hanc morum correctionem prædicabat et promovebat. Sic anno 1389, a Clemente VII apotheosim B. Petri Luxemburgensis deprecans, schisma deplorabat et sanare optabat :

« *Pater, jam hora est, clarifica filium tuum.* » (Joan. XVII)... His itaque sic prolocutis ad materiam propius accedendo, priusquam ad persuadendum quod propositum est descendam, statum triplicem considero eorum quibus congruunt verba prædicta auribus Tuæ Beatitudinis insonare, et in ipsis

(1) Plurimis sermonibus mss., in Bibl. Casanatensi, H, VII, 27.

(2) Item, *loc. cit.*

(3) Ita in sermone *de Sabbato ante tertiam Dominicam post Pascha*. Quæ omnia documenta benevolentiæ docti R. P. Fage, O. P. debemus.

etiam triplicem claritatem possumus reperire. In primo statu præclarissimus adolescens noster Petrus antedictus cum civibus supernis, in quibus est claritas gaudiosæ sanctitatis et æternæ gloriæ, quemadmodum scribitur *quod fulgebunt justi sicut sol*, et subditur, *quod dedit illis claritatem æternam*. In secundo statu est illustrissimus Francorum Rex Carolus, Christianissimus Tuæ Sanctitatis Filius, cum prosapia suæ nobilitatis, in quibus est claritas virtuosæ æquitatis et rectæ justitiæ, quæ, ut philosopho placet, præclarissima est virtutum et neque Hesperus neque Lucifer ita admirabilis. In tertio statu est humilis ac devota Sanctitatis Tuæ filia Parisiensis Studii Universitas, necnon Parisiorum, immo tota gallicana Ecclesia, in quibus est claritas religiosæ veritatis sapientiæ quæ clara est et nunquam marcescit (1). Verto me ad pacis ac unionis reintegrationem. Non possum itaque trahi ut credam quod Deus nefandissimum hoc schisma perpetuo in Ecclesia sua, quæ unica sponsa sua est, permissurus sit; sed aut multos severissime puniet manifestisque flagellabit judiciis, aut, quod multo maluerim, non continebit misericordias suas, quin aliquorum sibi devotorum preces exaudiat.... Ista contingent ad emendationem pessimorum morum nostri temporis et ad reformationem ipsorum.... Propter quos fines adipiscendos celebranda quantocius videtur ipsius adolescentis nostri canonizationis glorificatio (2). »

Anno 1394, Benedicto XIII recens electo eadem de tollendo schismate vota academico veluti modo exprimit. Juxta manuscriptum et ineditum codicem Bibliothecæ Cameracensis, præmisso textu : *Domine, in virtute tua lætabitur rex*, quem de Carolo rege interpretatur, his verbis Pontificem alloquitur :

« Sed, Beatissime Pater, quanta fuerint præterita, quanta sint insuper ea quæ cernimus præsentia respectu futurorum quæ rex ipse et nos omnes ex Vestra Beatitudine proventura speramus, sane illorum comparatione parva, exigua et pene

(1) *Collatio pro apotheosi Petri de Luxemburgo*, apud Bulæum, *Hist. Univ. Paris.*, t. IV, p. 651.

(2) Apud Bulæum, *op. cit.*, p. 662.

nulla sunt. Magna quippe audivimus, majora videmus, sed permaxima speramus. Et hic est tertius gradus lætitiæ quæ regi nostro de vestro pontificatu consurgit. Quid enim velle nostrum bonum profecit temporibus anteactis, quid nunc posse magnum prodest, si non hæ duæ præmissæ in futurum effectum atque in conclusionem conveniant? Sperat igitur, Pater Beatissime, rex Francorum Christianissimus et Ecclesiæ zelator præcipuus, Vestræ Beatitudinis auspicio, interventu atque auctoritate, et, ut in brevi omnia colligam, vestra bona voluntate, potentia necnon scientia, nefandum seminarium schismaticæ perfidiæ, quod Christi agrum polluit et venenosa radice jam tamdiu dehonestat, debere citissime penitus eradicari, paciferamque olivam, quæ ab isto suo agro tam longe relegata est, rursum solidis radicibus inseri. Et quia super omnia suo animo desiderabilia hoc fieri præcipue desiderat, idcirco ex ea spe velut firmæ anchoræ atque immobili hæret, hæc, quam loquor, permaxima sibi lætitia venit, ut ipse nobis merito dicere possit illud Psalmi : *Lætatum est cor meum, et insuper caro mea requiescet in spe*, in spe scilicet futuræ provisionis pacis, reformationis et salutis Ecclesiæ, quas per Sanctitatem Vestram fieri ipse veluti fidelis Dei filius infallibiliter præstolatur (1). »

Neque solus rex lætatur, juxta Alliacenum, sed et principes, clerus et populus gallicanæ illius nationis quæ tot tantaque bona Ecclesiæ universali contulit, sed hodie, propter schisma, inclytis avitisque virtutibus caret :

« In quarum locum, ait, ut poetæ verbo utar,

Subierant fraudesque insidiæque et
Vis et amor sceleratus habendi (2) ;

ipsis, inquam, virtutibus, abjectis vitiis, plenissime restitutis, rursum Ecclesia ipsa decorem suum induet et in anti-

(1) Ms. Bibl. Cameracensis, 490, f. 203, verso.

(2) Genuini Nasonis versus, quos legimus in quatuor mundi ævorum pictura, isti sunt :

In quorum subiere locum fraudesque, dolique,
Insidiæque et vis et amor sceleratus habendi.
(*Carm.* 43.)

quam veniet dignitatem. Tunc aurea sæcula, non juxta poetica figmenta, sed verissime renascentur (1)... »

Hujusmodi sensus, magno viro et magno oratore digni, maxime reperiuntur, etsi maculis erroribusque dictionis obscurati, in orationibus quas Alliacenus Constantiæ habuit. Anno 1416, die Omnium Sanctorum, sermonem ita concludit :

« Nunc vero restat de his cœli luminaribus, ipsorum quoque luminarium eclipsibus, aliqua breviter dicenda moraliter explicare. Ubi primo, vos, o stellæ clarissimæ et splendida mundi lumina, hortor diligenter attendere et attente considerare verbum Apostoli : *alia*, inquit, *est claritas solis, alia lunæ, alia stellarum, et stella a stella diversat in claritate* (2). Hoc namque quod generaliter ait Apostolus particulariter docuerunt astronomi et specialiter Ptolomæus in suo Almagesti dis. septima et octava, ubi declaratur quod omnes stellæ fixæ in septentrione et meridie, in orbe signorum, ex iis quæ habent magnitudinem sunt mille viginti duæ (3), et ex iis sunt nebulosæ quinque, et ex iis tenebrosæ novem. Has autem omnes distinguit in sex ordines secundum quantitatem magnitudinis ; ipsas quoque distribuit in XLVIII imagines, quarum XII sunt in Zodiaco qui est in cœlo quasi corona signorum XII ; et earum viginti et una declinant a Zodiaco versus septentrionem et XV versus meridiem.... Erubescant igitur astronomiæ detractores, dicentes quod sit scientia contemnenda aut condemnanda, quæ tam magna et admiranda investigare studuit et invenire potuit. Sed quorsum ista? Sane hæc ideo dixerimus, quia certa ratione ad propositum pertinere videntur.... Conveniunt hæc ad ecclesiasticorum providentiam et moralem eruditionem ; nam quæ ad cœlorum magnitudinem et pulchritudinem dicta sunt, ad cœleste decus militantis Ecclesiæ convenientissime possent moraliter applicari ; quod utique fieret, nisi tempus instaret huic sermoni finem impo-

(1) Ms. Bibl. Cameracensis, f. 205. Similia sunt in sermone quem nomine regis Romanorum regisque Bohemiæ coram eodem Benedicto habuit.

(2) I Cor. XV, 41.

(3) Ita Rogerius Baco, *De cœlestibus*, apud Æm. Charles, p. 267.

nere. Hoc tamen unum est quod omnino tacere non possum, sed finaliter ad propositum exclamare compellor : O utinam in hoc sacro concilio cum sole et luna omnes stellæ unanimiter conveniant, concorditer influant, reverenter assistant, humiliter obediant! Utinam omnes debitum suum ordinem servare studeant, nec minores majoribus se præferre contendant, nec iis detrahant, nec earum auctoritatem usurpare præsumant! Utinam omnes stellæ in hoc cœlesti collegio absque errorum aut vitiorum tenebris clare luceant, nec per contentiones aut schismata vel alia scandalosa opera nebulosæ fiant, nec per hypocrisim aut simulatam æquitatem, quæ duplex est iniquitas, tenebrescant! Utinam nec quinque nebulosæ, nec novem tenebrosæ stellæ, ut in cœlo materiali, hic reperiri valeant! Et si forte, quod absit, plures fuerint, utinam nec se luminosis præferant, nec earum lumen impediant aut splendorem retrahant! Absit itaque, et procul absit a nobis horrendum illud Joelis vaticinium : *Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum* (1). »

De astrorum et solis eclipsibus pauca subjungit, unde apparet quod Jupiter sanctitudinem, Mars adversitatis tolerantiam, Venus benevolentiam, Sol vero virtutis excellentiam repræsentent :

« Absit ergo, absit ab hoc cœlesti concilio has spiritualium planetarum virtutes cœlestiumque virtutum influentias eclipsari.... Sed tamen de solis eclipsi aliquid specialiter loqui hac ratione compellor, quia videlicet secundum astronomos præ cæteris eclipsibus maxime notanda est.... Concludamus igitur tot esse veri solis radios, spirituale cœlum Ecclesiæ militantis et hujus concilii eam repræsentantis illustrantes, quot sunt christianæ legis et catholicæ fidei veritates. Væ ergo et iterum atque iterum væ illis, qui hos radios solares per errores fidei contrarios eclipsare conantur (2)... »

Optima quidem sensa, sed nimia singularitate styli impedita, quæ tamen eo tempore forsan audientium corda movere potuerunt.

(1) Joel. II, 10; III, 15.
(2) P. Tschackert, *op. cit.*, Appendix, p. 50.

Sequenti anno, panegyricam orationem S. Ludovici episcopi Tolosani coram Concilio habuit, observatione nostra dignissimam, utpote quam Petrus noster in plenitudine dierum simul ac ingenii, in apice honorum et dignitatum, pronuntiaverit. Textum hunc sumit : « *Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* » Post exordium, Horatium citat ad describendam adolescentis Ludovici virtutem, Terentium ad abstinentiam, Senecam ad mortificationem, Sibyllas demum, Cassandram et Claudiam, ad castitatem ; et ita exclamat :

« O utinam Sancta Mater Ecclesia nunc, proh dolor ! acephala, et apostolico pastore nostris demeritis diutius quam expediret destituta, talem servum bonum et fidelem, talem Summum Pontificem servum servorum Dei per canonicam electionem celeriter habere mereatur (1) ! »

Secunda parte hæc habet :

« Ludovicus ex regali prosapia, patre videlicet Carolo rege Siciliæ, matre vero Maria Siciliæ regina ac Hungariæ, originem suam traxit... Laudamus ergo in hoc viro sancto regalem prosapiam, non qualemcumque sed illam quæ præclarissimæ propagini regum Franciæ proxima exstitit ; propterea de eo canitur :

Flos ortus inter lilia
Quorum radix est Francia.

Illa videlicet Francia quæ caput est et superior ac major portio Galliæ, cujus laudes me alias allegasse memini (2) et nunc etiam recitare curavi, non solum ad hujus Sancti laudem, sed ut erubescant et confundantur Galliæ detractores, suique honoris et gloriæ atque prosperitatis et pacis invasores et

(1) *Tractatus et Sermones*, Argent. 1490. — Ita adamabat profanas hujusmodi citationes, ut coram Papa concionans, munera et opera Spiritus Sancti per Ciceronem explanaverit. *Sermo de Sancta Trinitate*, exordium.

(2) Cf. *Collationem ex parte regis Franciæ coram Papa Benedicto XIII*, anno 1394.

turbatores. Ipsa est igitur quam veteres sapientes inter alias orbis partes maximis laudibus extulerunt. Illa namque Gallia nobilis, ut eam Lucanus appellat; illa bello ante Romanos gloriosa, ut Sallustius ait; illa felix et strenuissima militia, ut Claudianus ait; illa audax et animosa et insuper pascuis uberrima, ut Horatius; illa specie hominum aurea atque lactea cultuque nitidissima, ut Virgilius; illa potentissima cujus pleno consensui nec ipse orbis obsistat, ut Cæsar Julius; illa aspera, bellicosa, et quæ prima post Herculem invicta Alpium juga transcendit, ut Justinus; illa terra mole corporum et omni prorsus genere terribilis, ut Annæus Florus; illa flos atque firmamentum Romani Imperii, ut inquit Tullius; illa parens disciplinarum, ut Julius Celsus; illa virorum acris ingenio, ut ait Isidorus; illa carens omni monstro, ut Quintilianus, et post eum Hieronymus; illa nutrix religionis non negligens, ut inquit Titus Livius. Postremo, ut brevi verbo multa concludam, illa cuncta regna præcellens, ut ait Gregorius. Sed, quod omnem præcellit laudem, illa lampas splendidissima quæ, eodem teste, fidei orthodoxæ radiosa claritate inter obscuram gentium aliarum perfidiam coruscat. Certe hujus Galliæ fides, suæque fidei ac religionis claritas, quam dudum Gregorius sic extulit, nunc etiam in hoc generali Concilio multum emicuit, et de die in diem magis ac magis clarescit, licet nonnulli eam obscurare frustra nitantur.... Hic ergo Sanctus tam ex patre quam ex prosapiæ nobilitate laudandus est, cujus tum natalis propria aut regalis prosapia a quibus originem traxit, nequaquam tantum laudis intulit, quantum eis ipse contulit (1).... O utinam hæc attente considerent multi hodie ad Ecclesiasticas dignitates et beneficia titulo nobilitatis promoti, qui de parentum laudibus absque propriis, immo cum multis vitiorum opprobriis tumida elatione superbiunt, et dum inde gloriosi esse putant, falluntur... Sapiens eleganter eos simiæ comparavit, quia quanto in excelsiori ac clariori loco ponitur, eo amplius deformis ejus effigies irridetur (2). »

(1) *Ibid.*, 2ª pars. — Eamdem eruditionis et citationum abundantiam præ se fert Gersonius; cf. v. gr. *Sermonem in die dominica Septuagesimæ*, t. III, col. 1022, et passim. — Cf. hac de re S. Franciscum Salesium, *Traité de prédication*, cap. III, art. I, sect. 3 et seqq.

(2) *Ibid.*

Mirabilem deinde laudat Ludovici in pauperes miserationem :

« Utinam non solum superflue, utinam non super modum et debitum ordinem vitiose viverent ministri Ecclesiæ! Utinam non in crapula et ebrietate!..... Væ, atque iterum væ vobis, quia hæc omnia in clero experimur, et contra hæc in hoc sacro Concilio multa de reformatione loquimur, sed pauca vel nulla exequimur. Multa in codicibus scribimus, pauca in cordibus de morum reformatione sentimus (1). »

Unica est Alliaceni gallica oratio de ecclesiasticis simul ac politicis materiis tractans. Habita est coram Parisiensi Concilio anni 1406. Sex prælati pro Studii Parisiensis propositione (2), pro nova scilicet obedientiæ revocatione, sex vero pro Benedicto XIII locuti sunt, et inter hos Alliacenus, qui post Armelium de Brolio, archiepiscopum Turonensem, exorsus est ab hoc textu :

« *Pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda et intelligentias vestras.* Ad Philipp. VI, et in Epist. Dominicæ currentis, secundum usum Ecclesiæ Romanæ. »

« Tres noble et puissant Prince, et mon tres redouté Seigneur: pour ce que il a plû à vostre royale Majesté que je propose en la matiere de la foy, pour ce faire j'ay prins la parole de la foy, et dit ainsi en frantzois : La paix de Dieu qui surmonte tout sens, garde vos cuers et vos entendements. Selon Monsieur saint Paul, sans Dieu tout humain labeur est vain et inutile ; et pour ce que nous sommes icy à labourer en la foy, affin que mon labeur ne soit inutile, j'ay proposé la raison de saint Paul : « *Pax Dei quæ*, » etc. La vraïe paix est moult à désirer: la vraïe paix donne dons gracieux qui viennent principalement de la grace Divine, *quia pax Dei :* la vraïe paix donne un bien

(1) Sermo de S. Ludovico, apud *Tractatus et Sermones.*

(2) Cf. supra, p. 67. « Le texte de ces discussions, inquit Aubertin, est un monument rare du français qui se parlait dans l'Université de Paris sous Charles VI. » *Histoire de la langue et de la litt. fr.*, t. II, 353. Textus repperitur in ms. Sancti Victoris, Bibl. nat., 266.

précieux, qui excede nostre entendement, et toute cognition humaine, *quæ exsuperat*.... Cette paix nous fut insinuée et preschiée en la Nativité de nostre Sauveur, *et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. La vraie paix nous donne un bien vertueux, qui confirme nostre volonté et nostre entendement ; *et ideo concludit* : *corda vestra custodiat et intelligentias vestras*. Cestes trois considerations, ces trois biens que donne vraie paix sont bien utiles à nostre propos : mais je m'en passeray briefvement de deux premières considérations, et poursuivray la dernière....

Je viens maintenant à ma matiere, laquelle je deviseray en trois principales parties. Premièrement, je mettray aucunes protestations, qui me sont nécessaires. Secondement, je mettray aucunes propositions responsives à la question principale, qui est icy à traitter ; car quand vous nous mandastes, vostres lettres contenoient que c'estoit pour avoir avis et conseil, comment il seroit à labourer en la paix de l'Eglise et pour avoir union. Vous ne nous aves pas mandé seulement pour disputer, mais pour aviser aucun bon moyen de parvenir à la paix de l'Eglise. Tiercement, je viendray au principal, et declareray par proposition, que N. P. Benedict n'est point scismatique, ne vehement suspect de heresie, par quoy l'en ly doive de present faire sustraxion de obéïssance...

Et avant que je die plus avant, je proteste premièrement, que ce que je dis en ceste matière, Sire, c'est de vostre commandement, non mie seulement general, mais de vostre commandement especial, et en ay lettre. Non mie que j'aye crainte aucune que je ne osasse bien dire la verité, mais pour la insuffisance que je apperchoie en moy : je me voy tout indisposé de reume ; je n'ay pas faconde a mon plaisir... Je proteste aussi, que je n'entends riens dire en injure d'aucun, *et potissime* de ma merc l'Université, laquelle je aime tousjours singulierement, et y suis moult tenu. Car en elle et par elle, j'ay eu moult de biens et de honneurs, de quoy je ne estois pas digne.....

Cette matiere est haute et ne puet pas estre expliquée en langue franczoise, ne devant les loix, et aussi *hoc* est deffendu en droit. Cette matiere n'appartient pas si bien aux Juristes, comme aux Theologiens... »

Ita tandem concludit :

« Monseigneur le patriarche a touché que quand l'en aura fait sustraxion, l'en avisera la maniere de obéïr aux inconveniens qui en poroient venir. C'est tres bien dit : quand la maison sera arse, l'en fera provision d'eaue. Je croy qu'il vaudroit mieux premierement y aviser; je repute trop forte cause que l'en y pust remedier. Et ensi je conclu *ex præmissis*, que vous ne deves point faire sustraxion, attendu ce que j'ay dit, attendu le serment que vous aves fait à N. S. Pere, et les aliances que vous aves en luy, et especialement jusqu'à ce que vous ly ayes notifié.

Quand vous mandastes les prélats, vostres lettres contenoient que c'estoit pour aviser aucun bon moien de proceder. Vous ne les mandastes pas pour arguer; il seroit bon que l'en n'en deputast plus. L'en a asses parlé, et que l'en se assemblast d'un commun accord pour aviser aucuns bons moiens, et que nous faisons comme ces avocats qui quand ils ont parlé l'un contre l'autre si fort qu'il sembleroit, etc. ils s'en vont digner ensemble. Messeigneurs de cette partie ont avisé aucunes coses; s'il vous plaist, vous les feres lire ou les feres visiter en vostre Conseil en secret. Ce que j'ay dit, Sire, prenes en gré : je ne suis que l'instrument à le proferer. Selon l'appointement du Roy dernierement donné, il fut dit que un de là parleroit, et puis un de cha (1). »

Quamvis merita hujusmodi orationum non adeo vulgaria sint, a litterarum tamen peritis valde ignorata fuerunt, et oratoria Alliaceni opera vix a nemine laudata sunt, vel æquo animo judicata. Etsi vulgi proverbia aut etiam Æsopi fabulas non dedignetur (2), non ineptas et insulsas historiolas

(1) Cf. Aubertin, *Histoire de la langue et de la littérature française*, t. II, p. 333.

(2) Ita, v. g. : *Positi sunt inter malleum et incudem* (Sermo de sancto Dominico, in fine). Phantasia fingit cimeras et monstra et *facit castra in Hyspania* (De anima, cap. IV, 5ª pars). *Quid nova testa capit, inveterata sapit* (De sancto Ludovico, Sermo 1ᵘˢ). — Item in omnibus fere suis sermonibus S. Vincentius Ferrerius. — Cf. Lecoy de la Marche, *La Chaire française au moyen âge*, pp. 251, 255, 303. — Citat Alliacenus fabulam corvi « qui cæterorum avium fulgidas plumas quibus ornaretur furtim

narrat uti alii multi (1), non ex bestiariis, volucrariis et lapidariis aniles fabulas depromit, nec innumeris exemplis auditores obruit (2). Vitia autem cætera temporis sui non satis devitat; docet, non movet; lucet, non ardet; vita motuque carent aliquando longissimæ ejus expositiones quæ veluti languent ac gemunt sub intolerabili eruditionis mole; subtilioribus divisionibus et subdivisionibus nimis studet; assonantiis, cadentiis, rythmis et numeris pueriliter, ut ipsum audivimus confitentem, delectatur (3); gravem simplicitatem cathedræ christianæ et ambonis conciliaris despicit ut ridiculam loquacitatem atque nimiam pulpiti academici dicacitatem assequatur; Scripturæ demum divinæ textus non tam ad commovendum animos quam ad aures demulciendas adducit (4), ita ut litterarius ludus potius quam apostolatus officium ab eo adimpleri videatur. Stylus ejus rudis et informis, latinitatis Patrum vitia non merita referens. Coævos poetas non ignorat (5), sed indulget Petrarchæ, Aligherium

surripuit, et proprii inops de alieno decore glorians cæteras spernebat. » *Secunda collatio de Petro Luxemburgo*; apud Bulæum, *Hist. Univ. Paris*, t. IV, p. 665.

(1) Ita Echard, cum de nonnullis fratribus sui ordinis queritur, *Histoire litt. de la France*, t. XXIV, p. 373. — Cf. S. Franciscum Salesium, *Traité de la prédication*, chap. III, art. 1er.

(2) Cf. didacticos plures hujus ætatis libros sic inscriptos : *Ars dilatandi sermones; Tractatus de diversis materiis prædicabilibus; Universum prædicabile*, a fratre Joanne de Sancto Geminiano, etc. *Histoire litt. de la France*, ibid. — Cf. etiam Lecoy de la Marche, *La chaire française au moyen âge*, pp. 288 et 295.

(3) Cf. E. Bourret, *Essai sur les sermons français de Gerson*, p. 126; Lecoy de la Marche, *op. cit.*, p. 280.

(4) Comme il (le prédicateur) sceu bien mettre
Ses principes par ordonnance
Et puis finir par concordance
De l'Escripture.
(*Les Mystères*, par Petit de Julleville, t. II, p. 262.)

Cf. *Histoire litt. de la France*, t. XXIV, p. 265. « Le latin des écoles d'alors est un langage goffe et grossier, » dit Pasquier.

(5) *Propos. coram Papa adv. Cancellarium Paris.*

autem nonnunquam improbat (1). Antiquitatis scripta frequenter commemorat, sed corrupta sæpe et ex prava quadam compilatione (2). Locutionibus aut fere gallicis aut aperte barbaris uti nunquam reformidat (3). Nullam ideo partem ei adscribere possumus in illa bonarum artium et litterarum instauratione quam in Italia Petrarcha, Boccatius, Collutius, Aretinus, et in Gallia Nicolaus Oresmius (4), Joannes de Monsterolio (5), Petrus Berchorius (6), Gontherius Colli (7), Nicolaus de Clamengiis (8) tanto ardore tantisque laboribus feliciter tenta-

(1) *Vita S. Petri Cœlestini*, apud Bolland., t. IV mensis maii, p. 495.

(2) Sint in exemplum :

Os homini sublime dedit, cœlumque *videre*
Jussit...

(*Sermo in die Omnium Sanctorum*, apud Tschackert, *op. cit.*, Appendix, p. 48. Item *Tractatus et Sermones*, *et Spec. Consid.*, l. II, c. 6.)

Regis ad exemplar totus *formabitur* orbis.

(*Collatio coram Benedicto XIII ex parte regis Franciæ*, Ms. Bibl. Camer. 490, f° 204.)

Præterita olim *mala* meminisse juvabit.

(*Sermo in medio quadragesimæ*, apud *Tractatus et Sermones*.) — De usu referendi profanos auctores, cf. Lecoy de la Marche, *op. cit.*, pp. 472 et seqq.

(3) Sic : *vassalus*, *grossitudo*, *potius plenus vino*, *baratrator*, *jocundare*, *se arrestare*, *sequestrare*, *epilogare*, *contiguari*, *guerræ*, *punctus*, *calefactibilis*, *eclypsabilis*, *dubitabilis*, *plurificabilis*, *ponderositas*, *quod* pro *ut*, etc. — « Le latin était comme une langue vivante dont chacun disposait à son gré, usant avec une liberté sans limite du droit de fabriquer les mots et de les construire à volonté. Nul n'égalait le dédain de nos docteurs pour la grammaire et l'usage, leur intrépidité à dire en latin ce que le latin n'avait jamais dit. » J. V. Le Clerc, *Histoire litt. de la France*, t. XXIV, p. 268.

(4) Cf. *Essai sur la vie et les ouvrages de Nicole Oresme*, par Francis Meunier, 1875.

(5) Cf. *De Joannis de Monsterolio vita et operibus*, auctore A. Thomas, 1883.

(6) *Ibid.*, p. 48. — Cf. Leop. Pannier, *Bibl. de l'Ecole des Chartes*, XXXIII, p. 325 ; *L'intermédiaire*, VI, p. 164.

(7) *De Joannis de Monsterolio.*, p. 80.

(8) *Ibid.*, p. 86. — Cf. epistolas Nicolai de Clamengiis ad Galeottum de

verunt. Sed in scientiis, in philosophicis theologicisque disciplinis talem sibi acquisiverat famam, ut aliam laudem potuerit aut non quærere aut etiam dedignari.

Petra Mala, Ecclesiæ Cardinalem. Veri nominis poetas extra Italiam existere adversus Petrarcham fortiter propuguat. *Opp. Nic. de Clamengiis*, Edit. Lydii, Epist. IV et V, p. 20.

CAPUT DUODECIMUM

Alliacenus de Sacris Scripturis

I

Magni utique momenti est critica quæstio quam duobus opusculis in Bibliothecis Bruxellensi, Cameracensi et Parisiensi hucusque latentibus et fere omnino ignotis expendit Petrus noster. Quæstio est de valore et usu Vulgatæ versionis Bibliorum, et documenta Alliaceni duo sunt : *Epistola ad novos Hebræos* (1), atque *Apologeticus* ejusdem Hieronymianæ versionis (2), qui prioris epistolæ complementum est.

Philippus de Maizeriis quem supra jam nominavimus (3). quum « non tam in temporalibus quam in spiritualibus militaret (4), » Alliaceno tunc simplici baccalario denuntiaverat quemdam Hieronymianæ versionis adversarium. Quis ille fuerit, quem « innominatum, ait Petrus, inno-

(1) Mss. in Bibl. Bruxellensi, 18977, 18981 ; Bibl. Cameracensi, 473 ; Bibl. nat. Parisiensi, 3122, f. lat. Hujus operis incompletum prorsus compendium tradit P. Tschackert, *Peter von Ailli*, Appendix, III, p. 7.

(2) Ms. in Bibl. Bruxellensi, 18978. — Cf. ejus compendium apud Tschackert, *ibid.*, Appendix, XIV, p. 50.

(3) P. 15.

(4) *Epistola ad novos Hebræos*, præfatio.

minatus taceo, » non est facile dictu. Vir certe erat, « catholicæ professionis et, ut creditur, ecclesiasticæ unionis, » cujus « nec dicta audivi, nec scripta legi, » sed qui, « ut publica fama testatur, in translationem Hieronymi clam et palam calumniæ verba protulit, potius inadvertenter quam pertinaciter (1). » Quum vero magistri silerent quumque detractor magnum scandalum daret, eum impugnavit Alliacenus « ut per hoc et præfato viro via pateret et reditus ab errore, et cuilibet christiano via et aditus deficeret ad errorem (2). »

« Hanc epistolam intitulo *Contra novos Hebræos*, quia contra novos disputat antiqui erroris hebraici sectatores... Ideo dimissis antiquis Hebræis seu potius ebriis immo verius ebriosis, quorum infirmitas est usque ad mortem, vobis novis Hebræis, utinam non ebriis vel etiam ebriosis, præsentem epistolam dirigo, zelo fidei catholicæ, zelo Ecclesiæ christianæ, zelo caritatis fraternæ, cupiens vos ab erroris devio revocari et ad viam redire veritatis.... Scio tamen hoc opus, si ad malorum notitiam perveniat, multorum detractionibus lacerandum; sed... illorum tantum confidens auxilio quos defendo, nec adversariorum insultus, nec detractorum morsus, nec æmulatorum latratus formido... Hoc unum posco ut quod scribo prius totum legant quam aliquid ejus despiciant (3). »

Attamen adversarius gratia cujus « in parte et occasionaliter » hanc epistolam scribit, suo quidem judicio fide et religione devotus est, nec eum de hæresi, errore vel alio quovis crimine reprehendit (4); sed ille, Rogerii Baconis vestigiis probabiliter insistens (5), asserebat :

« Translationem sancti Patris Hieronymi, quam Christianis

(1) *Epistola ad novos Hebræos*, c. IV.
(2) *Ibid.*, Præfatio.
(3) *Ibid.*
(4) *Ibid.*, c. IV.
(5) « Un autre mérite de Bacon, c'est d'avoir été un des fondateurs de la critique sacrée. Ses ouvrages fourmillent de dissertations sur l'origine des

de hebræo tradidit in latinum, contra, ultra, citraque vel præter hebraicam veritatem in quibusdam passibus aliqua addidisse, et in aliis aliqua omisisse, nec semper concordasse sententialiter cum eadem (1). »

Post hanc descriptionem sententiæ adversæ, ita procedit Alliacenus :

« Quærendum est itaque *numquid firmiter credendum sit de necessitate salutis beatum Hieronymum sine additione, diminutione vel errore, in latinum transtulisse sermonem litteralem sensum hebraicæ veritatis*. Hoc opus quinque capitulis distinguitur : primum hebraici erroris munimenta et *partis adversæ rationes* inducit; secundum quis proprie sit *litteralis sensus* Scripturæ et quæ translatio ejus debet dici litteralis diffinit; tertium quæ auctoritates sunt et quæ non sunt *de necessitate salutis firmiter credendæ* distinguit; quartum *quanta sit Ecclesiæ auctoritas* præmittit, et *principalem quæstionem* dissolvit; quintum capitulum quædam *historica* prænotando *objecta* in primo capitulo refellit (2). »

Caput primum epistolæ profert rationes tres quibus, Alliaceno judice, impugnari posset necessitas absoluta firmiter adhærendi Versioni Hieronymi, sub damno salutis æternæ, videlicet : Hieronymus non est majoris auctoritatis quam Augustinus, aut quivis alius Ecclesiæ Doctor ; de ejus translatione licitum est inquirere et dubitare, immo licet eam corrigere aut respuere, testibus Augustino et ipso Hieronymo ; Vulgata non semper concordat cum translatione LXX Interpretum, qui fuerunt Spiritu Sancto pleni et qui

versions des livres saints, sur les traductions dont se sert l'Eglise. Il professe pour saint Jérôme un grand respect; il trouve que sa traduction vaut mieux que toute autre version grecque ou latine; mais il déclare et établit par des exemples nombreux, que souvent il s'est trompé ou n'a pas osé traduire, de peur de s'attirer les injures et le nom de faussaire que les ignorants lui ont cependant prodigué. On doit donc réviser cette traduction. » (Emile Charles, *Roger Bacon*, p. 263.)

(1) Cf. Ms. jam commemoratum, et P. Tschackert, *op. cit.*, p. 7.

(2) *Epistola ad novos Hebræos*, præfatio.

per suam versionem nascentis Ecclesiæ fidem roboraverunt (1).

Secundum caput, de sensu litterali agens, duplicem eum distinguit ; unum quem voces significant juxta grammaticam et communem loquendi usum ; alterum quem Scripturæ conditor seu auctor intelligit.

« Auctor autem est Deus qui illam componit, et propheta non est nisi notarius Dei in scribendo (2). »

Unicum tamen subesse cuilibet biblico textu litteralem sensum, adversus Augustinum (3), sed cum majori interpretum parte affirmat (4). Quælibet autem translatio est proprie litteralis quum genuinus sensus servatur, etiam mutato verborum ordine.

Caput tertium exponit quænam sint auctoritates a quolibet firmiter de necessitate salutis audiendæ. Prior est *Sacra Scriptura,* posterior, *Christiana Ecclesia* (5); major autem auctoritas Scripturæ quam Ecclesiæ. A famosissimo S. Augustini dicto : « Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas » variis subtilitatibus sese eximere nititur, sed inani prorsus opera. Nullam aliam auctoritatem humanam putat esse de necessitate salutis observandam. Qui ergo asserit Hieronymum errasse :

« Aut aliquid addendo, aut aliquid removendo, aut aliquid

(1) *Ibid.*, c. I.

(2) *Ibid.*, c. II.

(3) *Confess.*, XII, 31 ; *De doctr. christ.*, III, 27.

(4) Cf. R. P. Cornely, *Cursus Scripturæ Sacræ*, t. I, p. 523.

(5) Hic iterat Alliacenus declarationes de fide Ecclesiæ a nobis supra, p. 237, commemoratas, et addit : « Dicit Rabanus quod usque ad finem sæculi erunt aliqui in hoc mundo quibus ad fidei conservationem Spiritum Sanctum pie tenendum est semper adesse. » Asserit insuper se de hac quæstione aliquid jam tetigisse in tractatu *Super Cantica Canticorum;* sed illud opus, prout saltem nunc legitur, nihil simile habet. Id e contra invenies indicatum in *Vesperiis;* in opp. Gersonii, t. I, col. 670.

immutando ab hebraica veritate, non potest propter hoc reprehendi de hæresi vel infidelitatis errore... sed de protervia et præsumptione (1). »

Nullatenus enim erravit clarissimus interpres, neque scienter, neque ignoranter :

« Quare sequitur eos qui Hieronymum in sua translatione reprehendere vel corrigere nituntur merito posse de temeritate culpari (2). »

Quarto capitulo quæstionem præcipuam solvit his sententiis :

« Tanta est Ecclesiæ catholicæ auctoritas quod omnis illa et sola Scriptura firmiter est credenda de necessitate salutis quam ipsa recipit, approbat et tradit tanquam catholicam et divinam... Bibliæ Scripturam, ab eo (Hieronymo) translatam de hebræo in latinum, Ecclesia catholica recipit, approbat et tradit tanquam Scripturam *canonicam et divinam*.... Ecclesia enim eam præacceptat aliis omnibus versionibus, eam assumit in conciliis, synodis et determinationibus orthodoxis ad veritatum fidei probationem, reprobationem hæresum et confutationem errorum (3). »

Argumentum autem hujusmodi ex Alliaceno, non tantum pro textibus ab Ecclesia ipsa explicatis valet, sed etiam pro omnibus aliis, quia tota translatio Hieronymiana per modum unius se habet, nec aliqua possunt ibi esse suspecta vel falsa, aliis remanentibus firmis.

« Propter auctoritatem Ecclesiæ catholicæ translatio Hieronymi de hebræo in latinum firmiter credenda est de necessitate salutis. Sequitur formalis responsio ad quæsitum, scilicet quod firmiter et de necessitate salutis credendum est beatum Hieronymum in translatione Scripturarum non errasse aliquid in eis vel addendo, vel subtrahendo, vel immutando a sensu

(1) *Ibid.*, c. III.
(2) *Ibid.*
(3) *Ibid.*, c. IV.

litterali hebraicæ veritatis, alioquin Ecclesia eam non recepisset, nec approbasset (1). »

Si enim huic fides non adhibeatur, nulli jam credetur, et nulla jam poterit efficax aut certa probatio ex Scripturis derivari. Qui ergo Hieronymi versionem tanquam insufficienter litteralem calumniantur, de præsumptione et temeritate jure culpandi sunt. Immo :

« Pertinaciter calumniæ (hujus) verba proferentes, nedum de *præsumptione* ac *temeritate*, sed etiam de *hæresi* et *errore in fide* possunt merito reprehendi, quia scilicet, ut ex dictis patet, Ecclesiæ contradicunt (2). »

Ultimo capite historica quædam tradit de antiquis versionibus, et refellit objectiones primo capite allegatas, declarans videlicet non Hieronymo ipsi fidem præstari, sed auctoritati Ecclesiæ quæ ejus versionem commendat; Augustini et Hieronymi verba tunc citata referri ad Scripturas nondum receptas et ab Ecclesia approbatas; vulgatam translationem latinam non obesse auctoritati et valori editionis LXX Interpretum; sicque « rationum laqueus contritus est et nos liberati sumus (3). »

Alliacenus hoc opusculum ediderat et Philippo de Maizeriis obtulerat quando in manus ei venit tractatus quem ita describit :

« Magnus liber unius doctoris anglicani qui, inter multa utilia, quædam sparsim variis in locis continet quæ prima facie dictum errorem confirmare ac beati Hieronymi translationem infirmare viderentur, quæ hic recolligere et ab eis erroris occasionem excludere utile judicavi. »

Illum doctorem Rogerium Baconem fuisse nullus dubito(4),

(1) *Ibid.*
(2) *Ibid.*
(3) *Ibid.*, in fine.
(4) Id constat ex collatione textuum cum ms. Baconis in Bodleiana Bibl. asservato (Digb. 218) *De linguarum studii necessitate.* — Cf. Æ. Charles,

cui occurrit Petrus noster suo *Apologetico* (1), in quo primum tres adversarii assertiones recitat istas : in textu sacro quamplurima inveniuntur false et male translata quæ Hieronymus non emendavit ; antiquæ Bibliæ quæ jacent in monasteriis nec adhuc glossatæ et tactæ sunt, servant hanc veritatem translationis quam a principio Romana accepit Ecclesia, et jussit per omnes Ecclesias divulgari ; sed hæc in infinitis locis contradicit exemplari parisiensi ; istud exemplar non modò in multis corruptum est, sed etiam, quod Rogerius exemplis demonstrabat :

« Ubi non est corruptum, tantam habet dubitationem quæ merito cadat in omnem sapientem ; et hoc propter contentionem correctorum, quia quisque præsumpsit immutare quod ignorabat, quod non licuit. Unde qui se putaverunt correctores, magis facti sunt corruptores (2). »

Alliacenus respondet :

« Prædictas assertiones quas Doctor iste sparsim et diffuse prosequitur, breviter recitavi, quæ licet aliqua vera continent, tamen moderatione indigent. Ideo circa eas cursorie aliquas propositiones moderativas explicabo. »

Hæc autem sunt ejus desiderata et vota. Expediret exemplaria sacri textus examinari diligenter et corrigi, præcipue in Theologica Facultate, etsi parisiense exemplar non sit ita corruptum ut dicitur (3). Adhibeantur ergo theologi in lingua hebræa et græca eruditissimi, idcirco electi et per Romanum Pontificem approbati. Non obstantibus suis

Roger Bacon, p. 263, et Cornely, *Cursus Scripturæ Sacræ*, t. I, p. 433. — Pluries jam notavimus Alliacenum Baconis opera commemorasse quin nomen ejus allegaret.

(1) Ms. in Bibl. Reg. Bruxellensi, 18978.

(2) *Apologeticus*, Ms. jam cit.

(3) Parisiense illud vel Senonense Correctorium quia valde imperfectum erat, alia ideo, Dominicanum nempe et Sorbonicum accuratius exarata sunt quæ multum inservierunt restitutioni genuinæ Vulgatæ. (Cf. Cornely, *op. cit.*, p. 434.)

erroribus, versionibus authenticis serventur honor et reverentia. Duæ autem præ cæteris maxime sunt venerandæ, una videlicet LXX Interpretum et altera B. Hieronymi. In universa Latinorum Ecclesia Hieronymiana merito principatum obtinuit. Ei non licet contradicere nec eam reprehendere quasi suspectam de aliqua falsitate, quod esset contradicere auctoritati universalis Ecclesiæ :

« Hæc pro defensione translationis eximii doctoris Hieronymi breviter dicta sunt, cujus doctrina illuminari et precibus adjuvari supplex oro (1). »

Hæc quidem magno et forsitan nimio zelo prolata sunt, ea nihilominus non videbuntur extra limites veritatis egressa, dummodo animadvertatur Vulgatam translationem, etiam ubi imperfecta est, ubi ab originalis textus significatione forsitan deflectit, nulla tamen theologica seu doctrinali falsitate laborare. Quando autem Alliacenus fidelitatem veluti litteralem illius translationis proclamare et exaltare videtur, idem tamen ille est qui fatetur exsistere plurimos errores in codicibus Biblicis quibus utitur Ecclesia, quique correctionem a Doctoribus sub auctoritate Summi Pontificis peragendam exspostulat. Eum ergo vix ultra æquitatem judicium tulisse opinemur.

II

Quadruplex est Scripturarum usus apud Alliacenum : *explicatio litteralis* verborum ; *ascetica* simul ac *theologica expositio ; anagogica expositio* vel *devota meditatio ; explanatio mystica* seu potius *allegorica*.

(1) Sess. 4.

Primum adhibet in opere quod inscribitur *Verbum abbreviatum super libro Psalmorum* (1). Censet unicum exstitisse omnium Psalmorum auctorem Davidem, « contra eos qui dixerunt plures fuisse Psalmorum scriptores eo quod nomina eorum in titulis habeantur (2). » Ita deinde Psalterium distribuit :

« De ordine quoque Psalmorum hoc sciendum est quod non sunt eo ordine dispositi quo compositi. Neque tamen sine ratione ita dispositi sunt, quia Esdras propheta qui Psalterium totamque bibliothecam a Babyloniis combustam instinctu Spiritus Sancti reparavit, eo Spiritu revelante, Psalmos ita disposuit, eisdemque titulos apposuit, qui sunt quasi claves Psalmorum. Sicut enim per clavem intratur in domum, ita, per congruas expositiones titulorum, clarescit subjectorum intelligentia Psalmorum. Illud etiam notandum est quod licet liber Psalmorum unus esse dicatur, tamen per tres quinquagenas distinguitur quibus tres status christianæ religionis designantur, quorum primus est in pœnitentia, secundus in justitia, tertius in laude divina... Prima quinquagena statui incipientium, secunda statui proficientium, tertia statui convenit perfectorum (3). »

Hanc divisionem traditioni tam judaicæ quam christianæ, parum cohærere magis notum est quam ut de ea loqui debeam (4). Singulos psalmos considerans, eorum titulos

(1) Apud *Tractatus et Sermones*; et inter *Opuscula spiritualia* (Duaci, apud Marcum Wyon, 1634, curante Leandro a S. Martino), Op. VIII.

(2) *Ibid.* — Cf. Bossuetium, *Dissert. de Psalmis*, XXX; Bacuez et Vigouroux, *Manuel Biblique*, t. II, p. 240. — Ante Alliacenum plures asseruerunt Psalmos omnes fuisse a solo David conscriptos. — Ita Augustinus, *De civit. Dei*, II, 210; — Cassiodorus, *Præf. in Psalmos*, c. 2, II, 3; inter recentiores Bellarminus, *Præf. Explan. in Psalmos*, t. VI (Ven. 1726), Bezange, Goldhagen, Ghesquierus, etc...

(3) *Ibid.* Hæc divisio in Divo Thoma invenitur (1ª 2ᵃ q. XXIV, a. 2. — 2ª 2ᵃ q. CLXXXIII, a. 4), eamque Angelicus a Patribus sumpsit. — Cf. Gregorium, *Moral.*, XXIV, 7, apud Migne, *Patr. lat.*, LXXXVI, col. 302.

(4) Cf. Epiphanii librum *de mensuris et ponderibus*, apud Migne, *Patr. gr.*, XLIII, col. 243; S. Hilarium, *Prol. in libr. Psalmorum*, apud Migne, *Patr. lat.*, IX, col. 231. — Cf. etiam Rosenmüller, *Scholia in Vetus Testam.*, Pars IV, t. I, Proleg. XII.

explanat, quibus nimiam sæpe auctoritatem tribuit (1), vel quorum erroneam interpretationem quandoque subministrat (2); propheticum postea vel moralem sensum indicat hymni sacri, ejusque breve compendium subjungit. Opus nullius fere valoris, nec ad famam auctoris stabiliendam augendamve sufficiens.

Theologicam expositionem prosequitur Alliacenus in tractatu *de Oratione Dominica,* qui sic incipit :

« *Sic ergo orabitis.* (Matth. VI.) Hic docet Christus brevem et debitum modum orandi quo uti debent catholici. Et quia, sicut dicit Glossa, nulla oratio magis specialis est quam illa, quia ex ore Filii qui est veritas processit, ideo de oratione tractaturi, primo tractabimus de oratione dominica in speciali, secundo de oratione aliquas quæstiones solvemus in generali (3). »

Exordio septem tradit causas ob quas, ex sanctorum dictis, Deum vocamus patrem, et sex affert rationes cur oratio illa sit brevissima. Generatim de septem petitionibus loquitur, ac deinde singulas speciatim juxta sensum Doctorum exponit. In altera autem parte *de oratione* universim tractat, *quæ, qualis* et *quanta* esse debeat.

Scripsit etiam Basileæ, mense julii anni 1414, brevissimam expositionem Orationis Dominicæ quam, devote pro pace Ecclesiæ recitari cupiens, Cardinalis Cameracensis quadraginta dierum indulgentia commendavit. Ita exorditur :

« O *Pater,* qui spirituales filios generas per vivificantem caritativi amoris propagationem, utinam mihi misero sic tuæ amorosæ caritatis gemine gratiam infundas, ut *filius* tanti *patris*

(1) Quidam enim tituli diversi leguntur in diversis versionibus, quidam vero ita obscuri sunt ut nulla explanatio certa afferri possit. — Cf. Danko, *Historia revel. div. Veteris Testamenti,* p. 278.

(2) Ita, v. gr., explicat hanc frequenter in psalmis usurpatam formulam : *in finem.* « Pro consummatione accipitur, ait Alliacenus, et significat Christum qui est consummatio fidelium in præsenti ad justitiam et in futuro ad gloriam (Psal. III). »

(3) *Tractatus et Sermones, Opuscula spiritualia,* opusc. V.

efficiar ! O *Noster*, qui te nobis dare non cessas per largissimam tuæ bonitatis diffusionem, utinam per intimam ardentissimi amoris adhæsionem vere tuus dici merear ! O *Qui es in cœlis* (1)... »

Parem indulgentiam die XII[a] ejusdem mensis concessit pro recitatione devotæ meditationis quam tunc temporis in *Ave Maria* lucubravit :

« Cogitanti mihi, sanctissima virgo mater Maria... cogitanti mihi peccatori, tuo tamen licet indigno servitori et desideranti animo cupienti ad laudem tuam aliquid dicere, stupet mens ad hoc invalida, nec habet indigna lingua mea tuis dignissimis auribus verba digna. Ideo merito non mea, sed angelica verba tibi profero, dicens : *Ave Maria, gratia plena*... Ave, o virgo salutifera, quæ Evæ maledictionem in benedictionem transferens, sola esse meruisti sine væ. Meruisti quidem, non tua justitia sed divina gratia, ut sola esses sine væ culpæ venialis et mortalis, et, ut pie creditur, etiam originalis (2), ut insuper sola esses sine væ miseriæ finalis, hoc est pœnæ purgatoriæ vel infernalis... »

Ejusdem generis sunt meditationes super tribus Evangelii canticis, *Beatæ Mariæ* scilicet, *Zachariæ* et *Simeonis prophetæ*. Cur ista potius cantica elegerit, explicat in prologo :

« Cum præ cæteris omnibus canticis, quæ in Sacra Scriptura repperiuntur, hæc tria in tanta veneratione habeantur ut ipsa jam celebri et assidua immo quotidiana recitatione, non sine magna et rationabili causa, sancta per orbem frequentet Ecclesia, quis ignoret in eis maxima spiritualis intelligentiæ mysteria contineri (3) ? »

Cantici *Magnificat* occasionem et causam evolvit ; verba

(1) *Ibid., Tractatus et Sermones, Opuscula spiritualia*, opusc. VI.

(2) Exprimit Alliacenus perpetuam Parisiensis Universitatis doctrinam de Immaculata Virginis Conceptione quam antea jam apud Summum Pontificem fortiter defenderat contra Joannem de Montesono. — Cf. supra, pp. 29 et seqq.

(3) *Tractatus et Sermones; Opuscula spiritualia*, opusc. XIII.

venerabilis Hugonis Victorini quem imitari studet allegat, et sic ingeniose exclamat :

« O utinam contingat nobis eorum arcana quærentibus illo Spiritu ducente incedere, quo repleta Maria Verbum Patris concipere et Patrem Verbi meruit verbo exultationis magnificare (1). »

Singulas virginalis hymni laudes quasi contorquet et inde manantem succum spiritualem exprimit. Ut brevitati consulam, id referam tantummodo quod ab ipso Alcorano depromit :

« In Alcorano perfidi Mahometi legitur : Dixerunt Angeli : O Maria, Deus annuntiat tibi Verbum ex ipso; nomen ejus Jesus filius Mariæ. Et iterum alibi in eodem libro legitur : Dixerunt Angeli : O Maria, Deus utique elegit te et purificavit te, et elegit te claram super mulieres sæculorum. Multa quoque alia in laudem virginis et suæ prolis in eodem scribuntur libro (2). »

Cætera fere omnia ex libro Hugonis (3), præter hanc minime solidam interpretationem penultimi versus :

« O speciale beneficium, quia suscepit populus Israel puerum Jesum, cum de illo populo, id est de virgine Judæa carnem puerilem accepit divinum Verbum, ideo vocat eum puerum suum. Sic ergo suscipe, o Israel, puerum istum, alioquin non es vere Israel, nisi fide credas in Jesum (4). »

Occasione cantici Simeonis qui fuit « vir timoratus », exponit, Hugonem (5) iterum sequens, quatuor timoris

(1) *Ibid.*

(2) *Ibid.*

(3) *In Cant. B. Mariæ.* — Apud Migne, *Patr. lat.*, CLXXV, col. 424.

(4) *In Cant. B. Mariæ.* — Cf. tractatum Gersonii super *Magnificat* (t. IV, col. 230). — Cf. etiam carmen ejusdem super *Magnificat.* (*Ibid.*, col. 513.)

(5) *Explanatio in Cant. B. Mariæ*; apud Migne, *Patr. lat.*, CLXXV, col. 428. — Cf. D. Thomam, 2ª 2ª, q. XIX, a. 2; *In III Sent.*, Dist. 34, a. 1, q. 2; *De Virt.*, q. II, 10, ad 13um, etc.

species, videlicet mundanam et servilem utramque malam, initialem et finalem (1) utramque optimam.

« Initialis enim timor est pro evitanda pœna cum perverso opere etiam pravas cogitationes resecari. Finalis timor est bono firmiter adhærere, quia illud nolis amittere... De malo timore poeta egregius ait :

Oderunt peccare mali formidine pœnæ;

De bono vero :

Oderunt peccare boni virtutis amore (2).

Non ergo in malo, sed in bono timore Simeon Domino serviens, se servum Domini nominabat dicens : *Nunc dimittis servum tuum, Domine.* »

Laudatur deinde Simeon uti *justus, timoratus, exspectans redemptionem Israel* per fidem, spem et charitatem; etenim *Spiritus Sanctus erat in illo* ut hospes, doctor et ductor :

« Igitur senex iste Simeon ad suscipiendum puerum Jesum convenienter dispositus ostenditur... Et tripliciter portasse ostenditur, in *præcordiis* ipsum toto corde diligendo, in *brachiis* ipsi per bonam operationem serviendo, in *labiis* ipsius nomen et laudem annuntiando (3). »

Simile etiam opusculum conscripserat Alliacenus in psalmum *In te, Domine, speravi* (4). Sic incipit pia paraphrasis :

« Terret me, Domine Deus meus, terret me vita mea, terret et mors mea. Terret vita mea quia infructuosa et sterilis; terret mors quia dolorosa et horribilis. Terret præsens vita quia vacua bonis; terret mors futura quia plena malis. Heu me miserum! etc. »

(1) Ita Alliacenus. Sed apud Hugonem et Thomam legitur « *filialis* » et quidem rectius.

(2) Horatius, *Epist XVI*, ad Quinctium. Primus versus non ita in Flacco invenitur, sed sic :

Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.

(3) *Ibid.*

(4) Ps. XXX. — Ibid., *Tractatus et Sermones; Opuscula spiritualia.*

Secundam vero hujus psalmi partem, rogante Raymundo Petrocoricensi episcopo (1), moraliter etiam exposuit, et eodem fere tempore psalmum *Judica me* (2).

Aggredimur nunc opus, cujus auctorem Alliacenum negarunt nonnulli, quodque inter genuina Gersonii opera reponitur in editionibus Richerii (3) et Ellies-Dupin (4). At styli modus, et verba sensaque Petro propria (5) eum scriptorem testantur, sicut et universæ editiones tum latinæ tum præsertim gallica (6) quibus consonant catalogi omnes ubi notatur : *Tractatus seu meditatio devota super septem psalmos pœnitentiales*, vel etiam *de septem gradibus scalæ a Domino Petro de Alliaco*. Incipit hoc modo :

« Vera pœnitentia velut scala quædam est, qua homo peccator qui secundum evangelicam parabolam *descendit de Jerusalem in Jericho* (7), rursus in Jerusalem, hoc est in pacis visionem, ascendit : hujus vero scalæ septem sunt gradus, quibus correspondent psalmi septem qui dicuntur pœnitentiales. »

Alliacenus, jam senex factus, ante Deum gemens adstat; suspiria suspiriis Regis Prophetæ commiscet; Jesum medicum implorat, judicem timet, consolatorem quærit; medi-

(1) Episcopale solium tenuit Raymundus VII ab anno 1414 ad 1428 (*Gallia Christiana*, t. II, col. 1477); tempus quo lucubratum fuit illud opusculum ita determinatur.

(2) *Tractatus et Sermones; Opuscula spiritualia.*

(3) Anni 1605, t. III, col. 1156.

(4) Anni 1705, t. IV, col. 1; et t. I, *Gersoniana*, p. LVI.

(5) Cf. meditationem super secundo psalmo ubi frivolam astrologorum superstitionem corripit (in opp. Gersonii, t. IV, col. 9) et orationem finalem ubi septenarium psalmorum numerum cum aliis septenariis numeris jam in fine orationis dominicæ indicatis denuo componit (*Ibid.*, col. 26). — Cf. *Tractatus et Sermones*, ubi idem tractatus sub Alliaceni nomine reperitur.

(6) *L'Exposicion des 7 pseaumes en françois*, Ant. Belard, 1542. Est translatio quædam libera « declarée au large en françois, soubs la correction de plusieurs grands clercs.... »

(7) Luc, X, 30. — Cf. hac de re Gregorium, *Patr. lat.*, LXXXIX, col. 547, et Alcuinum, *ibid.*, C, col. 569.

tationes gemitibus jungit, animam vere pœnitentem demonstrat. Non jam ad erudiendum scribit, sed ad sanctitatem, contritionem et vitæ castimoniam cunctis inspirandam. Ideo pluries edita fuerunt hæc atque alia ejusdem generis opuscula et ab anno 1417 ad nos usque, magnum utique fructum pietatis tulerunt.

Expositio super *Cantica Canticorum* mystica est seu potius allegorica, ac si Canticum nulla facta historica contineat, sed veritates tantum morales sub allegorico velamine et metaphoricis figuris (1). Bernardum ducem fere in omnibus sequitur (2), et quum deficit ille, vestigia premit Gilberti abbatis de Hoylandia, qui Bernardi opus perfecit et commentariis ornavit. Non miram tamen Bernardi facundiam, non devotum dicendi morem, non cogitationes altissimas melliflui Doctoris assequitur Alliacenus ; sed jejuna oratione, absque ullo unctionis pietatisve sensu utitur, magni, heu ! nominis umbra.

Personæ proloquentes sunt :

« Sponsus, id est Christus ; sponsa, id est Ecclesia vel quælibet anima sancta, vel specialiter Virgo beata de qua totus liber iste pene legitur et cantatur ; sodales sponsi vel amici, id est angeli et omnes qui in virum perfectum veniunt ; adolescentulæ, id est incipientes et adhuc teneri in fide (3). »

Christum in divino Incarnationis mysterio, atque in diversis vitæ et passionis discriminibus considerat, et relationibus quæ ipsum inter et Ecclesiam inveniuntur diligenter studet. Sponsam hanc admiratur quomodo se habeat, malos

(1) « Finis hujus libri est dilectio, non quidem carnalis, sed spiritualis sponsi et sponsæ, id est Christi et Ecclesiæ. » *Prologus*, apud *Tractatus et Sermones; Opuscula spiritualia*, opusc. XVI. — Cf. S. Bernardum, *Serm. I*, n. 8. — Cf. hac de re Bacuez et Vigouroux, *Manuel biblique*, t. II, p. 423.

(2) Cf. *Super Cantica*, S. IX, XV, XXV, XXVIII, etc.

(3) *Expositio super Cantica Canticorum*. Prologus. — Cf. R. D. Freppel, *Origène*, t. II, 27me leçon, p. 177.

simul ac bonos materno gremio continens, et nullum pulchritudinis suæ detrimentum patiens; quomodo gloriosa sustineat certamina adversus falsos fratres, hæreticos et schismaticos, et quomodo inimicos omnes ad se reducere conetur, sub auspiciis Beatæ Dei Genitricis Mariæ (1).

Varias dramatis sacri partes apprime distinguit; sensus diligenter enodat, ad glossam frequenter recurrens. Textum sæpe applicat diversis clericorum functionibus, prædicatorum nempe (2), prælatorum (3) et doctorum (4), variisque vitæ activæ et contemplativæ officiis (5). Sed unitatem significationis et interpretationis non satis curat. Frequentius subtilitates exquirit, resque sic urget ut minutissima quæque in partes distrahat. Sic ea verba : « *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie,* » explicat (6) de Ecclesia Gentium Ecclesiam Judæorum alloquente; unde declarat triplex esse cænaculum vel cubiculum, matutinum videlicet, vespertinum et meridianum : matutinum est exsistentia prioris Synagogæ, vespertinum est salus futura ejus reliquiarum (7);

(1) Ita jam apud Græcos Michael Cantacuzena (apud Migne, *Patr. gr.*, CLII, col. 997), et apud Latinos duodecimi sæculi Rupertus Tuitiensis (apud Migne, *Patr. lat.*, t. CLXVIII, col. 986), Honorius Augustodunensis (*Ibid.*, CLXVIII), Richardus a Sancto Victore (CXCVI, col. 404), Philippus, abbas Bonæ Spei in diœcesi Cameracensi (CCIII, col. 186), Alanus ab Insulis (CXC, coll. 53 et 109), Dionysius Carthusianus (Edit. Colon. 1533, t. IV). — Cf. *Le Cantique des Cantiques*, par le Hir et Grandvaux (1883), p. 26. — Eumdem sensum exponit Gersonius in secundo tractatu super *Magnificat*, laudatque « volumen egregium quod scripsit præceptor noster P. Cardinalis Cameracensis. » t. IV, p. 255. — Cf. c. III, 3ª et 5ª pars, c. IV, 2ª pars et passim.

(2) Cf. supra, p. 280.

(3) C. II, 5ª pars; — c. IV, 1ª pars; — c. V, 5ª pars; — c. VIII, 6ª pars.

(4) C. I, 5ª et 7ª pars; — c. II, 5ª et 7ª pars; — c. IV, 6ª pars; — c. V, 2ª et 5ª pars; — c. VI, 5ª pars; — c. VII, 3ª et 5ª pars; — c. VIII, 4ª et 6ª pars.

(5) C. I, II, V et VI. — Item Gilbertus de Hoylandia, in opp. S. Bernardi, *Serm. XLII.*

(6) C. I, 4ª pars.

(7) *Ibid.*

meridianum vero est Ecclesia catholica post Christi Ascensionem. Sed statim ad aliam transit significationem :

« *Indica mihi* potest esse vox sponsæ post sudores vitæ activæ, refectionem et quietem vitæ contemplativæ optantis. Est autem contemplationis quasi hora matutina cogitatio, quasi hora tertia meditatio, quasi meridies visio quam optat, quasi hora vespertina cognitio per creaturas (1)..... »

Eodem inconstanti modo loquitur capite V :

« *Exspoliavi me tunica mea.* Hæc est vox sponsæ obedientiam ostendentis, sed tamen timorem et tremorem suum declarantis. Unde quia sponsus sponsam suam excitaverat ut de dormitione contemplationis surgeret ad sollicitudinem regendarum animarum, respondet dicens : *Exspoliavi...* unde tunica ista est temporalium cura, vel vita activa, vel peccatorum macula. Dicit ergo Ecclesia in contemplatione existens : *Exspoliavi*, id est omnibus prædictis renuntiavi, *quomodo induar ea*, id est, quomodo iterum ad prædicta revertar (2)?... »

Et postea, dum caput VI interpretatur :

« *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?* » Ubi notandum quod Ecclesia comparatur *auroræ*, *lunæ* et *soli*, *auroræ* in pœnitentibus et contritis, *lunæ* in sæcularibus et activis, *soli* in perfectioribus et contemplativis. Vel auroræ propter lumen scientiæ, lunæ propter splendorem gratiæ, soli propter lucem gloriæ. Vel aurora in patriarchis, luna in philosophis, sol in apostolis. Item Beata Virgo fuit aurora in Annuntiatione, luna in Conceptione, sol in Assumptione (3)... »

Hanc tamen sibi laudem promeretur quod sensus et explanationes priorum exegetarum, uti apis argumentosa, diligenter colligit et breviter exponit, non minimæ sui et aliorum utilitati inserviens.

(1) *Ibid.* Eamdem doctrinam propinat Gersonius, *Sympsalma super Cant. Cant.*, t. IV, col. 45.

(2) C. V, 4ª pars. — Cf. Richardum a Sancto Victore, *Explicatio in Cant. Cant.*, apud Migne, CXCVI, col. 503.

(3) C. VI, 4ª pars.

Divum Thomam non raro prosequitur, eum nempe in sua senectute imitatus qui, dum a præsenti vita discederet, Salomonis seu potius Amoris divini carmen aliquando exposuerat. In quo Alliacenum ipsum imitaturus erat postea Gersonius qui tot sua dicta, tot sua scripta, jam morti proximus, sanctificavit et clausit « frequentando nobis dulcia cantica Dramatis (1). »

(1) *Lit. Rom.*, in festis B. M. V., 1° noct.

CAPUT TERTIUM DECIMUM

Alliacenus hagiographus, mysticus, poeta

I

Opusculum hagiographicum Alliaceni exstat istud, anno 1408 conscriptum : *Vita beatissimi Patris Domini Petri Cœlestini quinti, Pontificis Maximi, ordinis Cœlestinorum institutoris eximii.* Amicitiæ causas habebat Cameracensis Episcopus cum Fratribus Cœlestinis monasterii Parisiensis a Carolo V rege fundati. Illic religionem professus erat Philippus a Maizeriis, Petri nostri amicissimus. Cœlestini igitur Cameracensem rogaverunt ut eorum Fundatoris vitam describeret ; utque pleniora de illius adolescentia et juventute documenta haberet, libellum ei tradiderunt propria Cœlestini manu conscriptum, atque in ejus cella, dum Papa electus est, repertum (1). Prologus sic habet :

« Caritativis quorumdam venerabilium Patrum vestri sacri

(1) Cf. Bolland., t. IV mensis maii, p. 421 ; — Laur. Surium, *Historiæ seu vitæ sanctorum,* t. V, p. 577 ; — Dion. Fabrum priorem Heverleensis monas-

Ordinis, Fratres carissimi, precibus inclinatus, timens licet et trepidus, scribere præsumo. Quis de quo? Sane Petrus de Petro, Episcopus de Episcopo; sed parvus de maximo, infimus de summo, scelestus quoque ac peccator indignissimus de cœlesti ac dignissimo vestri sancti gregis pastore primo atque præcipuo, immo totius olim christianæ Ecclesiæ sanctissimo Præsule Cœlestino (1). »

Historia vero ita exorditur :

« Fuit vir eximia virtute laudabilis, re ac nomine Petrus, in petra qui Christus est firmiter stabilitus stabiliterque firmatus. Qui super hujus solidæ petræ indissolubili fundamento a puerilibus initiis per incrementa virtutum proficiens, usque in virum perfectum meruit pervenire. »

Postquam narravit quomodo Cœlestinus ab onere simul ac honore pontificali decesserit, in hæc verba prorumpit Alliacenus :

« Erubescant itaque qui huic humilitati superbe detrahentes, temerarie dicere ausi sunt, hoc non ex virtute, sed ex vilitate animi processisse (2)... Nam, ut quidam eleganter inquit (3), reliquerunt alii naviculas ac retia, alii possessiunculas, alii telonium, alii etiam regna, vel regnorum spem, secutique Christum facti sunt Apostoli atque amici Dei. Papatum vero quo nihil est altius, rem tam exoptatam tamque mirabilem... quis ulla ætate... contempsit ut Cœlestinus iste?... Multo plus commendationis et gloriæ rejecta quam recepta dignitas attulit;

terii, prope Lovanium, deinde Regii Parisiensis, qui vitam a Petro scriptam rursum edidit, sed a se, uti prædicat, locupletatam et limatiori stylo donatam (1538). S. Cœlestini vita primum Parisiis edita fuerat anno 1535, apud Franciscum Stephanum; cf. Bolland., *loc. cit.*, p. 485. — Anno 1635, Benedictus Gononus Alliacenum iterum secutus est.

(1) Cf. ms. Rubeæ-Vallis apud Bolland., *loc. cit.*, p. 486. — Apud Laur. Surium non legitur iste prologus.

(2) His verbis Alliacenus evidenter Aligherium corripit scribentem :

..... E vidi l'ombra di colui
Che fece per viltate il gran rifiuto.
(*Inf.*, Cant. III, 58.)

Commentatores tamen aliqui de Diocletiano, aut de Esau, aut de quodam Florentino hos versus intelligunt.

(3) Petrarcha, *De vita solitaria*, l. II, 17.

et ei ipsa abjectio honoris quam acceptio honorabilior fuit (1). Atque ideo felicior quia non solum temporali sed nec æterna mercede carere potuit. Heu! Heu! Utinam hoc honorandæ humilitatis exemplum hi imitari meruissent qui in hoc nostro tam misero tamque luctuoso tempore, superbi honoris culmen insectare nisi sunt : non jam fere triginta annis Ecclesia Christi eorum horrendo dissidio ac nefando schismate lacerata maneret(2)... Ut a quodam egregie dictum est: Ejus ascensus, quam mœstus, quamque contra animum suum fuerit, descensus lætus et spontaneus declaravit (3). »

Pulchre quidem et pie dictum; sed quod sequitur, inhoneste et inique :

« Ille Bonifacius qui Cœlestino in Sede Apostolica successerat, quam non mœstus, ut ipse, sed lætus utpote ambitiosus ascenderat, et quem vir sanctus sibi successurum prædixerat, cum licentiam redeundi ad cellam suam ab eo pedibus ejus prostratus reverenter et humiliter postulasset, terribilibus ei verbis negavit. Timebat enim ne forte vir sanctus a devoto sibi populo tanquam Summus Pontifex coleretur ; maximeque in dubium vertebatur utrum ipse Papatui resignare potuerit (4). »

Clandestine igitur aufugit Cœlestinus :

« Audiens Bonifacius ille, tumidus et timore adeptæ gloriæ turgidus, audiens, inquam, virum Dei absque sua licentia discessisse, timuit eum non ad cellam suam sed ad alium migrasse locum, ad Papatum cui renuntiaverat resumendum. »

Hinc Cœlestinum coegit Bonifacius Romam redire ; cui occurrit innumerabilis multitudo.

« Obduratus cæca ambitione animus difficile flectitur... Ipse (Bonifacius) non piæ charitatis sed propriæ crudelitatis usus consilio, deliberavit in arcto eum carcere detinere. Missus est

(1) « Majus miraculum, et majus veriusque humilitatis exemplum quam aliquod quod fuit. » Alvarus Pelagius, *De planctu Ecclesiæ*, II.

(2) Apud Surium, nis 28 et 29; apud Bolland., p. 496.

(3) Petrarcha, *loc. cit.* — Cf. Bolland., p. 428.

(4) Apud Surium, n. 30; apud Bolland., pp. 496 et 524. — Cf. Bullam *de Renuntiatione*, Extrav., l. VI.

itaque ad castrum Fumonis et fortissima turri reclusus (1). . Sed, proh pudor! sic Bonifacius ille, *alter Herodes*, Petrum servabat in carcere : sic injuste decernitur vir innocens in carcerem, et talem carcere custodiri qui nuper erat et pastor totius ovilis christiani. O vere horrenda sententia, *immo vere Herodiana sævitia!* Qua igitur procella verborum tam impium nefas obrui meretur? Certe ad hoc monstruosum facinus invalida nostra deficit lingua, ad quod etiam Ciceronis eloquentia non sufficeret (2). »

Quam falso ea scripta sint testatur verax historia (3). Demonstrat enim Bonifacium jure timuisse ne Ecclesiæ inimici simplicitate venerabilis Cœlestini abuterentur, uti plures facere tentarunt (4). Timuit etiam jure Ghibellini et Columnenses, novo Pontificatui maxime infensi, Cœlestinum aperta vi rapientes et invitum in Sedem Apostolicam restituentes, schisma pessimum excitarent. His causis gravibusque curis permotus, antecessorem in honesta (5) etsi severa custodia detinuit. Alliacenus autem, memoria contentionum Philippi Pulchri et Bonifacii VIII irritatus, intolerabiles prorsus calumnias in hunc invexit (6); quem cæteroquin

(1) Apud Surium, n° 35; apud Bolland., p. 497. Castrum Fumonis vulgo Fumone, est in Latio prope Alatrium.

(2) *Ibid.*

(3) Cf. Ptolomæum Lucensem, apud Muratori, *Scriptores rerum italicarum*, t. XI, pp. 1245 et seqq., l. X et l. XXIV, c. 35; Jacob. Cardin., *De canonizatione Cœlestini*, l. I, capp. 4 et 5; Petrarcham, *De vita solitaria*, loc. cit.; Joannem Andream, *Lectura in regulas libri IV Decretalium;* Baronium, an. 1295; Fabricium, *Bibl. medii ævi*, t. I, p. 595; et inter recentiores L. Tosti, monachum Cassinensem, *Vita di Bonifacio ottavo.*

(4) Cf. Lelium Marinum, apud Bolland., p. 527. Illa tentamina libenter confitetur ipse Alliacenus, apud Surium, n° 33 et apud Bolland., p. 497.

(5) Apud Bolland., pp. 420 et 427.

(6) Forsan propter hanc causam Du Verdier (*Bibl. fr.*, Suppl., edit. 1772, p. 42), et R. P. Possevinus (*Apparatus sacer*, t. III, p. 32) duos fuisse Alliacenos reputarunt : alterum Cameracensem Cardinalem, alterum vero olim Navarræ Collegii Cancellarium, et auctorem vitæ Petri Cœlestini.

historici plures viri ex ordine Cœlestinorum, lecta illius narratione, sequi noluerunt (1).

II

Speculum considerationis (2) post annum 1408 scripsit Alliacenus, nam in eo vitam B. Petri Cœlestini commemorat (3). Didacticum asceticæ totius doctrinæ compendium est, non nova continens et antiqua vix nove referens. Ejus scôpus ita declaratur ab auctore ipso :

« Hoc compendium ex variis et hinc inde dispersis sapientium dictis atque sententiis collegimus; quod si quis videre dignatus fuerit, eum hortamur ut ipsum non brevi aut levi discursione, sed longa et gravi discussione perlegat, legendo intelligat, intelligendo sapiat, sapiendo in Dei cognitionem dirigat, et de cognitione ad dilectionem, de dilectione ad fervorem, de fervore ad suavitatem transeat, ut sic tandem de præsenti suavitate ad futuram felicitatem perveniat, eo duce qui est via, veritas et vita, via dirigens, veritas erudiens, vita reficiens (4). »

Divisio operis sic traditur :

« Imprimis considerate principaliter ad tria ad quæ omnis humanæ vitæ tendere debet intentio; hoc est ad vitiorum purgationem, ad virtutum plantationem et per hæc ad præmiorum qualemcumque prægustationem venisse (5). »

(1) Cf. Maphæum Vigium Laudensem, qui, anno 1445, vitam S. P. Cœlestini lucubravit, et Lelium Marinum, apud Bolland., pp. 500 et seqq.

(2) Cf. *Tractatus et Sermones* (edit. 1483 et 1490); et *Opuscula spiritualia*, Duaci, in-18, 1634, Marc Wyon.

(3) « Sicut de sanctissimo confessore Petro quondam Papa Cœlestino in libro quem de ejus vita scripsimus aliqualiter tetigisse meminimus. » (*Speculum Consid.*, p. III, c. XX.)

(4) Pars III, c. XXI. — Cf. etiam c. XX.

(5) Pars I, c. I.

Hæc distributio ab illa quam post Gregorium (1) profert Angelicus Doctor (2), quæque differentiam statuum attendit secundum incipientes, proficientes et perfectos, non multum distare videtur. Sed maxime convenit cum partitione vitæ spiritualis in viam purgativam, illuminativam et unitivam, quam plurimi theologiæ mysticæ doctores adoptarunt (3). Prima parte hominis originem vilem, vitam labilem et mortem necessariam statuit (4). Secunda virtutes theologicas et morales commendat (5), eas disponendo juxta traditionem antiquioris philosophiæ (6). Tertia pars ea complectitur quæ contemplationem præparant in incipientibus, adjuvant in proficientibus et consummant in perfectis (7). Ea describit omnia *quæ nos sumus* vel *quæ in nobis* sunt, mirabilem humani corporis compositionem, et mirabiliorem animæ conditionem; quid nempe fuerit homo, quid sit, quid esse debuerit, quid esse poterit; deinde quæ *circa nos* sunt, id est proximos, quæ *contra nos*, id est adversos, quæ *propter nos*, id est Dei auxilia et beneficia, et tandem quæ *supra nos*, id est æternæ patriæ mercedem (8). Richardi

(1) *Mor.*, XXIV, 38, apud Migne, *Patr. lat.*, LXXVI, col. 302.

(2) 2ª 2æ, q. CLXXXIII, a. 4.

(3) Illa vitæ spiritualis distinctio jam in Areopagita invenitur, *De cœlesti hierarchia*, X, apud Migne, *Patr. gr.*, III, col. 275; *De eccles. hier.*, V, *ibid.*, col. 499, et IV, col. 90. — Eum secuti sunt mystici fere omnes contra Michaelem de Molinos qui hanc propositionem proferre ausus est: « Tres illæ viæ, purgativa, illuminativa et unitiva, est absurdum maximum quod dictum fuerit in mystica, cum non sit nisi unica via, scilicet via interna. » Prop. 26. — Cf. Schramm, *Theol. myst.*, t. I, p. 59; Honorat. a S. Maria, *Tradition des Pères et des auteurs....* P. I., Dist. I, a. 2.

(4) P. I, c. VI.

(5) P. II, c. II et III.

(6) *Ibid.*, c. IV et seqq. — Cf. Aristot., *Eth.* V, c. 7; Macrobium, *In somnium Scipionis*, l. I, c. 8; Ciceronem, *De officiis*, lib. IV, 16 et seqq. — Cf. etiam D. Thomam, 1ª 2æ, q. LXII, a. 2.

(7) P. III, c. III, IV et V.

(8) *Ibid.*, c. VI et seqq. — Item in *Expositione supra Cant. Cant.*, II, 3ª pars.

a Sancto Victore doctrinam ulterius in compendium redigit (1), et ejus sententias de contemplatione renovat. Beatarum animarum gloriam, angelicorum spirituum excellentiam, divinæ perfectionis supereminentiam seorsim exponit (2). Non examinat tantum tria hæc : cogitationem, meditationem et contemplationem (3); sed altius ascendens, de sex generibus contemplationis (4), de triplici animæ cœlo, de sex symbolicis alis (5), apte simul ac subtiliter disserit. Modos, qualitates et gradus hujus orationis indicat, atque media eam acquirendi et conservandi practica enumerat (6).

In unaquaque parte comparationem instituit Cameracensis episcopus inter claustralem solitudinem et pastoralem sollicitudinem; longiusque ostensis prælaturæ periculis, monasticam vitam ei anteferendam pronuntiat. Utraque tamen bona sua magna habet :

« Summopere cavendum est ne religiosus prælationis sollicitudinem velut infructuosam despiciat, vel prælatus religionis solitudinem velut inutilem contemnat (7). »

Duodecim prærogativas assignat vitæ contemplativæ supra activam (8), eamque theoriam confirmat præclara Rachelis cum Lia comparatione quæ jam invenitur in Gre-

(1) Cf. Richardi opera et præsertim libros qui inscribuntur *Benjamin minor* et *Benjamin major*, apud Migne, *Patr. lat.*, CXCVI, coll. 1 et 3.

(2) Pars III, c. XI et seqq.

(3) *Ibid.*, c. XV : — Cf. *Compendium contemplationis*, tr. I, c. V ; — Cf. etiam Richardum a Sancto Victore, *Benjamin major*, l. I, c. II, apud Migne, *loc. cit.*, coll. 66 et seqq.

(4) *Ibid.*, c. XVI et seqq. Item *Compendium contemplationis*, I, c. VIII; Cf. Richardum, *loc. cit.*, c. VI et seqq.; Gersonium, *De monte contemplationis*, c. XXXII, t. III, col. 566.

(5) *Ibid.* Hanc figuram usurpaverat, sed alio modo exposuerat Alanus Insulensis, *de sex alis Cherubim*, apud Migne, *Patr. lat.*, CCX, col. 265.

(6) *Ibid.*, c. XVIII et seqq. — Cf. Richardum, *loc. cit.*, l. V.

(7) *Ibid.*, p. II, c. I.

(8) *Ibid.*, p. III, c. II. (Item Gersonius, *De monte contemplationis*, c. XXIX, t. III, col. 563.)

gorio (1) et Richardo (2), pariter ac notissimo Marthæ et Mariæ exemplo (3). Ambæ autem conseri optime possunt :

« Prælatus debet se prius in campo actionis exercere, deinde ad montem contemplationis ascendere, sicut Moyses fecisse scribitur. Sic enim utrique vitæ debet intendere ut quandoque cum Martha per activam in varietate curarum, *quasi a se recedens*, circa proximum sollicitus laboret, quandoque vero cum Maria per contemplativam in unitate cogitationum, *quasi ad se rediens*, erga Deum solitarius vacet (4). »

Compendium contemplationis, præcedenti opusculo amplius, tribus partibus constat. Prima est ad « doctrinalem introductionem *incipientium* », quibus præambulas ad contemplationem cognitiones subministrat. Secunda ad « exemplarem manuductionem *proficientium* » spectat, aliqua præbens figuralia exempla ad contemplationem acquirendam utilia. Tertia « ad experimentalem eruditionem *perfectorum* » ordinatur, de spiritualibus sensibus ad contemplationem perficiendam tractans.

Prima nihil aliud est quam analysis doctrinæ Sancti

(1) *Moral.*, VI, apud Migne, *Patr. lat.*, LXXV, col. 764; *Super Ezechielem*, l. I, Hom. IV, 7, *Patr. lat.*, LXXVI, col. 809; *Ibid.*, l. II, Hom. II, col. 953. — Cf. etiam Augustinum, *De consensu Evangelistarum*, l. I, cap. V, apud Migne, *ibid.*, XXXIV, col. 1046.

(2) *Benjamin minor*, c. III. — Cf. etiam de his omnibus opusculum sequens Alliaceni *Compendium contemplationis*, Tract. I, c. I et seqq.; — Gersonium, *De monte contemplationis*, c. XVII, t. III, col. 555.

Vitam signatis utramque
Contemplativam Rachel, activam, tu, Lia, signas.

(*Josephina*, poema a Gersonio exaratum, in opp. Gersonii, t. IV, col. 763.)

(3) *Ibid.*, c. II. — Cf. *Comp. contempl.*, tr. I, c. II. — Ita fere Augustinus, Sermo CIV, apud Migne, *Patr. lat.*, XXXVIII, col. 618; et Sermo CCLVI, *op. cit.*, col. 1188. — Gregorius, *Mor.*, VI, 37; apud Migne, *op. cit.*, LXXV, col. 764. — D. Thomas, 2ª 2æ, q. CLXXIX, a. 2. — Item Nic. de Clamengiis, Epist. CXIV et CXXIV (edit. Lydii), pp. 316 et 327.

(4) *Ibid.* — Cf. idem *Comp.*, c. III, et S. Gregorium, *Super Ezechielem*, Hom. III, apud Migne, LXXVI. coll. 806 et seqq.; *Pastorale* II, I; Ibid., LXXVII, coll. 26 et seqq. — Cf. D. Thomam, 2ª 2æ, q. CLXXXII, a. 1 ad 1um; *In Sent. III*, Dist. XXXV, q. I, a. 3; *De Virt.*, q. II, a. 11 ad 6um.

Thomæ *de vitæ activæ et contemplativæ distinctione* (1), et sic concluditur :

« His itaque præmissis quæ ad *speculativam* contemplationis cognoscendæ pertinet, ad *practicam* contemplationis acquirendæ procedamus (2). »

Secunda pars specialem titulum habet : *de spirituali genealogia Jacob,* et incipit eo modo :

« Vitæ activæ et contemplativæ mutuam habitudinem atque ordinem generationis virtutum pertinentium ad utramque, nullæ Veteris Testamenti figuræ aptius significare aut congruentius repræsentare videntur quam illæ quæ in Genesi de duabus uxoribus Jacob et earum generatione leguntur, ut bene merito de earum prole mystice intellecta propheta dixisse creditur : *Hæc est generatio quærentium Deum, quærentium faciem Dei Jacob* (3), quærentium scilicet non gressibus pedum, sed gradibus virtutum (4). »

In hac expositione D. Thomam deserit ut Richardi vestigiis inhæreat (5), filios Jacob singillatim considerans diversaque describens eorum officia quæ ad contemplationem in Benjamin complendam præparant (6).

« Mens diu exercitata ad plenam morum discretionem perducitur et quasi de nato Joseph jure lætatur... Joseph de Rachele, quia discretio de ratione (7)... Per Benjamin autem

(1) 2ª 2ᵃᵉ, p. CLXXIX et seqq.

(2) *Compendium contemplationis,* apud *Tractatus et Sermones.*

(3) Ps. XXIII, 6.

(4) *Comp. contempl.*, tr. II, Prologus.

(5) Citat librum Richardi *de duodecim patriarchis*. Nostro quidem judicio est *Benjamin minor*, apud Migne, CXCVI; — Cf. hac de re R. D. Hugonin, *Notice sur Richard de Saint-Victor,* ibid. XVIII.

(6) Cf. Richardum, c. XIV ad XLVI.

(7) *Compendium contemplationis,* c. X; cf. Richardum, c. LXVII. — Cf. etiam hos versus :

Huicque Jacob tot sunt virtutes quot patriarchæ;
Extremi tu, chare Joseph, tu Benjamin infans!
In primo crescens discretio significatur,
Accusans alias virtutes ut moderentur.

(*Josephina,* in opp. Gersonii, t. IV, col. 762.)

intelligimus gratiam contemplationis (1)... Benjamin nascitur et Rachel moritur, quia cum mens supra semetipsam rapitur, humanam rationem supergreditur, et ad id quod supra se est elevata et in extasim rapta, cum in divinitatis lumine conspicit, humana ratio succumbit. Quid est enim Rachelis interitus, nisi rationis defectus (2)? »

Commentatur deinde hunc versum Psalmistæ : *Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu* (3) et per mortem Rachelis sicut per excessum Benjamin diversa contemplationis genera designat. Ita concludit :

« Hæc ergo ex prælibato libro Richardi breviter collecta sunt, ut hujus brevitatis suavitas et suavis utilitas, ad perlegendum totum alium librum et alia ab eo de contemplationis et charitatis perfectione conscripta, mentem lectoris alliciat, et inde ad salutis et virtutis profectum perveniat (4). »

Tertia pars inscripta, *de spiritualibus sensibus*, agit de contemplationis apice seu de perfectionis ejus culmine. Distinguit porro primum inter sensus spirituales, seu potius supernaturales, et corporales. Divinæ enim Scripturæ et Sancti, præsertim Bernardus (5), quinque sensus in anima ponunt quemadmodum et in corpore :

« Sed horum sensuum spiritualium distinctionem cognoscere ac eorum officia, actus atque objecta plene discernere non facile est, quia hoc nemo perfecte novit nisi qui *experimento* probavit (6)... Sicut per sensus corporales habemus *experien-*

(1) *Comp. contempl.*, c. XI, cf. Richardum, c. LXXI.

Contemplativus est Benjamin, hujus in ortu
Mater obit speciosa Rachel, quia deficit ipsa
Mens contemplantis, ratioque sagax alienum
Transit in affectum, levat et sese super, altos
Migrat in excessus....

(*Josephina*, ibid.)

(2) *Comp. contempl.*, cf. Richardum, c, LXXVIII.

(3) Ps. LXVII, 28; — cf. Richardum, c. LXXXVI.

(4) *Ibid.*, tr. II, ad finem.

(5) Cf. D. Bernardum, Sermo *de vita et quinque sensibus animæ*, Edit. Antwerp. 1576, f. 95.

(6) *De spiritualibus sensibus*, c. II.

tiam de sensibilibus, sic per sensus spirituales, licet difficulter, habere possumus *experientiam* de spiritualibus (1). »

Distinguuntur autem quantum ad *potentias* in quibus sunt, quantum ad *actus* qui ab eis procedunt, quantum ad *objecta* quæ cognoscunt vel prosequuntur. Spiritualis auditus sistitur in potentia *memorativa* quæ appropriatur *Patri*, visus in potentia *intellectiva* quæ appropriatur *Filio*, tres alii sensus in potentia affectiva seu volitiva quæ *Spiritui Sancto* assimilatur (2). Auditus retinet divinas inspirationes, visus perfectiones intelligit, olfactus promissiones desiderat, tactus operationes charitatis efficit, gustus præmiorum Dei delectationes sapit (3). Deus est objectum spiritualis auditus quatenus divinis inspirationibus loquitur (4), objectum visus quatenus divinis perfectionibus lucet (5), objectum olfactus quatenus divinis promissionibus allicit (6), objectum tactus quatenus divinis seu charitativis et meritoriis operationibus perficit, objectum denique gustus quatenus divinis seu præmiatoriis delectationibus reficit (7).

Seorsim etiam singulos considerat sensus et Scripturarum auctoritatibus vel potius analogiis illustrat. Circa finem, disserit de sensuum spiritualium impedimentis. Primum est culpabilis infectio, quoad animam; secundum est carnalis depressio, quoad corpus; tertium est temporalis turbatio, quoad exteriora; contra quæ oportet adhibere tria hæc Dionysii remedia : purgari, illuminari, perfici. *Reforma-*

(1) *De spiritualibus sensibus*, c. III.

(2) *Ibid.*, c. IV.

(3) *Ibid.*, c. V.

(4) *Ibid.*, c. VI. — Cf. Greg., *Mor.*, l. XXVII, c. 17; apud Migne, *Patr. lat.*, LXXVI, col. 418.

(5) Cf. Gersonium, *Tractatus de oculo spirituali*, t. III, col. 483.

(6) Cf. Dionys., *De eccles. hierarchia*, IV; apud Migne, *Patr. gr.*, III, col. 471.

(7) Cf. Bernardum, *De amore Dei*, Edit. Antwerp. f. 295.

mini in novitate sensus vestri (1), inquit Apostolus; id est, contemplamini et sic *experimentaliter* sentite quæ sit voluntas Dei (2).

Scripsit aliud opusculum Alliacenus, *de quatuqr gradibus scalæ spiritualis* (3), qui sunt lectio, meditatio, oratio et contemplatio :

« Beatæ enim vitæ dulcedinem lectio inquirit, meditatio invenit, oratio postulat, contemplatio degustat... Unde possumus colligere quod lectio sine meditatione tepida, meditatio sine oratione infructuosa. Oratio sine devotione non est contemplationis acquisitiva, contemplationis adeptio sine oratione aut rara est aut miraculosa (4). »

Bernardi quidem tractatum putat se in eo opusculo sequi et summatim exhibere; ast Bernardi certo non est, licet cæteroquin eximium (5).

Seraphici Doctoris vestigia certo premit in *Epilogo de quadruplici exercitio spirituali*, qui sic incipit :

« Anima devota cupiens ad divinam contemplationem spiritualiter exerceri tria debet circa hanc exercitationem specialiter meditari : primo ejus *ortum* effectivum *a quo* derivatur,

(1) Rom. XII, 2.

(2) *Tractatus et Sermones.*

(3) *Ibid.*

(4) *Ibid.*

(5) Libellus ille inter opera Bernardi sub hoc titulo : *Scala claustralium* sæpissime invenitur; Augustino etiam adscribi solet sub hoc nomine : *Scala Paradisi;* sed probabilius est Guigonis Carthusiæ olim prioris (1175), qui de vita contemplativa ad fratrem Gervasium scripsit. Tractatulus Alliaceni merum est hujus operis breviarium. — Cf. Card. Bona, *Liber de div. psalm.*, c. XVI, et Editorem operum S. Bernardi Barroducensem, 1870, t. I, p. 105. — Cf. etiam *Histoire litt. de la France,* t. XI, p. 655, et t. XV, p. 11. — Aureum illud Guigonis opusculum suavissime exposuit Fr. Suarez, Opera, Venetiis, t. XIII, *Tractatus quartus de oratione, devotione et horis canonicis,* l. II, c. 2. In linguam autem gallicam commentarium istud vertit R. D. Fred. Fuzet, olim in Archigymnasio Insulensi professor (Lille, Desclée, 1880).

secundo ejus *objectum* motivum *circa quod* versatur, tertio ejus *fructum* refectivum ad quem ordinatur (1). »

Quatuor autem mentis exercitia quatuor salutiferæ crucis brachiis figurari declarat; eaque a se descripta esse ad eruditionem et exercitationem simplicium, quorum suffragia pro suo munere poscit humiliter (2).

Majorem certe laudem meretur tractatus *de Duodecim honoribus Sancti Joseph*, cujus hæc fuit occasio. Anno 1413, Duci Bituricensi scripserat Gersonius eum adhortans ad festum Beati Joseph solemnizandum (3), atque devotionem Cardinalis Cameracensis erga tantum cœlestem patronum commemorans. Epistolam insuper miserat universis Ecclesiis, illis præsertim quæ in memoriam Beatæ Mariæ consecratæ erant, « ut dies in honorem Virginis ejusdem atque justi Joseph sponsi sui, testis ac custodis, celebriter veneraretur (4). » Ulterius speciali suo amico D. Parvi, Cantori Carnotensi et eximio theologiæ professori, tres vias ad hunc scopum attingendum aperuerat (5). Immo officium cum lectionibus et missam ediderat ad laudem virginalis conjugii justi Joseph et Mariæ (6), et carmen heroicum composuerat cui titulus *Josephina*, et in quo non solum fidelibus, sed et oculatissimis litterarum peritis valde placet (7). Die tan-

(1) Apud *Tractatus et Sermones*. — Tractatus S. Bonaventuræ quem hic sequitur Alliacenus est *Soliloquium de quatuor mentalibus exercitiis*, Argent., 1489, 1 vol. in-fol.

(2) *Ibid.*

(3) In opp. Gersonii, t. IV, col. 729. — « Or vueillés Vierge pucelle Saincte et Sacrée, vueillés empetrer grâce envers votre chier et doux enfant Jhésus que on puisse en votre dicte Eglise, et toutes autres par chrétienté, célébrer dignement, sans fol usage, le virginal mariage du Sainct et Juste et Vierge Joseph avec Vous.... » (t. III, col. 864.)

(4) *Ibid.*

(5) *Ibid.*, t. IV, col. 732.

(6) *Ibid.*, col. 736.

(7) *Ibid.*, col. 743. — Cf. Saint-Marc Girardin, *Tableau de la littérature au XVI[e] siècle*, p. 217, et in periodico *Revue des deux mondes*, 15 aug. 1849.

dem VIII^a septembris anni 1416, in Concilio Constantiensi, festivam solemnitatem in honorem Sanctissimi Deiparæ Sponsi celebrandam ita fortiter et suaviter commendavit (1), ut, quemadmodum asserit Benedictus XIV, « *sermo fuerit pergratus toti Ecclesiæ in Concilio congregatæ* (2).... »

Opem Gersonio præstare voluit Alliacenus, et tractatum *de duodecim honoribus sancti Joseph* tunc temporis scripsit, ne discipulus supra magistrum esset in amore et cultu sancti Patriarchæ (3). Opusculum istud in antiquo Breviario Romano Carmelitarum et Minimorum pro lectionibus officii sancti Joseph usurpatum fuit (4). Privilegia quibus in terris cumulatus fuit admirabilis ille sponsus Mariæ fuse enarrat : de stirpe regia, Mariæ consanguineus et matrimonio junctus, virgo remansit; Beatæ Matri et Christo ejus Filio obsequium præstitit; revelationes accepit, ab Evangelio laudatus est et nomen Jesu publicavit. Ipso præsente nostræ fidei mysteria declarata sunt; Simeonem et Annam audivit; quatuor vicibus ab Angelis consolatus est. Jesum denique sibi constanter obedientem habuit.

« O mira et stupenda novitas! O nova et miranda humilitas! Subditur servo Dominus, humiliatur homini Deus!... O mirandum prodigium! Ex labore Joseph ille pascitur, qui sua virtute esurientes reficit! Ex labore Joseph ille terreno pane reficitur,

(1) In opp. Gersonii, t. III, col. 1345.

(2) *De Beatificatione*, l. IV, p. 2, c. 20, n° 37.

(3) *Tractatus et Sermones.*

(4) Cf. Lucot, *Saint Joseph, Etude historique sur son culte*, p. 35.— « D'Ailly donna vogue (suyvi de son disciple Jean Gerson) à la dévotion envers saint Joseph, le chaste Epoux de la Vierge; sur lequel sujet il avait escrit un livre intitulé : DES DOUZE HONNEURS DE SAINT JOSEPH, qui fut la première plume messagère de sa grandeur et la première trompette qui publia en France les singuliers avantages de sa dignité, de ses offices et de ses pouvoirs, et qui éveilla la dévotion des peuples avec la mémoire et l'estime de ses incomparables vertus. » *(Eloge historique des cardinaux illustres*, par le P. H. Alby, S. J., t. I, p. 109 à 164.) — Cf. Emin. Card. Pie, Episc. Pictaviensis opp., t. VIII, p. 122.

qui in cœlo sine esurie semper vivens ait : Ego sum panis qui de cœlo descendi (1)... »

Conclusio est hujusmodi :

« Nos prædicta laudum honorumque præconia prosecuti sumus, et ex his quæ de eo sparsim in Evangeliis scripta sunt prænotatos duodecim honorum titulos collegimus, ex quibus sanctus iste quasi corona stellarum duodecim seu totidem pretiosorum lapidum honoratus fulget in terris, et in cœlis rutilat coronatus. Unde quia scriptum est : *hoc honore dignus est quem rex voluerit honorare* (2), dignum arbitramur (3). »

Cætera Alliaceni opera quæ ad asceticam vitam spectant omittimus aut ideo quia eorum authentia dubia est, aut ideo quia nihil utilitatis jucunditatisve lectoribus nostris afferrent (4).

Et dicta quidem sufficiunt ad judicium prudenter criticum de ipso tanquam auctore mystico. Hanc certe provinciam non ingressus esset, nisi tristitia et dolor eum impulissent ad novum istius laboris genus, nisique præsertim ei Gersonius suasor adfuisset (5). Hinc defectus autonomiæ intellectualis in ejus operibus asceticis, ubi Bernardum, Richardum, Bonaventuram, nimis fideliter prosequitur, non quidem ad securitatem sed ad meritum et laudem suæ doctrinæ. Gersonio inferior hac in parte est, nulla anteriorum scriptorum vitia corrigens, sed propria sua eis superaddens quæ clare jam novimus.

(1) Joan., V, 41.

(2) Esth., VI, 11.

(3) *Tractatus de duodecim honoribus Sancti Joseph*; apud *Tractatus et Sermones* (Edit. 1483 et 1490); et apud *Opuscula spiritualia*, 1634; — Cf. *Josephina*, Dist. VIII, in opp. Gersonii, t. IV, col. 771, et *Considérations sur saint Joseph*, ibid., t. III, col. 845.

(4) Ea sedulo enumerata leges, si velis, in indice nostro logico.

(5) Cf. *Secunda Epist. ad Petrum ep. Cameracensem*, t. III, col. 431.

III

Ad mysticam eamdem operum Alliaceni classem pertinent gallica quædam scripta vel poetica, quæ ignorarunt aut vix legerunt (1) ejus biographi; quæque Avenione reperta (2) primam forsitan lucem in præsenti nostra opella adspicient. Prior hujusmodi tractatus soluta oratione scriptus est, et titulum habet : *Le Jardin amoureux de l'âme dévote* (3).

« En l'abbaye de devote religion fondée en mondein desert est le jardin damoureuse et vertueuse consolation ou le vray Dieu damours habite; cest le jardin gracieux ou habite le doulx Jesus et ouquel il appelle sa mie quand il dit au livre des chansonnettes amoureuses : Viens, dit-il, en mon jardin, ma doulce suer et ma chiere espouse. Ceste doulce voix et ceste chansonnette amoureuse chante melodieusement Jesus Christ le loyal amant, en appelant a soy la sainte ame qu'est de luy amourée par ardent charité; et la nome sa suer et son espouse, sa suer par consanguinité de nature et son espouse par affinité de grace, sa suer par la semblance de nature humaine que il prist en sa vierge mère, et son espouse par la beauté de grace divine quelle prent de Dieu le Père, sa suer par lignage naturel et son espouse par mariage espirituel. Helas, bien doit estre loée et benoicte qui est de si grand lignage et en si hault

(1) La Croix du Maine (*Bibl. franç.*, p. 381) se Alliaceni versus vidisse affirmat; Prosper Marchand eos laudat (*Dict. hist.*, t. II, La Haye, 1758); Petrus Bayle acerbe ita scribit : « D'Ailly se mêla de rimailler en langue vulgaire. » (*Dict. hist. et crit.*, t. I, 1741.) — Cf. Dinaux, *Notice hist. et litt.*, pp. 91 et seqq.

(2) In Musæo *Calvet*, Avenione, Ms. 295, f. 144 ad 161.

(3) P. Tschackert (*Peter von Ailli*, p. 364) existimat hoc opusculum esse translationem vel imitationem cujusdam Præfationis in Canticum Canticorum quam alicubi existere asserit Launoy, *Regii Navarræ Gymn. Paris. historia*, Opp. t. IV, p. 479.

mariage quelle est nomée suer et espouse du grant roy du ciel et du hault empereur du monde !...

» Quant la sainte ame amie du doulz Jesus Christ est ainsi amoureusement appelée de son amy, a la voix de sa doulce chanson elle ouvre ses oreilles par diligente entention et resveille son cuer par fervent cogitation et lieve son chief par grant admiration. Hé Dieu, dit-elle, j'ai oy la voix de mon amy, j'ay oy le son de cellui que j'aime; hé, très doulz Jesus, ta voix a sonné en mes oreilles (1), ton son a resveillie mon cuer las; et ou te queray et ou te trouveray? Lors court elle des piéz de bonne affection, et quiert la voie de juste operation et vient au jardin de vraie perfection. »

At ejus pedes læduntur saxis quibus viam sternunt mundus, caro et diabolus.

« Mais quant elle puet par le saufconduit de Dieu eschapper des voies du monde, de la char et du dyable, et retroire ses piedz des pierres de leurs temptations, lors quiert la voie de juste operation et la treuve estroite et aspre par austere affliction....

» Quant la sainte ame est entrée den la voie de juste operation et elle a goutée du fruit de penitance, pour avoir en son pelerinage en espirituelle refection, lors elle vient au jardin de vraie perfection pour trouver son ami et avoir avec lui vertueuse consolation. Mais ce jardin est fermement et closement fermez, car il est d'un fort mur enclos et environnez; c'est le mur de dure austerité fondé dessus par fond de humilité, eslevé par haulte povreté, fortifié de patience et de benignité pour resister contre les hurs dadversité et les vents de prosperité....

» Là treuve elle une très reverende et très redoubtée dame qui a par certains signes aperceu sa venue et par sa courtoisie lui a ouverte la porte. Cest dame obedience qui est la garde du jardin et tient les clefs de discretion, la verge de correction et le baston de pugnition....

» Quant la sainte ame voit dame obedience... vers elle humblement se humilie et sencline. Et celle lui demande : Qui estes vous

(1) Cant., II, 14 et passim.

qui cy venez, et quelle occasion vous mène ? Je suis, dit-elle, une povre pelerine qui ay oy la voix de mon amy ; je vien pour obeir a lui. Estes vous doncques, dit la dame, celle qui est du Dieu damour amée et en son jardin appelée ? S'il est ainsi, bien soyez vous venue. Lors la prent par la main destre et lui fait jurer et promettre que elle vivra en obedience et rien ne fera sans autorité et licence ; et celle lui promet liement et soffre joyeusement a sa doctrine et a sa discipline. Et tantost la dame la reczoit doucement et lui baille quatre demoiselles pour lui accompagner. Cest assavoir prudence pour lui enseigner, temperance pour lui chastier, force pour lui garder, justice pour lui gouverner. Lors ces IIII beles damoiselles la prennent en garde et commandent que sans dangier et sans refus la laissent passer la porte et entrer au jardin. »

Hortus iste describitur : picturas muris appositas, id est, divinæ sapientiæ opera, herbas humilis meditationis, arbores altæ contemplationis, flores honestæ conversationis, fructus sanctæ perfectionis, singillatim conspicit et miratur anima.

« O com cy a gracieuse requeste et tres amoureuse complainte ! Helas, helas trop seroit le cuer felon et despiteux qui ce don ne presenterait a ce loyal amoureux qui pour amer est langoureux. Et pour ce la sainte ame forment se peine et travaille de son amy trover pour lui offrir et donner le present gracieux des belles fleurs d'onnesteté et des bons fruits de sainteté ; si quiert tant.... quelle treuve le precieux arbre de vie. Cest l'arbre de la sainte croix ou le Dieu d'amour languit d'amoureux martyre et ou il souffrit mort amère...

» Elle est ferue au cuer et forment naffrée du dart amoureux cest de lamoureuse compassion du doulz Jesus-Christ dont elle soupire et gemit et cy font en larmes et en pleurs, et en larmoyant chiet au pied de la croix. Et ainsi comme en defaillant piteusement se complaint et garmente fort : Hemy las ! dit-elle, ou aurai-je confort puisque mon amy est mort et mort lasse my. Cestoit ma vie ; comme pourrai-je doncques vivre, puisque ma vie est morte ? O arbre de la croix, pourquoi es tu nommé arbre de vie ? Mieulx devrois-tu avoir nom arbre

de mort, puisque en toi est morte la vie immortelle! O immortelle et pardurable vie, comment es tu ainsi a mort livrée! O très doulz Jesus et très glorieux martyr damour, trop as mamour cher achetée quant pour bien amer tu as langui de mort amer! O langoureuse mort, trop mest amie ta memoire, quant tu m'as toulu la doulceur de ma vie!...

» Ainsi se complaint la sainte ame de son amy, et le Dieu damour oit sa complainte, il a de sa douleur pitié et lui envoye trois dames pour le reconforter. Ce sont les trois vertus theologaux, cest assavoir Foy pour le fortiffier, Esperance pour lui aider, Charité pour solacier. Et lors ces trois nobles dames la confortent moult doulcement : Amie, dient-elles, nous sommes de vostre amy messagés, et vous dirons de lui bonnes nouvelles. Il est la sus au ciel et nous envoie a vous saints en terre. Si vous mande par nous que plus n'ayez tel desconfort pour sa langueur ne pour sa mort, car par sa mort vous aurez vie, par sa langueur vous aurez joie, par sa douleur vous aurez soulas et par sa peine aurez repos. Et se quant a present vous ne le véez, ne se maintenant ne lavez a votre talent, de ce ne devez vous avoir impatience, car s'il est de vous absent corporellement et vous ne le véez maintenant, fors en semblance obscure, si le verrez vous après face à face clèrement... »

Fides, spes et charitas animam sanctam perducunt ad fontem gratiæ a quo manant sacramentales rivuli septem, septemque Spiritus Sancti dona. Fons misericordiæ ibi etiam invenitur a quo septem misericordiæ spiritualis septemque corporalis opera scaturiunt.

« Ainsi prent la sainte ame doulce refection es fontaines et es ruisseaux de ce jardin gracieux, mais moult lui accroissent son soulas et sa joie le doulx chant des oiseaulx qui ilyc volent et chantent. Ce font les ames devotes qui volent de bas en hault en montant de la vie active en la vie contemplative, en deslessant les basses choses terreniennes pour avenir aux choses celestiennes. Ce font les oyseillons qui de terre volent au ciel en ostant les plumes de leurs cogitations hors mondeine occupation, et en mouvant les ailes de leurs affections par diverses

meditations ; ainsi volent legièrement et montent haultement les ames devotes. »

Hac avium musica lætantur omnes amici Dei, et conveniunt ad scholam Christi ubi cœlestis dilectionis addiscunt artem :

« Cest l'art de bien amer laquelle ne peut savoir humaine creature par raison naturelle si elle n'est ..... enseignée par foy de divine Escripture. Ceste art ne sceurent oncques Virgille, ne Ovide, ne les autres qui enseignèrent a folement ou faulsement amer et a folement honorer Cupido le faulx dieu damour, et sa fole mère Venus. A cette faulse amour fuir forment nous semonce et encline foy maîtresse de vraye amour...

» Mais (les bons escoliers) ne sont pas tous semblables en discipline ne en perfection ; ensi sont moult differens en souffisance et en condition. Car aucuns sont commençans, les autres profitans, et les autres parfaits. Les commençans suient lescole par paour de pugnicion, les proufitans par ardeur d'acquerir retribution, et les parfaits par fine amour et franche dilection. Ce sont trois estats des vrais estudians damour qui sestudient et entendent a Dieu amer entièrement de cuer, de ame et de pensée (1). »

Mirabilem eorum consensionem et conjunctionem videns, anima sancta inflammatur, sicque carmina sacra canere incipit :

Pour la couronne amoureuse gaigner
Dont aux amants fait amoureux present
Le Dieu damour, tous le doivent loer,
Amer, servir tres amoureusement.
Car par lamour de sa volonté pure,
Par la doulceur de sa franche nature
Sur toute rien en son art pourpensée
Et de nyent a sa forme formée
Toute creature.
Amour lui fist ce beau monde créer....
Amour lui fist homme et femme former.. .
Amour fist son pouvoir humilier....

(1) Cf. D. Thomam, *S. Theol.*, 1ª 2ªᵉ, q. XXIV, a. 2; 2ª 2ªᵉ, q. CLXXXIII, a. 4.

Amour lui fist son corps prendre et lier,
En croix morir très angoisseusement,
Pour ses amis de prison delier
Et eulx donner damour allegement;
Ainsi rompi dênfer la chartre obscure,
Ainsi rouvrit du ciel la fermeture,
No maladie fut lors par lui sanée,
Nostre santé fut par lui reparée
Par piteuse cure.

Doulce chose est de loyaumment amer
Quand de tous biens amour est fondement;
En bonne amour est doulceur sans amer
Qui bien la scet maintenir doulcement,
Car doulz penser son plaisir asseure,
Et doulz espoir son désir apasture
Se tel doulceur est bien assavourée,
En lui puet estre des vrais amans trouvée
Doulce nourriture.

Or, ayons donc de cette amour l'ardure,
Amons celui qui est bel sans laidure;
Amons la belle qui est de lui amée,
Amons pour lui toute beauté créée,
Sans vilaine ordure. Amen.

Hanc deinde cantilenam modulatur Alliacenus :

BALLADE

Amour qui fait les Seraphins ardoir
En leur monstrant la deité haultaine,
Veuillez mon cuer mon ame et mon vouloir
Se separer de toute amour mondaine,
Que de lamour dont tu es la fontaine
Sans autre amour jaie tousdiz recort,
Très doulz Jesus, ma joie et mon deport....

IV

Audiri vero præsertim meretur Alliaceni Philomela (1) gallica, cujus tale est initium :

CY COMMENCE LE LIVRE DU ROSSIGNOLET (2) :

Rossignol messagier damoureuse nouvelle,
Qui cognois la saison du temps quand renouvelle (3),
Qui le cuer esjoie par ta chanson tant belle,
Je te prie humblement, viens a moy qui tappelle,
Vien, vien si ten iras la ou je aller ne puis ;
Mon amy salueras par tes chants et déduis,
De son cuer osteras les douleurs et ennuis.
Trop me desplait hélas que près de lui ne suis;
Va tost legierement, doulx oisel, je te prie,
Salue moy cellui a qui je suis amie
Et lui di que ma joie, mon soulas et ma vie
Est, et à lui servir mon cuer si sestudie.
Et saucuns demandoient pourquoi je tay esleu
Pour faire mon message, saiche bien que jay leu
De tes proprietéz et en escrit veu
Qu'à Dieu sont agreables et je l'ai bien sceu.
O donc, ame devote, met ici ton entente,
Car si tu veulx garder de cet oysel la sente (4)
Tu pourras desservir en la vie presente
Oir le chant du ciel, savoir comme on l'accente.

Sicuti philomela diversis diei horis cantilenas edit et magis atque magis accenditur ita ut vox ei tandem defi-

(1) Etymologiam vocis « *philomenæ* » trahit Alliacenus « a *philos* amor, et *menê* defectus. » Philomenæ igitur sunt *amore languentes*. (*Expos. super Cant. Cantic.*, c. IV, 7ª pars.)

(2) Cf. G. Paris, *Chansons du XVᵉ siècle*, 1885, pp. 121 et 122.

(3) Item Eustacius Deschamps eximius ejusdem sæculi poeta :

Je vois may qui renouvelle
Le doulx rossignol m'appelle...
(Edit. Queux de St-Hilaire, t. II, p. 190.)

Cf. J. Froissartum, *Le joli mois de may*, Edit. Scheler, t. II, p. 196.

(4) *Semita.*

ciat, ita in singulis divini officii horis debet anima devota canere, et ad Dei amorem gradatim per varias cogitationes inflammari.

Or donc, ame devote, tu as oy briefment
Le fait de cet oysel et son degoisement,
Mais j'ai dit par devant que cilz chants proprement
Ci puet estre appliqué à nostre sauvement.
Sachez de cest oysel tient la similitude :
L'ame qu'en Dieu amer met toute son estude
Qui quant de là sus pense la grant beatitude
Elle compose ung chant de musique non rude.....
Notre commencement est dit laube journée
Quant Adam fut créez et Eve fut formée,
Prime quant fut Marie de l'ange saluée
Et tierce quant fut l'aage de Jesus trespassée ;
Midy quant des felons se voult laissier lier
Et batre et villenner, tourmenter, descraichier,
Et des Juifs pervers tant durement traicter,
Pendre honteusement et le costé percier ;
Nonne quant Jesus-Christ a lesperit hormis
Et il eut l'ennemy combattu et soubmys....
Ainsi l'aube du jour passe lame devote
A prime se transporte en efforçant sa note
Et pense a ce doulx temps et bien en son cuer note
Quant Dieu vint pour vestir dumain corps l'humble cote (1),
Lame ainsi se remue par vraye charité,
Et tremble quant voit Dieu en tel necessité
Plourer comme un enfant selon lumanité,
Pour oster son sergent de son adversité....

Hora ergo prima recogitat anima devota incarnationem Domini, eumque infantem in cunis adorat,

Eureux fust qua ce temps peust a sa mère esbattre
Si devote prière que par sa coulpe battre
Elle eust donné congié dune fois ou de quatre,
Baisier son chier enfant et avec lui esbattre,
O com de cuer entier ung bain lui attrempasse,
O comme voulentiers a mon col le portasse
Et a sa doulce mère de cuer administrasse
Et du petit enfant les drapellet lavasse !

(1) *Vestis.* « Trabea carnis indutus, » ait S. Fulgentius, *Sermo de S. Stephano,* circa initium.

Ci desire povre estre lame de pechié monde,
Vilté et abstinence en son austel habonde,
Tout labour lui en mue en joie très profonde,
Et ne tient qu'à vilté tout lonneur de ce monde.
Et quant de Jesus Christ a lenfance chanté,
Prime a fait tout son cours, tierce vient a planté....

Hora tertia Jesum sequitur, in variis suæ vitæ discriminibus, eumque docentem audit.

Bienheure est cils lequel sa vie toute
Use dessoulz tel maistre et qui en suit la route
Et suce de sa bouche le miel qui en degoute,
Devant qui grant doulceur est amer qui en gouste!
Et com lame devote fait telle melodie,
De rendre grace a Dieu est toute apparoillie,
Et louant son Seigneur est tousdis esfortie,
Ainsi est la chanson de tierce desfaillie.

Hora sexta dolorosissimam Redemptoris mortem meditatur.

Ce je pour toy souppire, helas, qui s'en merveille?
Qui suy conjointe a toy d'une amour non pareille;
Ta maniere mactrait et mon desir eveille;
Quant pour moi souffris mort cest a ouyr merveille;
Vrayment je ne doy pas seulement soupirer,
Ains doit toute ma char avec Job desirer
En la playe du costé bien mon nid attirer
Et là mon esperit en douleur expirer.
Jesus, sen toy ne muer, point ne reposeray:
Ocy, ocy criant jamais ne cesserai (1)
Tousiours en ce repos fus et suis et seray
Pour la honte du monde ja ne men osterai.
Or dit a loiseleur qu'il la prengne en ses las:
Atache moy en croyx les mon amy, helas!
De plus vivre nay cure, mourir est mon soulas
Pour que acoler te puisse si comme macolas.
Homme, qui nas memoire de si grand benefice
Que Jesus Christ te fist quand mourut pour ton vice,
Par sa mort fut rompus le las du grand malice,
Par sa mort te donna Jesus toute delice,
Il de son propre corps te voult rassasier
Et de son propre sang et laver et baingnier;
Son doulx cuer voult a toy decouvrir, despoillier,
Pour demonstrer comment et combien tamait cher....

Christo patienti compatitur anima sancta, et hora nona morienti commoritur.

En tel estat refuse la terrienne sorte
Et dis que le soulas du monde venin porte ;
Mais a leure de nonne elle appert comme morte ;
Le frain de la char rompt la mort que tant est forte ;
Car quand il lui souvient de la doulce parolle
Que Jesus dist a nonne quand la vie se desole,
Tout lesperit lui fault et brait comme une fole,
Et dit que ceste voix son cuer perce et affolle ;
On ne puet plus porter la sayecte angoisseuse ;
Si meurt comme jay dit mais de mort bienheureuse,
Car du ciel lui ouvre on la porte glorieuse
Qui la fait de Jesus estre amee et espeuse :
Pour celle ny est messe ne *Requiem* plus dite,
Ainçois soit de la messe *Gaudeamus* introitte.
Cil se moque de Dieu et l'Eglise despite
Qui prie pour martyr selon la loy escripte.
O rose tant vermeille ame de Dieu amée,
O pierre precieuse, o lis de la vallée,
A qui tous dis desplut mondain, fait et pensée,
Ton yssue fut sainte et ta mort bien eurée.
Eureuse elle qui a la gloire convoitée
Es bras de son espous doulcement endormie
Et a son esperit tant forment anvie ;
Or, reçois le baisier de perdurable vie.
Estoupes donc, amie, des larmes le conduit,
Car de ton esperance resçois tu ja le fruit,
Car cil qui ta menée par le monde et conduit
Te donne un doulz baisier qui le cuer te deduit.
Dy, dy, ame devote, pourquoy plus ploureroies?
Tu as du ciel la gloire, a tort te complaindroies ;
Se plus vouloies aveir, certes tu ne pourroies,
Jesus est tes amis, en luy sont toutes joies.
Cy finiray mon livre, que ne soye ennuyeux
Car se dire vouloie combien delicieux
Est lestat de ceste ame et combien glorieux,
Len dirait que je suis de mentir curieux ;
Quoy que ly autre dient : mon frère et amy cher,
Qui du nouvel martyr veulz la vie encerchier,
Quant tu seras y tel veuilles Jesus prier
Que le chant du martyr il nous veuille enseigner.

Amen.

V

Meretur etiam legi pius veluti planctus seu devota oratio pœnitentis animæ ad Christum redemptorem. Titulum et fragmenta referemus.

PITEUSE COMPLAINTE ET ORAISON DEVOTE DE HUMAINE CREATURE QUI DE LESTAT DE PECHIÉ NOUVELLEMENT A DIEU VEULT RETOURNER.

« Jesus, vray espouz de virginité, Jesus de chasteté loyal amy, Jesus ma terrienne esperance, mon seul salut et mon refuge singulier, maintenant ma povre et chetive ame a toy retourner desire, lequel elle a tant de fois par sa folle rebellion et desobeissance despité et reffusé, que lanel de grace a perdu duquel espirituellement tu l'avoies espousée, et prins lanel de pechié, et se est rendue espouse serve et subjecte au tien et sien ennemi. Las, comme perilleux mariage, las, comme fole et nice mutation de cellui en qui toute beauté, toute puissance et toutes richesses sont encloses, a cellui qui de toutes difformités meschantes et povretés est plaint. O ame, dy moy qui ta cecy fait, respon moy, ame, a qui as tel conseil prins ? as tu Dieu ton souverain Seigneur, ton glorieux maistre, si pou prisié et ainsi eu en despit ?...

» Je t'appelle, ame, ame jadis de Dieu formée, ame rachatée de son precieux sang, ame de plusieurs dons oultre autres creatures très noblement douée, de tant de perils et par tant de fois, sans ce que desservi, l'eusse preservée et gardée ; je t'appelle, escoute moy. Euvre maintenant lès yeulx ung peu, et regarde ou tu gis. Considère ou tu es, comme près d'enfer et loing de Paradis. Pense qui tu laisses, qui tu despites, à qui tu fais la sourde oreille. Et tu, doulx Jesus, piteux medecin de l'ame, fontaine de toute doulceur, se humaine misere te puet a misericorde encliner, regarde en pitié et compassion ceste ame mi-

serable et chetive ; elle s'esveille maintenant, et quand sa nudité et son estat considère, grand desplaisir, grant confusion et abhomination en a, de sa si longue folie se merveille et reprent, et comme povre garse, comme povre pecheresse, comme celle qui n'est plus digne d'estre espouse, toute vergougneuse a toy soupire et parler nose ; doulx Jesus, regarde la en pitié, les bras te tend, pour la traire hors du parfond puis de pechié et l'ordure ou si longuement a esté. Tu qui es seul sauveur haste toy, baille la main, soulièvę la et perir point ne la seuffre. Tu, tant de pecheurs qui ne te depriaient mie mais te persecutoyent, as convertis et justifiés : en ta povre ame, ton humble ancelle, ta povre chambrière, qui aucunes fois ta amé, et toy elle, qui maintenant en douloureux soupirs, en amaritude de cuer te deprie, la pourroies tu non essaucer, la pourroies tu non recevoir ? Certes nenny.... Fais mon pelerinage de ce mortel monde a toy aggreable, et me donne le bourdon de ferme foy, lescharpe de charité, leschielle de saincte esperance : confond par ta puissance tout ce qui destorber me pourroit.

» En après, octroye moy franc cuer hault et noble, pour desprisier fuir et sous piéz mettre toute vile ordure et mondain plaisir, pour nonchaloir de toutes creatures, toutes personnes, qui de mon honneur, de mon salut et de mon bien n'ont cure ; et pour amer en toy et pour toy mesmement ; finablement tu qui es ma terrienne esperance, mon seul salut et refuge singulier, soulièvе moy, soutien, adresse et enseigne moy, en telle manière que en la doubtable heure de la mort tu soyes mon protecteur, et contre les chiens d'enfer, puissant desfendeur de mon esperit, si que paisiblement et benignement tu le reçoives en gloire en laquelle face à face joyeusement veoir je te puisse et pardourablement adourer et cherir. Amen.

Superest tandem ut describamus brevissimum poema triginta duobus versiculis constans et sic inscriptum : « *Combien est misérable la vie d'un tyran* (1). » Ecce quid de ejus origine novimus. Philippus Vitriacensis, Meldensis episcopus, carmen totidem versuum vulgaverat sub eo

(1) Cf. indices huic volumini præfixos.

titulo : « *les Dicts de Franc-Gontier* (1), » quo vitæ ruri actæ amœnitates et libertatem laudabat :

Soubz feuille verd, sur herbe delictable,
Sur ruy bruyant et sur claire fontaine,
. . . .
J'ouïs Gontier en abattant son arbre
Dieu mercier de sa vie très sure :
« Ne sçai, dit il, que sont piliers de marbre,
Pommeaux luisans, murs vestus de peincture.
Je n'ay paour de trahison tissue
Soubz beau samblant, ne qui empoison soye
En vaisseau d'or. Je n'ay la teste nue
Devant tyran, ne genoil qui se ploye.
Verge d'huissier jamais ne me desboute ;
Car jusques la ne me prend convoitise,
Ambition, ne lescherie gloute (2).
Labour me plait en joyeuse franchise.... »
. . . .

Ea complere iisque respondere voluit Alliacenus, qui idcirco scripsit : *Les Contre-dicts de Franc-Gontier*, » ubi miserrimam tyrannorum vitam eodem metro narrat :

Ung chasteau sçay, sur roche espouvantable,
En lieu venteux, sur rive perilleuse.
La vis tyran, séant à haute table,
En grand palais, en sale plantureuse,
Environné de famille nombreuse,
Pleine de fraud', d'envie et de murmure :
Vuide de foi, d'amour, de paix joyeuse ;
Serve, subjecte, en convoiteuse ardure ...
Trahison doute, en nul il ne se fye,
Cœur a felon, enflé d'orgueil et d'ire,
Triste, pensif, plein de melancolie.
Las ! trop mieulx vaut de *Franc-Gontier* la vie,
Sobre liesse et nette povreté,
Que poursuivir, par orde gloutonnie,
Cour de tyran, riche malheureté (3).

(1) Tarbé, *Collection des poètes de Champagne antérieurs au XVI[e] siècle*, t. VIII, p. 140 (Reims, 1850).

(2) Vitium gulæ. — Cf. Froissart, *Poésies* (Scheler, t. II, 336).

(3) Videtur Alliacenus Boetium imitatus (*De Consol. philos.*, l. IV, Metr.

Gulielmus de Machault (1), Joannes Froissartus Valencenas (2), Eustacius Deschamps (3), Christina de Pisan (4), cæterique vates Alliaceni coævi, eum certe a sua societate non repulissent. Poemata nimirum ejus, nedum indecora sint, ingenium produnt pulchri amans et bonis litteris bene natum. Id autem unice nobis hac in re licet observare : studium sacræ theologiæ optime posse cum poeseos arte jungi, et Petrum ab Alliaco non indignum fuisse Anselmi et Bernardi, Aquinatis et Bonaventuræ hæredem, theologum simul et poetam.

2, apud Migne, *Patr. lat.*, LXIII, p. 796). — Ejus versiculos hexametris latinis reddidit Nicolaus a Clamengiis :

Rupis in horrendæ scopulis locus ad auras
Eminet, hic castri constructa est machina celsi,
Prævalidi, ingentis, vixque expugnabilis ulli...
(*Opp. omnia*, Edit. Lydii, p. 334.)

De his omnibus cf. A. Dinaux : *Notice historique et littéraire*, p. 91.

(1) Octoginta versuum millia scripsit qui fere omnes in archiviis adhuc inediti jacent. († 1380.)

(2) Poetica Froissarti († 1410) opera ab Aug. Scheler typis mandata fuerunt (Bruxellis, 1872, 3 vol.).

(3) Post annum 1465 defunctus. Omnia ejus opera a marchione de Queux de Saint-Hilaire nuper edita sunt (Didot, 1880).

(4) Multa ejus carmina in Bibl. nat. Paris., mss. 7216, 7217, 7641, 7067, 7088, 8038, 3. Cf. Sallier, *Académie des inscriptions*, t. XIX. — Post annum 1429 obiit Christina.

CONCLUSIO

Alliacenus non is est qui cordis secreta omnibus aperiat; et quum ejus scripta, vel etiam epistolæ, ad res doctrinales universim spectent, *Hominem* sub philosopho et theologo intueri nequivimus. Uti *Doctor* consideratus, Nominalismo irretitus fuit ne ad altissima veritatis astra conscenderet. Magisterium tamen summa cum laude adeptus, vires contulit omnes ut Ecclesiæ restitueret pacem, ut optime Navarricum collegium regeret, utque magistros et discipulos Parisiensis Studii errantes coerceret. Regum favore sublatus, mox ad aulæ dignitates evectus est, et Cameracensi sede auctus.

Episcopus, sæculari potestati fortiter restitit, mores integros et religiosam disciplinam in diœcesi servavit, licetque nonnullis ambitiosus (1) immo et cupidus visus sit (2), omnibus fere suæ ætatis præsulibus virtute anteivit. Ad componendas Ecclesiæ lites perseveranter laboravit, in Parisiensibus synodis zelo simul ac eloquentia eminuit, et in Concilio Pisano nomen et gloriam magni viri adeptus est.

Cardinalis creatus et pontificia legatione in Germa-

(1) Cf. *Histoire litt. de la France*, t. XXIV, p. 269.

(2) Cf. Martène et Durand, *Thesaurus*, t. II, coll. 1447 et 1464.

mania functus, Constantiensi Synodo adfuit, ubi inter summas augustias sinceram modestiam veramque prudentiam servavit. Devictis hæreticis, schismati finem imposuit, si non ipse unus, saltem primus inter pares, ecclesiasticæ reformationis simul studiosissimus. Gersonium et alios moderatione superavit, personam agens ei similem quam postea Bossuetius gessit in Gallicano cœtu anni 1682. Defuit tamen Alliaceno amicus doctrina ac moribus eximius, qui nonnunquam errantem ad verum justumque reduceret, quumque nemo illi obstiterit, ideo Gallicanismi pater volens nolens effectus est et talis jure habetur.

Si *Philosophum* spectes, nullum systema proprium defendit, sed eclectice procedit, Nominalium præsertim et Gulielmi Occami placita seu potius somnia amplectens. De anima ejusque facultatibus quum agit, Cartesii antesignanus est; quum autem tractat de veritate cognitionum quas de mundo exteriori obtinemus, aut de causalitatis theoria, jam Malebranchio et idealistis aliis viam sternit. Mutuas philosophiæ et theologiæ relationes practice pervertit, Protestantibus et recentioribus sophistis invitus certe Scholæ januas aperiens. Ædificium a divis Anselmo, Thoma et Bonaventura mirabiliter structum, in quo philosophia theologiæ ancillabatur, inscius sed imprudens quatit; et templum aliud philosophiæ liberiori atque jam nimis autonomæ, etsi adhuc substantialiter christianæ, dedicat, quod brevi post eum falsi nominis reformatores et rationalistæ totum profanabunt, ut impiam et indoctam intrudant et colant sophisticam, sub cujus jugo tria fere sæcula collum dabunt.

Physicus in Alliaceno altioris est meriti; quæcumque vera de mundo novit antiquitas aut adinvenit Anglus Baco, ipse complexus est, falsa plura feliciter abjiciens, et uberiori scientiæ manum amicam porrigens.

Quatenus *Theologus* sensa scholasticæ traditionis vestigia non satis pressit (1), et ad nova minusque sana festinavit. A Divi Thomæ principiis sæpius abhorruit, et Gulielmi Occami, Roberti Holkot, Gregorii Ariminiensis partes sequi maluit. Hinc erroribus seculi decimi sexti facilem paravit aditum, quem amplissimum præbuerunt ejus discipuli G. Biel, J. Major, Breviscoxa et Almainus. Sic Lutherus Alliacenum, uti plures aiunt (2), memoria tenebat; Melanchtonius a puero Nominalium sectæ addictus erat (3); Beza, Bucerus, cæterique omnes, sicut Nominalibus delectabantur, ita et Aquinatem detestabantur (4).

Ecclesiasticus in Alliaceno exinde etiam potuit minui quod Nominales auctoritatem sacram sæpe parvi penderent, uti Gulielmus ille Occamus qui, adversus Joannem XXII dimicans, Ludovico Bavarico dicebat : « Defende me gladio et ego calamo te protegam. » Præterea Petrus noster Philippo a Maizeriis, qui pessimum *Somnium viridarii* (5)

(1) Cf. C. Douais, *Essai sur l'organisation des études dans l'ordre des Frères Prêcheurs au XIIIe et au XIVe siècle*, pp. 87, 95 et 105. Non tantum apud Dominicanos opera D. Thomæ fuerunt ab antiquo norma legendi et discendi, sed apud omnes alios fere Ecclesiæ ordines. Citare sufficiat *Humbertum a Prulliaco*, O. S. B., *Sigerium a Brabantia*, *Godfridum a Fontibus* et *Petrum de Alvernia* Sorbonicos, *Jacobum a Viterbio* et *Ægidium Romanum*, O. S. A., *Gerardum Bononiensem*, carmelitam. — Cf. Hauréau, *Histoire de la phil. scol.*, 2e p., t. II, pp. 129 et seqq.

(2) Cf. Leibnitium, *De stilo philosophico Nizolii*, XXVIII (Edit. Berol. 1840, p. 69); Neander, *Vitæ quatuor reformatorum*, p. 6 (Berol. 1841).

(3) Cf. Camerarium, *Vita Ph. Melancthonii* (Edit. 1774, p. 22). De his omnibus cf. Brucker, *Historia critica philosophiæ*, t. III, p. 911; Ritter, *Histoire de la philosophie*, l. VII, p. 157.

(4) Cf. Epist. Encycl. Leonis Papæ XIII, *Æterni Patris* (4 aug. 1879).

(5) Liber iste, tanto jure in Indicem librorum prohibitorum relatus, heteroclitas omnes opiniones, quæ a tempore Philippi Pulchri et legistarum in vulgus eruperunt, latine tradit, et laicæ adversus Summos Pontifices rebellionis veluti codex evasit. Parisiis editus fuit, et a Goldast rursum datus. (*Mon. Sacri Rom. Imper.*, t. I, pp. 58 ad 229.) In vernaculam linguam fuit translatus, anno circiter 1376. — Cf. Launoy, *Nouvelle biblioth. des auteurs ecclés.*, t. XI, p. 68. — Daunou hoc « *Viridarii somnium* » Joanni de Lignano vel Petro Lupariensi tribuit, sed in utroque supposito errat. (*Essai historique sur la puissance temporelle des Papes*, p. 234.) — Lancelotus

scripserat, familiariter utebatur, ejusque opinionibus, mitioribus saltem, probabiliter aliquatenus indulgebat. Cæteroquin omnes quotquot ad nostram ætatem usque scripserunt Gallicani, sive ecclesiastici sive « Parlamentarii, » nihil antiquius habuerunt quam opera Alliaceni pleno ore laudare, eumque uti nobilissimum ac sanctissimum ducem sibi proponere (1).

Si tandem ipse judicandus veniat uti *Orator*, *Bibliorum Interpres*, *Scriptor asceticus* et *Poeta*, neque primas neque præsertim ultimas partes obtinebit; homo in omnibus certe non mediocris sed neque supremus. Ne multa : quemdam illa ætate triumviratum demirata est Gallia : Petrum ab Alliaco, Gersonium, Nicolaum de Clamengiis. In litteris princeps exstitit Nicolaus; in re ascetica et mystica Gersonius; in philosophia, physica et theologia, Alliacenus. Eos autem sæpe Ecclesiæ obfuisse non profuisse, sententia dura quidem sed vera videtur. Ast certe causa pejor Nicolai et Gersonii; valde melior Alliaceni.

(*Mémoires lus à l'Acad. des belles-lettres en* 1735 *et* 1736) hujus opusculi auctorem asserit Radulphum de Prella, regis Caroli V socium. At verus auctor est Philippus a Maizeriis, uti apprime demonstravit Paulinus Paris (*Mém. de l'Acad. des inscriptions et belles-lettres*, t. XV, p. 336).—Cf. supra, p. 15.

(1) Hæc audiantur Bossuetii verba de Alliaceno et Gersonio : « Hos post SS. Patres et post sacratissimas œcumenicas synodos Pisanam et Constantiensem, hos, inquam, Schola Parisiensis suæ sententiæ duces habuit;... neque illos quidem, ut nonnulli jactant, in hoc argumento suspectos, immo vero Sedis Apostolicæ ac Pontificis majestatis contra Wiclefum et Hussum studiosissimos defensores, atque extincto schismate instauratores egregios, ut quæ de Conciliorum auctoritate dixerint, amore veritatis, tuendæque fidei ac instaurandæ ecclesiasticæ disciplinæ dixisse constet. » (*Appendix ad defensionem cleri Gallicani de eccl. pot.*, l. I, c. 5.) — Cf. L. Tosti, *op. cit.*, t. II, p. 204.

FINIS

APPENDICES & INDICES

APPENDIX PRIMA

De Petri Alliaceni natalibus

Domnus Bertheau circa finem suæ historiæ ms. oppidi Compendiensis (1), hæc habet :

« En l'année 1340, le 22 octobre, dimenche prochain après le feste Sainct Luc l'Euvangeliste, Jehan de Blangy, écuyer, sire de Caulières (canton de Poix, Somme) et Marie de Breuil, sa femme, vendirent « à Pierre Marguerite, aultrement d'Ailly, XI journels XVII vergues et demie et le tiers d'une vergue de terre arable, séans ès terroers de Landevoisin (Languevoisin, canton de Nesle, Somme) et de Bruœil (Breuil, canton de Roye, Somme) » moyennant la somme de cent cinquante six livres onze sols parisis, vingt sols de vin et vingt sols de courtier. Oudars de Barisy, bailli de Nesle, en authentiqua le contrat par l'apposition de son sceau.

» Quatre ans après, au mois de décembre 1344, Ingergiers, sire d'Amboise et de Nesle, et Marie de Flandres, sa femme, dame des mêmes lieux, accordaient, à la prière du comte de Flandres et de Guy de Flandres, leur oncle, des lettres d'amortissement pour XIII journels et demi de terre donnés à l'église de Saint-Antoine de Compiègne. L'acte porte que la majeure partie de ces biens séans ès terroers de Landevoisin et de Bruœil a été achetée par Pierre Marguerite, aultrement dit d'Ailly, à Jehan de Blangy et demiselle Marie de Bruœil. Leur but en faisant cette acquisition, à laquelle ils joignirent d'autres biens pour former XIII journels et demi de terre, était de pourvoir à la dotation d'une chapellenie, fondée jadis par Thomas d'Ailly et Jeanne Harelle sa femme en l'église de Saint-Antoine, à l'autel de Saint-Liénard ou Saint-Léonard « jouste lequel leurs deus corps sont mis en sépulture. » Le titulaire de cette chapellenie était alors Hues ou Hugues Potier. Les deux actes dont la teneur vient d'être donnée, nous font voir que primitivement les d'Ailly s'appelaient Marguerite. C'est évidemment leur pays d'origine, situé

(1) Bibl. nat. Paris., Ms. lat. 13891. — D. Placidus Bertheau in monasterio Sancti Cornelii Compendiensis O. S. B. monachus fuit. Ad *Monasticon Gallicanum* præparaverat historiam ecclesiæ et urbis Compendiensis, cujus manuscripta volumina hodie dispersa sunt.

en Picardie, qui leur a fait donner le nom d'Ailly, sous lequel on les connaît maintenant. On chercherait vainement leurs ancêtres dans les trois familles de la contrée qui portèrent ce nom (1). »

Eadem instrumenta leguntur etiam in quodam opusculo doctissimi Domni Grenier (2), qui hæc subdit :

« Dom Gilleson nous a conservé l'épitaphe que voici : « *Cy gist Pierre d'Ailly, jadis bourgeois de Compiègne, et Emeline sa femme, avec eux Colard d'Ailly leur fils.... du roy notre Sire. Priez Dieu pour leurs âmes.* » Elle n'est pas entière, parce qu'une partie de la tombe était engagée sous le dernier degré du maître-autel de l'église de Saint-Antoine. Mais les armes de cette famille étaient bien conservées. C'étaient trois chevrons brisés.... Pierre naquit dans la rue de Dommeliers (3), paroisse de Saint-Antoine. Ses parents avaient un rang distingué dans la bourgeoisie, s'il est vrai, comme dit Dom Bertheau (4), religieux de Saint-Corneille, dans son *Histoire ecclésiastique et politique de la ville de Compiègne,* que le monument qui se voit dans la chapelle de Saint-Léonard en l'église de Saint-Antoine soit de son père et de sa mère. C'est un bas-relief en pierre, encadré de même, appliqué contre le mur qui est en face de la porte de la chapelle. On voit dans le milieu du tableau une Vierge assise, tenant le petit Jésus sur ses genoux. A sa droite, sont deux personnes à genoux, les mains jointes. La première porte les cheveux ras, une robe longue de couleur noire, serrée d'une ceinture à laquelle est attachée une panetière, et par-dessus un large scapulaire rouge avec un capuchon rabattu; l'autre figure, placée derrière dans la même attitude, a la tête couverte d'un beguin en forme d'une grande calotte. Un habillement très ample, dans le goût de la chape des Dominicains, lui couvre le reste du corps. Au-dessus est placé un écusson, au champ d'azur, à la cottice (5) de gueules, mais sans vestige aucun de six marguerites, trois en chef et trois en pointe, que Dom Bertheau dit avoir vues. Il faut convenir que les émaux sont écaillés pour la plus grande partie. De l'autre côté paraît agenouillé sur un coussin un ecclésiastique en grand manteau rouge auquel tient un capuchon. L'écusson qui est au-dessus offre écartelé, au 1er et au 3e, d'un lion d'or; au 2e et au 4e les couleurs sont détruites de façon qu'en apercevant à peine la cottice, il n'est pas possible d'y reconnaître les six marguerites de Dom Bertheau. Voilà, suivant lui, la figure du cardinal d'Ailly, avec les six marguerites, armes parlantes de sa famille, comme les deux autres sont celles de Colart, son père, et de Pétronille, sa mère, avec les mêmes armes. Il est vrai qu'au bas du tableau est écrit : « Chy gisent Colart d'Ailly, bourgeois de Compiègne, et Perrine sa femme, père et mère de très-révérend père en Dieu, monsieur Pierre d'Ailly, jadis évêque de Cambrai et cardinal de Rome. Priez Dieu pour leurs âmes (6).

(1) Istud documentum legit R. D. Morel, parochus in Chevrières, coram societate historica urbis Compendiensis, die vigesima quinta Maii anni 1882. Cf. *Mémoires de la société historique de Compiègne*, t. VI.

(2) *Analecta juris pontificii,* Oct. 1876.

(3) Vel in via quæ olim *equina* vocabatur, quæque nunc nomine Petri Alliaceni cohonestatur.

(4) Launoy, Opp. omnia, t. IV, *Regii Navarræ Gymn. Paris. Historia,* p. 467, et Von der Hardt, *loc. cit.*, t. I, 451, hujus monumenti mentionem faciunt.

(5) Male scribit auctor *cottice*, debuisset ponere *bande*.

(6) Anno 1873, curante reverendo Sancti Antonii parocho A. D. Lecot, nunc Divionensi episcopo, cum Societate Historica Compendiensi, in honorem Cameracensis Cardi-

Et recte observat idem Domnus Grenier : « Ainsi, Pierre, qui fait le sujet de cet article, ne doit pas être d'une famille aussi obscure que l'annonce Monsieur Dupin dans sa *Bibliothèque des Auteurs ecclésiastiques du* XV*e* *siècle*, première partie, p. 215. On verra dans la suite des raisons qui militent encore contre l'assertion de M. Dupin. »

Eruditissimus parochus Morel cujus verba jam retulimus, addit : « Le 13 septembre 1402, Pierre d'Ailly, évêque de Cambray et comte de Cambrésis, donnait à l'église parroichial de Saint-Antoine de Compiègne, en laquelle son père, sa mère et plusieurs autres de ses amis sont enterrés, un bel messel, de grosse lettre, notté et enluminé notablement, en deux volumes, à l'usage de Soissons, acheté le prix et somme de soixante francs d'or. » Il se réservait toutefois l'usage de ce missel, sa vie durant, et obligeait ses héritiers, en cas de perte des volumes, à remettre aux marguilliers de Saint-Antoine soixante francs dont ils achèteraient une rente pour leur église. Le même acte spécifie un autre don non moins intéressant, fait encore à Saint-Antoine par l'évêque de Cambray. Il s'agit d'une horloge du prix de « dix escus d'or du coing du roy nostre sire, de dix-huit sols parisis la pièce. » Cette horloge se trouvait alors en « l'hostel du curé, » autrement dit au presbytère. La générosité de Pierre d'Ailly n'aurait pas été satisfaite, s'il se fût occupé seulement de l'église et de la paroisse en oubliant le curé. Aussi ajoute-t-il à ses autres largesses cinquante francs afin de constituer des revenus à son profit. En reconnaissance, le curé de Saint-Antoine prit, en son nom, au nom de ses successeurs et de tout son clergé, l'engagement de faire dire chaque jour, à toutes les messes qui seraient célébrées en son église, au grand autel, la dernière collecte pour l'évêque de Cambray, ses parents et les autres bienfaiteurs de la paroisse (1). »

Anno 1391, Petrus ab Alliaco, Universi Studii Parisiensis tunc Cancellarius, in suam urbem Compendiensem misit Ægidium Samsonnet, olim Navarrici Collegii in Facultate Artium alumnum (2) et Sancti Benedicti Parisiis parochum. At ille res propter quas missus fuerat perficere et complere non potuit, nam Compendii repentina morte correptus fuit (3).

Annis 1407, 1408 et 1409, quum urbem eamdem pertransiret Cameracensis antistes, vinum ei, honoris causa, a civibus oblatum est (4).

Anno circiter 1410, Bonifacius Ferrier, celeberrimi et sanctissimi Vincentii germanus frater, magnæque Carthusiæ prior, ita de Petro nostro scribebat : « Habet plus in redditibus annuatim quam habet in pecunia tota villa *Compendii, unde traxit originem* (5). » Quod documentum eo majoris est momenti quo intimioribus olim amicitiæ vinculis conjuncti fuerant Alliacenus et Bonifacius.

Insuper in suo testamento Alliacenus beneficiis cumulat parochiales urbis Compendiensis ecclesias, necnon et mendicantium cappellas, collegia, et ecclesiam Regalis loci (Royal-Lieu) prope Compendium. In omnibus istis templis

nalis, erectum fuit monumentum in ipsa Sancti Antonii ecclesia, ut antiquæ fundationis ab Alliaceno peractæ et temporum injuria amissæ memoria saltem non periret. Figura Cardinalis marmorea publicarum ejusdem Compendiensis urbis ædium frontem adornat.

(1) Cf. D. Grenier, *loc. cit.*, p. 912.

(2) Anno 1386.

(3) Launoy, *loc. cit.*, p. 699.

(4) Grenier, *loc. cit.*, p. 902.

(5) Martène et Durand, *Thesaurus novus anecdotorum*, t. II, col. 1467. Cf. nostram primam partem, pp. 83 et seqq.

« fleri debent obitus solemnes cum vigiliis et missa.... Item solutis et prius adimpletis præmissis, lego, inquit, trecentas libras Turonen., videlicet ducentas distribuendas pauperibus domibus hospitalium et leprosiarum, ac pauperibus ecclesiis infra et juxta civitatem Cameracen, et *villam Compendii* sive miserabilibus personis in dictis locis habitantibus,et centum libras Turonen. pro emendis calicibus argenti deauratis dandis et distribuendis in ecclesiis Compendien., et Regalis loci (1). »

Tabula in cappella Navarrici Collegii appensa eum « *natione Compendium* (2) » vocat, et epitaphium Cameracensis metropoleos eum dicit « *apud Compendium humili loco natum* (3). »

Hinc certo Petrus ab Alliaco Compendii ad Isaram natus est. Si in viculo « Ailly-le-haut-clocher, » non procul ab Abbatis Villa, in lucem editus fuisset, cur nunquam et nullibi hujus loci mentio? Cæterum, traditio tum vici tum provinciæ hac de re fere silet (4). Attamen D[us] « De Vérité » in sua *Pontivi pagi* historia absque ulla probationis et veritatis umbra Alliacenum inter claros viros ex ista regione oriundos, connumerat : « Je ne fais ici mention que des habitants nés dans le Ponthieu; on en chercherait d'autres en vain qui y ont été bien connus. S'ils n'y ont pris naissance, ils ne doivent pas entrer dans cette chronique (5). » Hujusmodi affirmatio, deficientibus historicis indiciis, arbitraria prorsus est et negligenda. Neque majorem curam possumus habere similium assertionum quas absque sufficientibus argumentis proferunt A. Dinaux (6) et P. Tschackert (7).

Nonnulli Petrum nostrum fuisse lanionis filium dixerunt, sed nihil in chronicis et vetustioribus monumentis hoc placitum confirmat.

Non tamen a nobili stirpe originem traxit. Ita enim scribit rev. parochus Morel : « Quant à chercher les ancêtres du Cardinal parmi les seigneurs d'Ailly-sur-Somme et de Picquigny, il n'y faut pas penser. Rien de positif dans son histoire ne vient confirmer cette hypothèse toute gratuite. De plus, les armes d'Ailly de Picquigny étaient : de gueules à deux branches d'alizier d'argent posées en double sautoir, au chef échiqueté d'argent et d'azur de trois traits. (*Archives départementales de la Somme*, fonds du chapitre d'Amiens, titre du 14 juillet 1392. Fonds de Saint-Jean d'Amiens, titre du 12 septembre 1461, etc.)

Celles des Marguerite, dits d'Ailly, étaient d'azur au chevron de gueules accompagné de six marguerites d'or, posées en orle.

Le Cardinal portait : écartelé aux 1[er] et 4[e] d'or à trois lions de sable, aux 2[e] et 3[e] d'azur à la bande d'or, accompagné de six marguerites posées en orle. (*Archives départementales du Nord*, Fonds de la collégiale de Saint-Géry à Cambrai, titre du 1[er] août 1402, auquel est appendu le sceau de Pierre V (d'Ailly.) (8) »

(1) D. Grenier, *loc. cit.* Testamentum illud in Bibl. Reg. Christinæ, Romæ, fuit inventum, Ms. 1694, 165. — Cf. p. 140 supra.

(2) Launoy, *op. cit.*, p. 354.

(3) Von der Hardt, *Rerum Conc. œcum. Constant.*, t. I, p. 481.

(4) Quod compertum habuimus per epistolam quam nobis mittere dignatus est E. Du Castel, Alliacensis pagi decanus.

(5) *Histoire du comté de Ponthieu et de la ville d'Abbeville*, par de Vérité (Abbeville, 1767), t. II, p. 257.

(6) A. Dinaux, *Notice hist. et litt.*, p. 8.

(7) P. Tschackert, *Peter von Ailli*, Beilagen, p. 367.

(8) Occasione istius quæstionis heraldicæ juverit ea referre quæ tum de duobus sigillis, tum de una moneta Alliaceni descripserunt eruditi viri.

De sigillis hæc habet Demay : « PIERRE V, Ev. DE CAMBRAI. — 1402. — Sceau rond

Le Carpentier, inter historicos fere solus (1), hanc opinionem erroneam defendit, sed argumenta viresque ei deficiunt, et falsas rationes excogitans, ita genealogiam Petri nostri proponit :

ROBERT, seigneur d'AILLY,

1. WATIER ou ROBERT, sire d'AILLY.	2. HUGUES D'AILLY, sire de Rumes, aussi surnommé Colard, épouse Catherine de Constans.	3. RAOUL D'AILLY, Archidiacre de Cambrai 1379.

1. PIERRE D'AILLY.	2. RAOUL D'AILLY.	3. N. D'AILLY, femme de Matthieu de Launoys.

Sed gratuita omnino et audacissima est fallacia hominis infamis qui, primum monachus Sancti Autberti Cameracensis, jam ætate provectus apostata factus est, et miser e vivis excessit. Ejus scripta ita judicat simul et castigat eruditissimus *Carolus d'Hozier :* « Il n'y a livre au monde qui soit si plein de faussetés, d'ignorances, d'absurdités, de confusions et d'extravagances qu'il y ne a de la première page à la dernière des deux volumes de cette *Histoire de Cambrai*.... On ne saurait assez exagérer le mépris qu'il mérite, tout cet ouvrage n'étant qu'un assemblage de familles roturières, populaires et citadines des Pays-Bas, confondues sur des conformités de noms avec des races nobles qu'on a presque toutes altérées et défigurées, tant par ignorance qu'à

de 33 mill. — Arch. du Nord, collégiale de Saint-Géry. La Vierge à mi-corps, avec l'enfant Jésus, accostée de saint Pierre et de saint Paul, dans une niche gothique ; audessous, l'évêque priant, accosté d'un écu à trois lions à dextre et d'un écu à la bande accompagné de six fleurs en orle à la crosse brochant à sénestre. Légende détruite. Quittance de droit de visite fournie à l'abbé de Saint-Sépulcre, 1er août 1402. — PIERRE V, Ev. DE CAMBRAI. — 1406. Sceau ogival de 14 mill. — Arch. du Nord. — Evêché et Chapitre de Cambrai. Dans une niche gothique, la Vierge assise avec l'enfant Jésus tenant un livre, accompagnée de saint Pierre et de saint Paul et accostée au-dessous d'eux d'un écu à trois lions à dextre, d'un écu à la bande accompagné de six fleurs en orle à sénestre ; au bas l'évêque priant.

S' : PETRI : DEI : GRA : EPISCOPI :

CAMERACENSIS : COMITIS

Conf. du don des dimes de Winchy (?), 1er août 1406. » (*Inventaire des sceaux de la Flandre*, t. II, p. 116. — Cf. *Sceaux de Picardie*, p. 10.)

De moneta autem nostri Petri ita scribit Robert : « Une seule monnaie cambrésienne est attribuable à Pierre d'Ailly. ✝ MONETA PETRI DEI GRATIA ; au centre, une aigle nimbée, tournée à gauche et entourée de courbes et d'angles ; des trèfles aux points de rencontre ; sous les pieds de l'aigle, trois lettres IOH, auxquelles je ne trouve aucune signification locale et qui avaient sans doute pris place dans le coin, par contre-façon d'un type étranger. » (Robert, *Numismatique de Cambrai*, p. 136.) Liceat aquilam et litteras IOH interpretari de symbolo et nomine evangelistæ Joannis, et observare antecessorem fere immediatum Alliaceni fuisse Joannem IV de T'Serclaes.

(1) *Histoire de Cambrai et du Cambrésis*, c. II, 403 et c. III, 60. Attamen *La Croix du Maine*, sæculo decimo sexto, hanc nobilem Alliaceni originem asserit, *Bibl. fr.* (Edit. 1772), p. 381 ; Max Lenz illud idem insinuare videtur, *Revue historique*, 1879, p. 464 et seqq.

dessein de dépayser les unes par les autres (1). » Audiatur etiam doctus scriptor Dupont : « Nous avons reconnu trop évidemment la mauvaise foi de cet auteur qui n'a pas craint de fabriquer quantité de lettres et d'en falsifier plusieurs en faveur de certaines familles qu'il avait intérêt d'illustrer (2). »

Ecce igitur veram Alliacenæ familiæ seriem, ex manuscriptis documentis et sepulchrorum titulis superius allatis derivatam.

I. Thomas ab Alliaco. — Joanna Havelle ejus uxor.

II. Petrus ab Alliaco. — Emmelina Havelle ejus uxor, filia Joannis Havelle.

III. Colardus seu Nicolaus ab Alliaco. — Perina, vel Peronella, vel Petronilla, ejus uxor.

IV. Petrus ab Alliaco, Cameracensis Episcopus et Cardinalis.

(1) Severum istud judicium in ipso involucro libri *Le Carpentier* qui asservatur in Bibl. nat. Paris. a Car. d'Hozier scriptum est ; illud commemorat Paulus Meyer, *Bibl. de l'Ecole des Chartes*, 23e année, t. III, 5e série, p. 132.

(2) *Histoire ecclésiastique de Cambrai et du Cambrésis*, préface.

APPENDIX SECUNDA

De primo Alliaceni ingressu in Cameracensem civitatem (1).

In nomine Domini, Amen. Cum anno ejusdem Domini, millesimo trecentesimo nonagesimo septimo indictione quinta, mensis septembris die tercia pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Benedicti divina providentia pape decimi tertii anno tercio, Reverendus in Christo pater Dominus Petrus, Dei gratia episcopus, necnon venerabiles viri domini prepositus et canonici Ecclesie Cameracensis, congregati capitulariter in loco capitulari ejusdem ecclesie plures prolocutiones et deliberationes super concernentibus jura, cerimonias, observancias, et consuetudines requisitas dum et quando Cameracensis episcopus primum suas civitatem et ecclesiam ingreditur ad invicem habuissent; idemque reverendus Pater, post hujusmodi prolocutiones dictos venerabiles de capitulo auctoritate apostolica monuisset in scriptis, ceteraque fecisset in quadam cedula contenta per eundem reverendum Patrem in dicto loco perlecta, cujus tenor sequitur in hunc modum :

« Cum nos Petrus, Dei et Apostolice Sedis gracia, episcopus Cameracensis et comes, vobis dominis de capitulo Ecclesie Cameracensis et pluribus aliis alias significaverimus quod die dominica post festum Assumptionis beate Marie ultimo transacte facere intendebamus primum nostrum introitum in civitatem Cameracensem, et hujusmodi significationem reiteraverimus die Sabbati dictam dominicam precedente nobis tunc existentibus in nostro castro de Sellis Cameraci, vobis supplicando ac vos requirendo et monendo necnon vestrum quemlibet, quantum ad ipsum pertinebat quatenus ratione dicti nostri primi et novi introitus nos reciperetis et debitum vestrum de nos recipiendo faceretis, prout plenius continetur in instrumento publico et quadam cedula papirea per nos tunc ibidem exhibita et perlecta presentibus aliquibus ex vobis ad nos specialiter per vos missis cujusquidem cedule tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis. Ego Petrus, Dei et apostolice sedis gratia episcopus Cameracensis et comes et per vos a die secunda junii in talem receptus jamdudum significavi vobis dominis de capitulo, abbatibus, scabinis et *legi* Cameracensibus, necnon et prelatis nobilibus

(1) Relationem historicam et authenticam hujus pacti damus ex documento Notarii Apostolici qui interfuit. Pactum supra indicavimus, p. 44 hujus libri.

clero et populo hujus diœcesis, quod hac die dominica crastina post Assumptionem beate Marie debebamus facere introitum meum in civitatem Cameracensem, prout est fleri consuetum et ad hoc veni et venio et me et mea ad hoc preparavi et hac occasione de omnibus partibus dyœcesis plures prelati, nobiles, clerici et populares convenerunt, et ideo ad evitandum scandalum predictarum civitatis et diœcesis offero me ad dictum ingressum meum et ad agendum omnia ad hoc requisita et consueta supplicans vobis monens et requirens vos et vestrum quemlibet, quantum ad ipsum pertinet, sub penis juris etc...., quatenus me recipiatis et debitum vestrum ad honorem Dei, ecclesie et Sancte Sedis Apostolice adimpleatis, protestans, si secus actum fuerit, de meo *interesse* etc... Et adveniente dicta die dominica ad dictum nostrum ingressum faciendum processerimus prout melius et convenientius potuimus, consideratis circa hoc considerandis, et transeundo per loca per que transeundum erat ad ecclesiam nostram Cameracensem accesserimus et tam ibi quam alibi debitum nostrum fecerimus de adimplendo cum affectu omnia et singula ad que tenebamur, tam de consuetudine quam de jure, ad causam nostri hujusmodi introitus; vosque domini de capitulo predicto, omnibus hiis non obstantibus, recusaveritis debitum vestrum facere de nobis assistendo et alia faciendo ad que tenebamini ratione dicti nostri introitus, et consequenter adveniente crastino dicte dominice ad capitulum vestrum accesserimus hora capitulari vobis tunc capitulariter congregatis et iterato et ex habundanti vobis nos obtulerimus promptos et paratos facere et adimplere omnia et singula ad que tenebamur ad causam nostri primi introitus, vosque etiam requisierimus ac etiam monuerimus quatenus nobis faceretis et adimpleretis illa, ad que facienda tenebamini ut moris est et nichilominus ut prius in recusatione vestra predicta continuastis et hucusque permansistis. Quibus omnibus consideratis, et permaxime advertentes certam clausulam litterarum apostolicarum vobis per sedem apostolicam super receptione nostra cum suis pertinentiis specialiter directarum quas vidistis et palpastis que quidem clausula circa finem earumdem litterarum sic dicit in terminis quocirca discretioni vestre per apostolicum mandamus quatenus eidem Petro episcopo tanquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes et exhibentes ei obedientiam et reverenciam debitas et devotas, ejus salubria monita et mandata recipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis. Alioquin sentenciam quam idem episcopus rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Ne valeamus per eandem Sedem Apostolicam de negligencia reprehendi aut etiam jura ecclesie nostre et nostra, quod absit, velle negligere et ad finem vos retrahendi a recusationibus predictis in nostrum magnum prejudicium factis, iterum *ex habundanti* graciose vobis supplicamus, vos nichilominus et vestrum quemlibet super hoc requirendo et monendo in his scriptis, inquam, valemus et nobis licet tam virtute predictarum litterarum apostolicarum quam aliter quatenus infra sex dierum spacium quorum dierum duos pro primo, duos pro secundo et reliquos duos dies pro tercio et peremptorum terminorum vobis universis et singulis perfigimus et etiam assignamus vos omnes et singuli quatenus ad unumquemque vestrum spectat nos quem in episcopum ecclesie Cameracensis canonice ad eandem ecclesiam recepistis et admisistis reverenter et debite prout tenemini pertractetis faciendo omnia et singula de jure et consuetudine nostris predecessoribus fieri solita, nobisque assistendo in consiliis prestandis et auxiliis et presertim in magnis et arduis nos honorem nostrum, episcopalemque ecclesiam Cameracensem, ejus libertates, jura et negocia

concernentibus, requirendo etiam vos et quemlibet vestrum ad monendo sub penis subscriptis et in virtute sancte obediencie, quatenus campana vestri campanilis que pulsari consuevit de vespere quoties episcopus Cameracensis presentialiter adest Cameraci pulsetur, eamque pulsari permittatis ut moris est, cum simus parati et nos ad hoc offerimus prout et alias obtulimus de faciendo quoad hoc quod in nobis est, quicquid propter hoc facere debebimus. Quod si forte, quod absit, premissa omnia et singula non adimpleveritis, aut aliquid in contrarium per vos vel aliquem vestrum, publice vel occulte, directe vel indirecte feceritis, vel hujusmodi nostris primo verius apostolicis mandatis et injonctionibus non parueritis plene et cum effectu, nos in vos singulos canonicos et personas dicti capituli et generaliter in omnes alios contradictores quoslibet et rebelles ac in contrarium facientes, quominus hujusmodi nostre monitiones plenum sortiantur effectum, ex nunc prout ex tunc singulariter in singulos in his scriptis excommunicationis, in capitulam vero suspensionis et in ecclesiam Cameracensem interdicti sentencias ferimus et etiam promulgamus et preter has sententias quantum de jure alias poterimus et nobis licebit contra vos nichilominus et vestrum quemlibet prout casus requiret procedemus et procedi faciemus. »

Predictique venerabiles prepositus et canonici reverendo patri antedicto respondissent quod de contentis in ipsa monitione sibi responderet infra terminum juris in eadem monitione prefixum cunctis pateat evidenter quod eisdem anno indictione et pontificatu dicti vero mensis die quinta, congregatis capitulariter in loco capitulari predicto prefatis reverendo patre et venerabilibus dominis preposito et canonicis venerabilis et circonspectus vir magister Galterus de Bellovisu alter ipsorum dominorum capitulancium de mandato et ex commissione ejusdem capituli sibi factis verba súa dirigens prefato reverendo patri dixit quod nomine ipsius capituli super monitione et aliis in dicta cedula contentis eidem reverendo patri dabat responsum in quadam cedula quam ibidem perlegit cujus tenor talis est.

« Nobis reverendo patri et domino domino P. Dei gracia Cameracensi episcopo et comiti qui nuper videlicet die tercia mensis septembris presentis nobis in loco isto capitulari ecclesie Cameracensis congregatis post plura verba concernentia statum vestrorum episcopatus et comitatus auctoritate apostolica in ea parte commissa in scriptis fecistis et pronunciastis quasdam monitiones quas hic haberi volumus pro insertis respondemus quod, salva reverencia vestra, nunquám recusavimus debitum nostrum erga vos facere, sed aliqua forsan non de essencialibus quamquam pertinentiis seu cerimonialibus adimplere distulimus et plurima a vobis exigere ad que nobis tenebamini, non in Apostolice Sedis aut persone vestre contemptum, sed propter nobis imminentia pericula indignationum principum bene verisimilia vobis nota, et que metum intulerunt qui cadere potuit in viros constantes. Affectionem ad personam et statum vestrum nichilominus gerentes, ob Dei et Apostolice Sedis reverenciam que decebat fuimusque et sumus parati et nos offerimus mandatis Apostolicis tanquam devoti filii obediencie parere efficaciter et humiliter obedire, vobisque in omnibus in quibus de jure more et consuetudine approbatis tenemur respondere et satisfacere, salvis tamen nostris exemptionibus, privilegiis, juribus, libertatibus et consuetudinibus. Et ea propter obtemperando mandatis apostolicis quibus fungimini in hac parte et non aliter aut alias consentimus quod, precedente ydonea cautione et sufficienti per vos prestanda, quia per expressum hoc inseruistis in vestra apostolica monitione, et ad evitandum penas in singulos nostrum capitulum et ecclesiam apostolica auctoritate cominatas licet cum formidulo et metu

indignationum ut supra, quod campana pulsetur ut requisistis etiam sero diei presentis et infra tempus monitionis apostolice antedicte terminum assignatum, de quibus petimus nobis fieri publicum instrumentum. »

Responsionemque hujusmodi prefatus reverendus pater gratam habens, obtulit et promisit facere et adimplere omnia et singula ad que de jure, usu et consuetudine suorum predecessorum tenebatur. Quibus sic actis venerabilis vir Dominus Guillelmus Loghen etiam alius dictorum Dominorum capitulancium officiumque magni ministerii tunc gerens, cum reverendo patre antedicto locum campanilis approximans premissis per eum protestationibus in responsione per perfatum magistrum Galterum factis de mandato dictorum dominorum capitulancium sibi facto, campanam que *Gloriosa* (1) vocatur per traditionem corde ejusdem dicto reverendo patri deliberavit, quam ipse reverendus pater apprehendens traxit et trino pulsu dictam campanam sonare fecit ipsamque campanam pro sana et integra reputavit et recepit.

Promisitque medio juramento per eum tunc ibidem prestito quod si contingeret campanam predictam in actu depulsationis ejusdem, que propter suam presentiam in civitate Cameracensi fleret, cassari, rumpi, frangi, seu quolibet deteriorari, ipse aliam campanam tanti valoris Ecclesie Cameracensi vel dictis dominis de capitulo pro eadem redderet et restitueret, aut dictos dominos de valore ejusdem contentaret ita quod eadem ecclesia et ipsi de capitulo indempnes remanerent, quodque alia onera omnia et singula ad hoc pertinentia supportaret suis sumptibus et expensis. De quibus omnibus et singulis sic ut premittitur actis prefati magister Galterus et Dominus Guillelmus nomine capituli et Ecclesie Cameracensis predictorum petierunt et eorum quilibet sibi fieri publicum instrumentum unum seu plura publica instrumenta sub astantium testimonio personarum. Acta fuerunt hec tam in loco capitulari predicto quam juxta campanile dicte Cameracensis Ecclesie, anno, indictione mense die et pontificatu quibus supra, presentibus ibidem venerabilibus et discretis viris dominis et magistris Guidone Marcoul licentiato in legibus, Egidio de Dullendio magistro in artibus et medicina, Radulpho Presbiteri canonico Noviomensis, dicti domini episcopi familiaribus, necnon dominis Johanne de Barly magno vicario, Johanne Hulbardi, Egidio de Bosco, Henrico Constant, Johanne de Prat et Petro Acar, capellani Ecclesie predicte Cameracensis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Johannes de Pontisara presbiter Noviomensis diocesis, publicus auctoritate apostolica et imperiali notarius, quia premissis omnibus et singulis dum sic agerentur et fierent una cum prenominatis testibus presens interfuit, ideo presens publicum instrumentum inde confeci, signo que meo solito signavi in testimonium veritatis omnium et singulorum premissorum requisitus et rogatus (2).

(Archives de Lille, *fonds de la cathédrale de Cambrai,* carton n° 58, original en parchemin.)

(1) « La cloche nommée « *Aldegonde* » fut brisée en 1396 sous André de Luxembourg. Le chapitre la remplaça par une autre nommée « *Glorieuse* », mais il fit contracter à l'évêque, le 17 juillet, l'obligation de réparer toute cloche qui serait cassée pour son service spécial. » (*Chronique de Baldéric*, Edit. Le Glay, Notes, p. 467). — Cf. Bouly, *Dictionnaire historique,* p. 103.

(2) Historicum istud documentum in acceptis referimus erudito æque ac amabili viro Canonico Christiano Dehaisnes, tunc Archivii Insulensis præfecto, nunc vero Archigymnasii catholici a secretis.

APPENDIX TERTIA

De anno mortis Petri ab Alliaco

Historici viri hac de re fere omnes (1) cœcutierunt, et epochas longe discrepantes adoptarunt, uti sequens tabula indicabit, in qua varii anni referuntur quibus auctores ibidem enumerati mortem Alliaceni adscripserunt.

1416

Trithemius. — A. Pouillonius.

1419

Foppens. — Moreri. — Desessarts. — Chauffepié. — Feller. — Hefele.

1420

Moreri. — Lelong. — Gams. — L. Foulon. — Paquot. — Dupont. — Chauffepié. — Michaud. — Dinaux. — Bouly. — Brunet. — Hergenrœther. Tschackert.

1424

Raissius. — Jean de Ligne. — Léandre de Saint-Martin.

1425

Launoy. — Ellies-Dupin. — Oudin. — Bayle. — Fabricius. — Ladvocat. — La Croix du Maine. — Lelong. — Anselme et du Fourny. — Auctores *Gal. Christ.* — Fleury. — Wharton. — Ciacconius. — Noel Alexandre. — D. Gilleson. — D. Grenier. — Potthast. — Christ. Saxus. — Alb. Ch. de Carondelet. — Brunet. — Pameyer. — Alzog. — Franck. — Moroni. — Hauréau. — Brugère. — Haberl.

1426

G.-J. Eggs. — Bellarmin. — Possevin. — G.-J. Vossius. — Lenfant.

1429

Moroni. — Haberl.

(1) « C'est une chose étrange qu'un homme de ce rang et de cette distinction soit mort sans qu'on sache au juste ni où, ni en quelle année, » scribit Petrus Bayle, *Dict. historique et critique*, t. I, art. d'*Ailly*.

At dies nona augusti 1420, id est vigilia Sancti Laurentii, fuit Alliaceno summa, uti patet ex nonnullis quæ nunc commemoranda sunt monumentis. Stupendum esset Cameracensem Cardinalem, qui tot et tanta in regno et in Ecclesia adimplevit munera, nullam de se reliquisse mentionem ab anno 1420 ad annum 1425 et a fortiori 1429. Quis credat talem episcopum, qui toto vitæ suæ curriculo verum fuit strenuitatis et diligentiæ prodigium, nullum opus scripsisse, nullam magni momenti rem tractasse, prædictis illis annis? Atqui hoc admittendum erit, si mors Alliaceni serius quam anno 1420 ponatur (1).

Sed argumenta nobis adsunt positiva.

1° Actus capituli generalis Carthusianorum, qui ita habent ad annum 1420 : « Defunctus est Cardinalis presbyter Cameracensis, pro quo fuit in toto ordine celebratum unum tricenarium defunctorum (2). »

2° Gersonii textus iste anno 1421, mensu januarii scriptus : « Venit in mentem dictum triplex *præclarissimæ memoriæ* Præceptoris mei Domini Cameracensis : « Expertus sum, inquit.... (3) »

3° Monumentum quod in publico Insulensi Archivio invenimus, et cujus præcipuam partem oculis lectorum subjicimus :

« Universis presentes litteras inspecturis, decanus et capitulum ecclesie Cameracensis, salutem in eo qui est vera salus. Dudum a bone memorie domino P. quondam Cameracensi episcopo qui tunc ecclesie nostre presidebat et qui postmodum in Sancte Romane Ecclesie Cardinalem fuit assumptus, septingentas libras Turonenses pro redditibus acquirendis ad opus unius obitus pro eo celebrandi recepimus, ac inter cetera sibi concessimus quod quamdiu viveret certa die tunc expressa celebraretur in ecclesia nostra missa sollempnis de Trinitate cum pulsatione et assizia luminaris et distributione sexdecim libris Turonensibus suis sumptibus si redditus non forent empti; et post ejus decessum missa predicta in obitum sollempnem expensis ecclesie mutaretur. Et nonnulla alia ab eo recepimus, et certa alia in litteris nostris patentibus quibus presentes sunt annexe designata, eidem domino graciose concessimus que promisimus fideliter observare prout in eisdem litteris plenius continetur. Et deinde, redditibus hujusmodi nondum acquisitis, castrum *Male Domus* (5) ad ecclesiam Cameracensem pertinens per nonnullos, timore domini postposito, minus juste fuit captum; nosque pro ipsius redemptione et recuperatione gravia, labores, interesse et expensas, etiam et super concanonicos nostros impositas tallias ac dampna alia sustinuimus. Demum pretendentes castrum predictum ex negligencia, et culpa, malaque custodia a dicto domino episcopo fuisse raptum, prefatas septingentas libras in recuperatione dicti castri cum aliis gravibus pecuniarum summis exposuimus, et subsequentes prefato domino episcopo tunc Cardinali sicut domino placuit vita

(1) Quædam certe post annum 1420 ei attribuit Launoy, sed absque ullo solo fundamento; *Reg. Navarræ Gymn. Paris. Historia*, pp. 513 et seqq. — *Gallia Christiana*, t. I, p. 780. — Cf. supra, p. 138.

(2) Martène et Durand, *Thesaurus*, t. II, p. 1383.

(3) In opp. Gersonii, t. III, col. 186.

(4) De hoc castro, quod inter vicum quem dicunt *Ors* et *Castellionem* non procul a Cameracesii Castello situm erat, cf. Dinaux, *Notice hist. et litt.*, p. 55; Dupont, *Hist. ecclés. de Cambrai*, t. II, p. 55; Monstrelet, *Chroniques*, l. II, cap. XLII. (Edit. Buchon, pp. 586 et seqq.)

functo venerabiles viri magister R. (adulpho) Presbiteri (1), archidiaconus Hanonie, et dominus N. (icolao) Labende (2), concanonici nostri executores testamenti prefati domini, episcopi Cardinalis, cupientes saluti anime ipsius Domini providere et obitum predictum ad perpetuam rei memoriam in ecclesia nostra ut premittitur celebrari, aliaque in prefatis litteris contenta observari, et nos et ecclesiam nostram aliqualiter relevare, pacemque et concordiam inter nos et ipsos ac amicos ipsius quondam domini emittere ut contenta in prefatis litteris compleantur, caritative ac amicabiliter preter premissa nobis obtulerunt et realiter tradiderunt ea que secuntur, videlicet quamdam crucem argenti cum crucifixo una cum pomello et pede ad hoc deservientibus deaurato pondere sexdecim marcharum cum dimidio; item duas pelves argenti cum veronica.... (3)

» Nos igitur decanus et capitulum ipsorum executorum oblationes, traditiones et donationes pretactas sic ecclesie nostre liberaliter et generose, pieque et devote factas cum omni begnivolencia et graciarum actione recepimus et ea consideratione aliisque rationabilibus motivis inducti omnia dampna, expensas, taillationes per nos ecclesiamque nostram Cameracensem facta, sustenta et habita, factas, sustentas et habitas occasione redemptionis dicti castri *Male Domus* et pertinentiarum ac dependentium, ejusdem remittimus, quittamus et omnino abolemus. Et exinde dictum Dominum, ejus executores, heredes et successores quictavimus et quittamus penitus et omnino, obitumque predictum de cetero in perpetuum dicto quinquennio transacto, ut supradictum est, in vigilia beati Laurentii martiris vel die propinquiori ad hoc apto expensis ecclesie nostre celebrare cum omnibus circunstantiis et clausulis in predictis litteris nostris quibus presentes sunt infixe, atque omnia in ipsis litteris contenta fideliter adimplere promittimus. Et nos Radulphus Presbiteri, archidiaconus Hanonie, et Nicholaus Labende canonici Cameracensis ante nominati, ipsius domini Cardinalis Cameracensis executores, præmissis attentis nomine executorio predicto pro nobis et aliis coexecutoribus nostris ac etiam dicti quondam domini Cardinalis heredibus prefatos venerabiles et circumspectos viros dominos decanum et capitulum Ecclesie Cameracensis Ecclesiamque predictam et eorum succesores de septingentis libris Turonensis superius enarratis sic per dictos dominos decanum et capitulum in redemptione dicti castri *Male Domus* conversis perpetuo quittavimus et quitamus. In quorum omnium et singulorum premissorum testimonium nos decanus et capitulum Ecclesie Cameracensis sigillum magnum Ecclesie nostre. Et ego Radulphus Presbiteri, pro me et dicto domino Nicolao, nomine executorio sigillum meum una cum signo manuali notarii publici subscripti presentibus nostris litteris duximus apponenda. Datum et actum

(1) Jam de isto Radulpho Alliaceni nepote diximus (p. 46). Anno 1401, obtinuit nonam præbendam liberam in ecclesia metropolitana, et postea factus est præpositus 26 die febr. 1408; resignavit 4 die martii ejusdem anni. Archidiaconus Hannoniæ creatus fuit 13 die maii 1420. Non confundatur cum alio Radulpho (Leprêtre), qui junior vocabatur, item Canonico Cameracensi. Interfuit ille posterior Concilio Pisano et obiit diaconus anno 1443. De duobus istis Alliaceni affinibus cf. de Carondelet, *Mémoires historiques et chronologiques,* Ms. in Bibl. Cameracensi, n. 1133. — Loquitur etiam eruditus iste vir de Roberto d'Ailly, et de Petro Leprêtre, qui ambo fuerunt Cameracenses Canonici; prior anno 1493, posterior anno 1444 defunctus est. An fuerint de gente Petri nostri, incertum.

(2) Petro Alliaceno in canonicatu successit, an. 1418. E vita migravit anno 1426. (De Carondelet, *op. cit.,* p. 165.)

(3) Hic seorsim enumerantur diversa objecta ab executoribus testamentariis Capitulo oblata.

Cameraci in capitulo ecclesie Cameracensis prediete *anno Domini millesimo quadringentesimo vicesimo primo*, more ecclesie gallicane septo, indictione quinta decima, die vero septima mensis aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris et Domini nostri, domini Martini divina favente clementia, pape quinti, *anno quinto* presentibus in hoc discretis et honestis viris dominis Micaele de West, Johanne de Porta et Johanne de Poix, presbiteris in Ecclesia Cameracensi cappellanis testibus ad premissa vocatis specialiter rogatis (1). »

4° Habemus tandem narrationem a coævo, scilicet a Joanne Le Robert (2), scriptam, cujus auctoritas litem absolute dirimit.

« L'an 1420, Monsieur le Cardinal de Cambrai Pierre d'Ailli trépassa la nuit de S. Laurent; puis fut porté son corps à Cambrai et son service fait en l'Eglise N.-D. moult reveremment le corps présent le 6 d'Aoust *1422* (3). Les Vigiles et lendemain la Messe et y furent toutes Eglises et les Curés et ceux de Cantimpré et les Cordeliers et les enfans, et en furent priés par les Exécuteurs dudit Defunt et dirent les Eglises de leur volonté Vigiles et Messes à N.-D. chacun par lui et on donna à chacun College IV ecus et dirent tous Prêtres séculiers Messes s'il leur plut et eurent pour ce trois Solas qui valoient trois sols trois deniers et on donna aux Pauvres moult belles aumosnes d'argent. Le corps du Cardinal fut premier mis en un luisel et porté à S[t] Geri en une chapelle dont le jour qu'on fit les Vigiles à N.-D. toutes les Eglises s'assemblerent et allerent en procession a l'encontre du corps jusqu'aux degrés de S[t] Géri, la l'avoient portés six Chapelains et quatre Chanoines tenoient le drap, et la le reçurent six Chapelains de N.-D. et quatre Chanoines de ladite Eglise tenoient le drap d'or qui étoit dessus et l'apporterent à N.-D. la procession devant et les Abbés de S. Aubert, de S. Sepulcre, de Cantimpré, du Mont-S.-Martin. Il y avoit autour du corps vingt-quatre flambiaux que douze Fievés (4), et douze notables Bourgeois portoient. Item douze torses devant que douze des Bons-Enfans portoient. Le corps apporté à l'Eglise fut mis au milieu de Nef. La avoit a l'Estableau douze gros cirons de douze livres chacun avec les flambiaux dessus et par toute l'Eglise avoit cirons sur les chandeliers et fut la somme de la cire ouvrée 700 livres et furent allumées les trois couronnes, et à la Messe fut le corps mis au cœur, fut porté après et mis dessous le petit autel de l'Eglise de N.-D. bien réveremment (5). »

(1) « Archives de Lille, *Fonds de la cathédrale de Cambrai*, carton n° 61. Original en parchemin scellé, attaché à une pièce de 1402. »

(2) Erat abbas monasterii Sancti Autberti Cameracensis. Scripsit *Memoralia* quæ maximi sunt momenti usque ad annum 1468.

(3) Cur duobus tantum annis post Alliaceni mortem ejus exuviæ ab Avenione Cameracum tandem delatæ fuerunt incertum est; forsitan propter regni perturbationes, ingruentia undique bella et tam longæ tamque arduæ viæ difficultates.

(4) « Officiers de l'évêque dont l'office était érigé en fief. » Bouly, *Dictionnaire historique de Cambrai*, p. 174; Dupont, *Histoire ecclésiastique de Cambrai*, t. I, partie 3°, p. 58.

(5) Dupont, *op. cit.*, t. II, part. 5°, note 7, Appendice; Dinaux, *Notice hist. et litt.*, p. 85; *Mémoires de la Société d'émulation de Cambrai*, 1825, p. 282.

APPENDIX QUARTA

Petri Alliaceni sepulchrum

Jam anno 1399, sub altari quod dicebatur *de Requiem*, monumentum sibi paraverat Petrus Alliacenus (1). Ita illud describit J. Houdoy : « Sur la pierre qui recouvrait le caveau destiné à sa sépulture, Pierre d'Ailly se fit représenter couché et revêtu de ses habits pontificaux. Il fit de plus sculpter, au fond du chœur, trois bas-reliefs : *Jésus dans les eaux du Jourdain*, — *Saint Jehan-Baptiste*, — *Saint Pierre*, — et il inscrivit un distique latin sous chacune de ces trois sculptures.

» L'œuvre du tombeau terminée, et pour compléter la décoration, Pierre d'Ailly fit exécuter au fond du chœur des travaux d'ornementation dont j'ai reproduit le marché. Il s'agissait de faire à la grande châsse de l'église un tabernacle digne d'elle. Ces travaux de maçonnerie et de sculpture furent adjugés, en 1399, à Maître Jacques de Brabant, *imaginier;* mais la mort l'empêcha de les exécuter, et il fut remplacé par un autre artisan, Maître Tuscap, exerçant la même profession. Ce dernier construisit, suivant le devis, *un rencorbeillement rempli de fuelles*, et il sculpta, au-dessus de l'autel de Saint-Jehan-Baptiste, à l'intersection des arcs ogives, une clef de voûte représentant une Véronique. Après le sculpteur vint le peintre; Me Matthieu *illumina* le tabernacle de la fierte, peignit de chaque côté un ange en adoration, et sema la voûte et les piliers de l'autel de petits *Agnus Dei* d'or. C'est dans ce tabernacle ainsi décoré, que fut déposée la grande châsse d'argent dont j'ai reproduit la description. Ainsi placée en hauteur dans l'axe du chœur, elle dominait le grand autel dont elle complétait la décoration. Pour en finir avec la *fierte*, je dirai ici que, quelques années plus tard, en 1422, Gilles du Bois, le jeune, la fit entièrement redorer à ses frais par un orfèvre de Valenciennes, nommé Nicaise Loiseleur, et que, le dimanche de la Trinité de la même année, l'évêque Jehan de Lens, successeur de Pierre d'Ailly, replaça en grande pompe dans cette châsse les reliques qui, d'après le procès-verbal de cette cérémonie, n'avaient point été visitées depuis deux cents ans....

» Quand Matthieu de West eut terminé les peintures dont j'ai parlé plus haut, l'évêque le chargea d'exécuter à ses frais, au-dessus des stalles, sur les

(1) Houdoy, *Hist. artistique de la cathédrale de Cambrai*, pp. 170 et 172.

murs latéraux du chœur, d'un côté les douze Apôtres et de l'autre les douze Prophètes (1). »

Sed ab anno 1717 ad 1726, hæc fuerunt deturpata seu potius vastata.

« Les actes capitulaires et les comptes de la Fabrique nous ont conservé l'histoire du vandalisme inconscient du chapitre. Le tombeau de Pierre d'Ailly, celui de Jehan de Lens, le fastueux mausolée de Jehan de Bourgogne et bien d'autres, furent brisés ou vendus; et l'on estime à plus de trente mille livres la somme produite rien que par la vente des bronzes du jubé et des tombeaux. Ce n'est pas assez! il fallait faire tomber à flots la lumière dans l'église « embellie; » la vitre remplaça les vitraux peints, et la brosse des badigeonneurs couvrit d'un lait de chaux éclatant les assises de pierre de taille et les peintures, dont quelques-unes remontaient au XIVe siècle, tandis que les peintres *décorateurs* ornaient le circuit du chœur « d'une belle imitation de marbre (2). »

» La part de la succession du Cardinal Dubois, mort intestat, fut employée à payer une partie des frais qu'entraîna la *modernisation* de la cathédrale. »

Excidium et ruina ad imum usque perducta sunt sub fine ejusdem sæculi. Alliaceni ossa ubi nunc jaceant, nescitur. Templum horribiliter vastatum venditum fuit, die sexta junii 1806, ut destrueretur : etiam periere ruinæ.

In villa Mazinghien, non procul a Castello Cameracensi, superest tamen aliud Petri monumentum, non indignum quod describatur : « La pierre qui représente le Cardinal sert aujourdhui de devant d'autel au Calvaire. Elle a 1 mètre 85 de longueur sur 82 centimètres de hauteur. Sept niches ont été pratiquées pour des bas-reliefs. Dans la bordure du bas on lit une inscription en lettres gothiques : *Virgo parens Christo Salvatori, esto pia Petro servitori.* Tout autour de la pierre le reste de la bordure est orné d'un bel encadrement de feuillage. Les cinq niches du milieu ont perdu leurs sculptures. La niche de gauche représente un évêque à genoux, les mains jointes et la mitre en tête, c'est le *Petrus* de l'inscription. On peut y voir un portrait de Pierre d'Ailly; son visage est rond, régulier, imberbe; deux petites rides marquent son front. Derrière la statue se trouve saint Pierre soutenant d'Ailly de la main droite; son bras gauche passant derrière la tête de l'évêque laisse apercevoir la main portant deux clefs. Dans la dernière niche à droite, on voit saint Paul, tenant en main un long rouleau. Toute cette sculpture est admirable et très bien conservée. Il est probable qu'elle a été exécutée du temps même du grand Cardinal. Les évêques de Cambrai possédaient d'importantes propriétés à Mazinghien, paroisse dont ils avaient la seigneurie. Il ne faut donc pas s'étonner d'y trouver un souvenir d'un évêque de Cambrai. C'est en démolissant l'église bâtie en 1622 sur les ruines d'une église plus ancienne, que l'on a trouvé cette magnifique sculpture. Il est probable que cette pierre provient de l'église primitive qui existait du temps de Pierre d'Ailly (3). »

(1) Houdoy, *op. cit.*, pp. 53 et seqq.

(2) *Ibid.*, pp. 146 et 147.

(3) Documentum istud debeo scientiæ simul ac benevolentiæ docti viri J. Desilve, nunc parocho in Quarouble.

INDEX

operum quæ consuluimus

I. — Ad historiam.

AUBRELICQUE. — *Le Cardinal d'Ailly*, Etude biographique. Bull. de la Soc. histor. de Compiègne, 1869, t. I, p. 150.

BAYLE. — *Dictionnaire historique et critique*, 1741, t. I., p. 116. (In indicem libr. prohib. relat. 22 dec. 1700.)

BELLARMINUS. — *De Scriptoribus ecclesiasticis*, Edit. 1678, p. 286. — *De Conciliis et Ecclesia*, Edit. 1601, Parisiis, t. II, p. 2. — *De Romano Pontifice*. — Ibid.

BOULY (EUGÈNE). — *Notice sur le Cardinal P. d'Ailly*. Cambrai, Carpentier, 1847.

BRUCKER (JACOBUS). — *Historia critica philosophorum*, t. III, p. 856; t. VI, p. 610. Edit. 1783. (Libr. prohib. 28 jul. 1755.)

BULÆUS (EG. DU BOULAY). — *Historia Universitatis Parisiensis*, 1665-1673, præsertim, t. IV et V.

CARONDELET. — *Mémoires historiques et chronologiques*, Ms. in Bibl. Cameracensi, n. 1133.

CAVE. — *Scriptores ecclesiastici*, t. II, 2. p., p. 81. (Lib. prohib., 22 dec. 1700.)

CHRISTINE DE PISAN. — *Livre des fais et bonnes mœurs du sage roi Charles V*. — *Livre des fais du mareschal de Boucicaut*, invenitur in *Mémoires sur l'Histoire de France*, 1re série, t. V et VI.

CIACCONIUS. — *Historia Pontificum Romanorum et Cardinalium*, t. II, p. 799.

CREVIER. — *Histoire de l'Université de Paris*. 7 vol. in-12, Paris, 1761.

DINAUX (ARTHUR). — *Notice historique et littéraire sur le Cardinal Pierre d'Ailly*, Cambrai, 1824. Idem opus in periodico : *Mémoires de la Société d'émulation de Cambrai*, 1825, p. 207.

DUPIN (LOUIS-ELLIES). — *Nouvelle Bibliothèque des auteurs ecclésiastiques*,

t. XII, p. 63, a. 1700. (Lib. prohib., 10 mars 1757.) — *Table universelle des auteurs ecclésiastiques*, p. 798. — *Histoire des controverses et matières ecclésiastiques*, xve siècle, p. I, p. 217.

Dupont. — *Histoire de Cambrai et du Cambrésis*, t. II, p. 30.

Eggs (Josephus). — *Purpura docta*, l. III, p. 5.

Fabricius. — *Bibliotheca latina medii ævi*, t. V, p. 224, Florentiæ, 1858.

Foppens. — *Bibliotheca belgica*, t. II, p. 949. Edit. 1739. — *Délices des Pays-Bas*, t. III, p. 283.

Froissart (Jehan). — *Chroniques*, t. XVI. Edit. Kervyn de Lettenhove, Bruxelles, 1872. — *Poésies*, Edit. A. Scheler, 3 vol., Bruxellis, 1872.

« Gallia Christiana, » t. I, II, III, XIII, XVI.

Gerson (Joannes de). — *Opera*. Edit. Richer, Parisiis, 1606, 4 vol. — Edit. Ellies-Dupin, Antwerpiæ, 1706, 5 vol. Revera hæc editio quæ priori est perfectior a R. P. Lud. d'Héronval canonico regulari, fuit præparata, et Amstelædami, curante Lud. de Lorme, typis mandata est.

Grenier, O. S. B. — *Analecta juris pontificii*, 7bris 1876.

Hain. — *Repertorium bibliographicum*, t. I, n° 831.

« Histoire littéraire de la France, » t. XXIV et passim.

Houdoy (Jules). — *Histoire artistique de la cathédrale de Cambrai*, Paris, 1880.

Juvénal des Ursins. — *Histoire de Charles VI*, Panthéon littéraire; *Choix de chroniques*.

Kervyn de Lettenhove — *Froissart. Etude littéraire sur le XIVe siècle*, 2 vol. in-12, Paris, 1857.

Labbæus (Philippus). — *De Scriptoribus ecclesiasticis*, t. II, p. 179.

La Croix du Maine et du Verdier. — *Biographie française*, t. I, p. 245, t. III, p. 95, t. V, p. 230. Edit. 1772.

Launoius (Joannes). — *Regii Navarræ Gymn. Paris. Historia*, p. III Operum omnium, t. IV, p. 1. Edit. 1732. Col. Allobrog. — *Epistola ad Gerbasium* et passim.

Leber (C.). — *Collection des meilleures dissertations, notices et traités particuliers relatifs à l'Histoire de France*, 6e partie, t. XV, passim.

Lecoy de la Marche. — *Histoire de la prédication au moyen âge*. 2e édit. Paris, Laurens, 1886.

L'Ecuy. — *Essai sur la vie de Jean Gerson*, 2 vol., Paris, 1832.

Lefebvre (dit Faber). — *Documents relatifs à Pierre d'Ailly*. Revue des Sociétés savantes, 1868, 2e semestre, 4e série, t. VIII. p, 130. Quæ documenta in monasterio Sancti Juliani Cameracensis inventa fuerunt.

Le Glay. — *Manuscrits de la bibliothèque de Cambrai*. — *Recherches sur l'église métropolitaine*, passim. — *Cameracum Christianum*, 1849, Lille, Lefort.

Lenglet-Dufresnoy. — *Catalogue des principaux historiens*, augmenté par Mencke. Edit. 1714.

Lenz (Max). — *Revue historique*, t. IX, p. 464, 1879.

Meunier (Francis). — *Essai sur la vie et les ouvrages de Nicole Oresme*, Paris, Durand, 1857. Thèse de doctorat.

Miræus (Albertus). — *Scriptores ecclesiastici*, p. 454.

Monachus Sancti Dionysii. — *Chronica Caroli VI*. Collection de documents inédits sur l'Histoire de France, 1839, 6 vol.

Monstrelet (Enguerrand de). — *Chroniques*, t. I, ch. 52. Panthéon littéraire; *Choix de Chroniques*, 1836.

Montfaucon. — *Bibliotheca bibliothecarum manuscriptorum nova*, Paris. 1739, 2 vol.

Morbri. — *Grand dictionnaire historique*, t. I, p. 232.

Moroni. — *Dizionario di erudizione*, t. III, 309; t. VI, 247; t. XVIII, 146; t. LXX, p. 300 et passim (1840-1861).

Munck (A.). — *Nicolas de Clamenges*, Thèse de théologie présentée à la faculté protestante de Strasbourg, 1846. Berger-Levrault.

Natalis (Alexander). — *Historia ecclesiastica Veteris Novique Testamenti*, t. XV, p. 248.

Oudin (Casimirus). — *Scriptores ecclesiastici*, t. III, p. 2293. Lib. prohib., 18 Julii 1719.

Pameyer (Georges). — *Pierre d'Ailly, sa vie et ses ouvrages*. Thèse présentée à la faculté de théologie protestante de Strasbourg, 30 p. in-4°, 1840.

Possevin, (S. J.). — *Apparatus Sacer*, t. III, p. 32. — *Bibl. selecta*, p. 272.

Potthast. — *Bibliotheca medii ævi*, p. 545.

Raissius (Arnaldus). — *Belgica Christiana*, l. II.

Sanderus (Ant.). — *Bibliotheca belgica*, p. 155 et passim. Insulis, Leclercq, 1641.

Saxus (Christophorus). — *Onomasticon litterarium*, t. II, pp. 388, 573.

Schwab (Johann Baptista). — *Johannes Gerson, Professor der Theologie und Kanzler der Universität Paris*, 1 vol., Würzburg, 1859.

Sixtus Senensis. O. PR. — *Biblia sancta*. V. Annot. 15 et 81; VI. Annot. 10. *Quæstiones curiosæ*, t. II.

Struvius. — *Bibliotheca historica*, Iena, 1740.

Swertius. — *Athenae Belgicae*, p. 398.

Thevet (André). — *Pourtraicts et vies des hommes illustres*, an. 1584, p. 508.

Thomas (Antonius). — *De Joannis de Monsterolio vita et operibus*, Thèse de doctorat, Thorin, 1883.

Thomassy. — *Jean Gerson et le grand schisme d'Occident*, 1 vol., 2e édit., 1852.

Trithemius. — *De Scriptoribus ecclesiasticis*, f. CLIV, verso. Edit. Rembolt, Paris, 1494.

Tschackert (Paul), licenciat und Privat docent der theologie in Breslau. — *Peter von Ailli*, Gotha, Perthes, 1877, 1 vol. — *Petrus Alliacenus*, Dissertatio historico-theologica ad licentiati in theologia honores rite impetrandos. Vratislaviæ, 1875.

Vossius (Gerardus). — *De Historia lat.*, p. 548. — *De Scientiis mathem.*, XXXV, p. 182.

II. — Ad doctrinam.

ALMAINUS (JACOBUS). — *De Dominio naturali, civili et ecclesiastico*, in opp. Gersonii, t. II, col. 961 ; — *De Auctoritate Ecclesiæ et Conciliorum generalium*, ibid, t. II, col. 976.

ALTENSTAIG (JOANNES). — *Lexicon theologicum*, Venetiis, 1579.

ARIMINIENSIS (GREGORIUS). — *Commentaria in Sententias*, Val. 1500.

ARNAULD (ANTOINE). — *Eclaircissements sur l'autorité des conciles généraux et des papes*, ou explication du vrai sens des trois décrets des sessions IV et V du concile général de Constance contre la dissertation de Schelstraete (1701), 1 vol. in-8°. (Lib. prohib., 7 februarii 1718.)

BALLERINI. — *Jus et officium episcoporum in ferendo suffragio pro infallibilitate*, Romæ, 1870.

BALUZIUS (STEPHANUS). — *Miscellanea*, Paris, 1683, t. IV, p. 531 et seqq.

BARONIUS (CÆS.). — *Annales ecclesiastici*, t. XXVII, Barri-Ducis, 1864.

BONNECHOSE (EMILE DE). — *Jean Hus et le Concile de Constance*, 2 vol. Paris, Cherbuliez.

BOUIX (D.). — *Tractatus de Papa ubi et de Concilio œcumenico*, 3 vol., 1870.

BOURGEOIS DU CHASTENET. — *Nouvelle histoire du Concile de Constance*, Paris, 1718, Preuves, pp. 149 et seqq.

BOURRET (ERNESTUS), nunc Ruthenensis episcopus. — *Essai historique et critique sur les sermons français de Gerson*, 1858.

BOSSUETIUS. — *Defensio declarationis Cleri Gallicani*, l. X, c. 12 (alias XIV c. 12); — *Appendix ad defensionem*, l. I, c. 5.

BRANDON (JEAN) monachus Dunensis. Ejus chronicæ leguntur in libro cui titulus est : *La Belgique sous la domination des ducs de Bourgogne*, text. lat., t. 1. p. 188, Bruxelles, 1870.

BREVISCOXA (JOANNES). — *Tractatus de fide et Ecclesia, Romano Pontifice et Concilio Generali*, in opp. Gersonii, t. I, col. 805.

CHARLES (EMILE). — *Roger Bacon, sa vie, ses ouvrages, ses doctrines*, 1 vol. Paris, 1861.

CHRISTOPHE. — *Histoire de la papauté au XIV° siècle*, t. III.

CLAMENGIIS (NICOLAUS DE). — *Opera omnia*, Edit. Lydii, Lugduni Batavorum, Elzevir, 1613. (In ind., donec corrigantur, ind. Trid.)

D'ACHERY. — *Spicilegium, sive collectio veterum aliquot scriptorum*, t. I, et passim, Paris, 1723.

D'ARGENTRÉ. — *Collectio judiciorum*, passim, sed præsertim, t. I. Lut., Paris, 1736.

DOUAIS, professeur à l'Institut catholique de Toulouse. — *Essai sur l'organisation des études dans l'ordre des Frères Prêcheurs au XIII° et au XIV° siècle*, 1 vol. in-8°, 1884.

DU PUY. — *Histoire du Schisme*, 1378-1428.

GOLDAST. — *Monarchia Sancti Romani imperii,* 3 vol. in-f°. (Lib. prohib., 4 martii 1709.)

GOULARD (SIMON). — *Histoire des martyrs persécutés et mis à mort pour la vérité de l'Evangile,* Gen. 1597, l. II, p. 54.

HAURÉAU. — *Histoire de la philosophie scolastique,* seconde partie, t. II, et passim.

HEFELE (C. J.), évêque de Rottembourg. — *Histoire des Conciles,* traduction Delarc, t. X et XI. — *Der Catholik,* 1811.

HOLKOT (ROBERT). — *Super quatuor libros sententiarum quæstiones,* Lugd. Trechsel, 1497.

HUBLER. — *La réforme de Constance,* Leipzick, 1867.

ILLYRICUS (FLACIUS). — *Catalogus testium veritatis,* t. II, p. 874. Lugduni, 1597. (Libr. prohib., ind. Trid.)

IAGER. — *Histoire de l'Eglise catholique en France,* t. XII et XIII, Paris, 1866.

JOURDAIN (CHARLES). — *La philosophie de saint Thomas,* 2 vol. in-8°, 1858. — *Index chronologicus chartarum pertinentium ad historiam Universitatis Parisiensis,* Hachette, 1862.

LABBÆUS ET COSSART. — *Sacrosancta concilia ad regiam editionem exacta,* Lutetiæ Parisiorum, 1672.

LANGENSTEIN (HENRICUS DE) vel DE HASSIA, vice-cancellarii Academiæ Parisiensis. — *Consilium Pacis de unione et reformatione Ecclesiæ,* Scriptum anno 1381, in opp. Gersonii, t. II, col. 809.

LENFANT. — *Histoire du Concile de Pise,* t. II, p. 36, Amst, 1724. (Lib. prohib., 10 maii 1757.) — *Histoire du Concile de Constance,* Amst. 1714. (Lib. prohib., 7 febr. 1718.)

MAIMBOURG. — *Histoire du grand schisme d'Occident.* (Lib. prohib., 23 maii 1680.)

MAIZERIIS (PH. DE). — *Somnium viridarii.* Apud Goldast, *Mon. Sancti Romani Imperii.*

MAJOR (JOANNES), Doctor Parisiensis. — *De statu et potestate Ecclesiæ.* In opp, Gersonii, t. II, col. 1121. — *De auctoritate Ecclesiæ supra Papam. Ibid.,* col. 1131. — *De potestate Papæ in temporalibus, Ibid.,* col. 1145.

MARET (H. L. C.), évêque de Sura. — *Du concile général et de la paix religieuse,* 1869. t. II, p. 134.

MARTÈNE ET DURAND. — *Thesaurus novus anecdotorum,* t. II, col. 1467. — *Veterum scriptorum et monumentorum historicorum, dogmaticorum, moralium amplissima Collectio,* t. VII, et passim, Parisiis, 1733.

MŒHLER. — *Symbolique* ou *exposition des contrariétés dogmatiques.* Trad. Lachat, 3 vol. Vivès, 1852.

MORNAY (PHILIPPE DE). — *Le mystère d'iniquité, c'est-à-dire l'histoire de la Papauté,* 1611, p. 523. (Lib. prohib., 16 maii 1621.)

MOSHEIM. — *Histoire ecclésiastique,* XV° siècle, p. II. (Lib. prohib., 22 febr. 1753.)

NIEM (THEODORICUS DE). — *De Schismate.* (App. ind. Trid.) — *Nemus unionis,* Norimbergæ, 1533, apud J. Pelreium.

OCCAMUS (GULIELMUS). — *Logica,* Bolon. 1496. — *Dialogus,* impr. a J. Trechsel, Alemano, Lugd., 1496; Bibl. nat. Paris. D, 267. Apud Goldast, *Mon.*

Sancti Romani Imperii, t. II, p. 392. — *Super potestate Summi pontificis octo quæstionum decisiones. Ibid.*, p. 313.

Orthuinus (Gratius). — *Fasciculus rerum expetendarum et fugiendarum* (Ind. Trid.). Col. 1535. Idem, Lond. 1590, Ed. Brown.

Palacky (Franz). — *Geschichte von Boehmen. — Documenta M. Joann. Hus*, Prag. 1869.

Puyol (Edmond). — *Edmond Richer*, 2 vol., 1876.

Pighius (Albertus). — *Hierarchiæ ecclesiasticæ assertio*, Col. Agrip. 1568.

Richerius (Edmundus). — *Libellus de ecclesiastica et politica potestate*, t. I, c. V. Coloniæ, 1701. (Lib. prohib., 4 martii 1709.) — *Vindiciæ doctrinæ majorum scholæ Parisiensis*, Coloniæ, 1683.

Salabert, presbyter Aginnensis. — *Philosophia Nominalium vindicata*, Paris, 1651 ; Bibl. nat. R. 1828.

Schannat et Hartzheim. — *Concilia Germaniæ*, t. VI, p. 708. Col. Aug., 1761.

Schelstrate, Bibliothecæ Vaticanæ præfectus. — *Tractatus de sensu et auctoritate decretorum Concilii Constantiensis, sessione quarta et quinta* ; Romæ, 1686, adversus L. Maimbourg.

Sfondrate (Cœlestinus). — *Gallia vindicata*, St-Gall, 1702.

Soardi. — *De suprema Romani Pontificis auctoritate hodierna Ecclesiæ Gallicanæ doctrina*, Avenione, 1747.

Stöckl (A.). — *Geschichte der Philosophie des Mittelatters* t. II, pp. 10, 29.

Thurot (Charles). — *De l'organisation de l'enseignement dans l'Université de Paris au moyen âge*. Thèse de doctorat, Paris, 1850.

Tosti (Luigi). — *Storia del Concilio di Costanza*, 2 vol., 1853.

Turrecremata (Joannes de). — *Summa de potestate papali*, apud Roccaberti, *Bibl. Pontif.*, t. XIII, p. 281. — *De Summi Pontificis auctoritate*, Flores sententiarum D. Thomæ, Mediolani, 1736.

Varennes (Joannes de). — *Epistolæ ad Benedictum Papam XIII de tollendo Schismate*, in opp. Gersonii, t. II, col. 841.

Vigorius (Simon). — *Commentarium de legitima concilii generalis et Papæ auctoritate*. — *De l'estat et gouvernement de l'Eglise*. (Lib. prohib., 2 dec. 1622.)

Von der Hardt. — *Rerum Concilii Œcumenici Constantiensis*, 5 vol. Francofurti et Lipsiæ, 1691. (Lib. prohib., 12 mart. 1703.)

Wilmers. — *Geschichte der Religione als Nachweis der gœttlichen Offenbarung*, p. 460.

INDEX RERUM

PARS PRIMA

Petri de Alliaco Vita.

CAPUT PRIMUM

Petrus de Alliaco Doctor.

CAPUT SECUNDUM

Petrus de Alliaco Episcopus.

CAPUT TERTIUM

Petrus de Alliaco Cardinalis.

PARS SECUNDA

Petri de Alliaco Doctrina.

CAPUT PRIMUM

Alliacenus psychologus atque ethicus.

CAPUT SECUNDUM

Alliacenus logicus et metaphysicus.

CAPUT TERTIUM

Alliaceni Cosmographia et Geographia.

CAPUT QUARTUM

Alliaceni Astrologia.

CAPUT QUINTUM

Alliaceni Theologia.

CAPUT SEXTUM

Alliacenus de Deo Uno.

CAPUT SEPTIMUM

Alliacenus de Trinitate et Ideis.

CAPUT OCTAVUM

Alliaceni Theologia moralis.

CAPUT NONUM

Alliacenus de Ecclesia et Romano Pontifice.

CAPUT DECIMUM

Alliacenus erga Ecclesiam et Summum Pontificem.

CAPUT UNDECIMUM

Alliacenus concionator.

CAPUT DUODECIMUM

Alliacenus de Sacris Scripturis.

CAPUT TERTIUM DECIMUM

Alliacenus hagiographus, mysticus, poeta.

APPENDICES ET INDICES

ERRATA

Pagina	xvii,	linea 29,	parati,	*lege*	patrati.
—	xxx,	— 28,	Concilio,	—	Concilii.
—	10,	— 1,	eos,	*deleatur.*	
—	15,	nota 4ª,	Cf. caput X,	*lege*	Cf. conclusionem.
—	33,	linea 11,	lacessiri,	—	lacessi.
—	59,	— 21,	Joannem,	—	Joanne.
—	67,	— 8,	alludisset,	—	allusisset.
—	67,	nota 1ª,	Richocet,	—	Ricochet.
—	68,	linea 2,	concludit,	—	conclusit.
—	71,	— 25,	Saonæ,	—	Saonam.
—	72,	titulo,	irritati,	—	irriti.
—	95,	linea 4,	congregandum,	—	congregandam.
—	103,	— 12,	potuisset,	—	potuissent.
—	106,	— 19,	ab carcere,	—	ab ipso carcere.
—	114,	— 1,	multitudo,	—	multitudinis.
—	117,	— 20,	explanebat,	—	explanabat.
—	117,	— 22,	Ecclesiæ,	—	Ecclesia.
—	119,	— 8,	Concilio,	—	Concilii.
—	128,	— 12,	reformationem pontificali electioni,	—	reformationi pontificalem electionem.
—	131,	— 17,	quærebatur,	—	querebatur.
—	134,	titulo,	Alliaceni,	*adde :*	his in omnibus auctoritas.
—	139,	linea 5,	celebrare,	*lege*	celebrari.
—	144,	— 4,	quum D. Thoma,	—	quum a D. Thoma.
—	158,	— 16,	Angelici Doctoris,	—	Angelico Doctore.
—	162,	— 17,	ipsa,	—	ipsæ.
—	176.	— 10,	India,	—	Indiam.

25

